







R E R V M

IN REV. CVRIA REGII CAPELLANI MAJORIS

J V D I C A T A R V M


T O M V S P R I M V S

C O M P L E C T E N S

Reivindicationes omnes Regii juris patronatus in Abbatias, Beneficia, Monasteria, ac Ecclesias

AB ANNO 1774. AD ANNVM 1786.





N E A P O L I
EX REGIA TYPOGRAPHIA
MDCCLXXXVII.

INDEX

Abbatiarum, Beneficiorum, Monasteriorum, & Ecclesiarum Regii Juris Patronatus, quæ ad Regiam Coronam pertinere declaratum est, & quæ in hoc primo Tomo continentur, ordine alphabetico dispositus.

ABBATIÆ.

BENEFICIA.

ECCLESIÆ.

MONASTERIA.

A D D E N D A.

In causa redintegrationis bonorum pertinentium ad Regiam Præposituram Ecclesiæ S. Eusanii; necnon Regii juris patronatus in Canonicatus ejusdem Ecclesiæ cum jure collationis. Die 28. Aprilis 1785.

CUria Regii Capellani Majoris declarat, dismembrationem bonorum Abbatiæ, seu Præpositura S. Eusanii de patronatu, & collatione Regia, factam anno 1616. per Rev. Episcopum Aquilanum de mandato Romanæ Curiæ pro erectione Vicariæ perpetuæ, irrequisito Domino, immo spreto Patrono Principe, prout ex actis, fuisse, & esse nullam: ac proinde nulla habita ratione memoratæ dismembrationis, eamdem Regiam Præposituram redintegrandam esse, prout præsenti decreto redintegretur in possessionem dictorum bonorum juxta statum primævum; ita tamen quod Regius Abbas, sive Præpositus S. Eusanii teneatur destinare Vicarium Curatum, illumque exhibere ex redditibus dictæ Præposituræ pro animarum cura. Declarat insuper Canonicatus erectos in dicta Ecclesia S. Eusanii, cum assignatione bonorum ejusdem Regalis Præposituræ, fuisse, & esse pariter de patronatu, & collatione Regia cum jure ad serenissimum Regem pertinente Canonicatus prædictos conferendi in singulis vacationum vicibus, cum onere residendi pro ejusdem Ecclesiæ servitio. Ne vero jura Regia diminuantur, describantur dicti Canonicatus in libris Curiæ inter cetera Beneficia, in quæ jus patronatus Principi competit.

Ea quidem omnia per Curiam decreta sunt in consequentiam, & executionem rei per ipsam judicatæ sub die 22. Novembris 1769, qua fuit declaratum, Ecclesiam, & Præposituram sub titulo S. Eusanii cum omnibus suis bonis, Dignitatibus, & integro statu, fuisse, & esse juris Regiæ collationis; quod enim de toto judicatum fuit, idem judicari oportuit de quibuslibet ejus partibus; in toto enim & pars continetur, *L.* 113. *ff. de reg. jur.*

CU-

CURIÆ CAPEL. MAJOR. DECRETA.

In causa inter magn. D. Franciscum de Francisco, nomine, ut ex actis, & magn. Baronem feudi Clusani super qualitate juris patronatus S. Mariæ Vallis, & S. Eustachii ejusdem feudi in Regia Curia Rev. Capellani Majoris hujus Regni. Die 24. Aprilis 1775.

PEtiit D. Franciscus de Francisco, ut jus patronatus S. Mariæ Vallis, & S. Eustachii feudi Clusani Regium declareretur *immediatum*, non *mediatum*, uti vocant, annexum eidem feudo, *fol.* 2. Excepit magn. Baro, idem jus patronatus semper fuisse possessum a Baronibus, tamquam feudo annexum; ceteroquin se libenter executurum, quod Magistratus diceret, *fol.* 41.; Ex relatione Domini Fisci Patroni Regiæ Provincialis Audientiæ diei 17. Novembris 1774., *fol.* 3. *ad* 9., atque ex omnibus actis sequens eruitur factum: Maria de Cardona, Comes Abellinarum, & Marchio Padulæ, & Clusani, anno 1555., inter nonnulla Beneficia, hujusmodi Ecclesiasticum Beneficium, sive Capellaniam possedit; postea idem feudum Clusani a Regia Curia, ad quam, ob lineam finitam, pervenerat, venditum fuit, anno 1690. Victoriæ de Sangro, Marchioni Montisfalcionis, hoc addito; *non inclusis tamen in præsenti venditione juribus patronatus Ecclesiarum, & juribus præsentandi in eis, quæ dictæ Regiæ Majestati intelligantur, & sint reservata*, *fol.* 13.: Iterum, instantibus creditoribus, sub hasta S. R. C. fuit venditum, anno 1746. hodierno Baroni Anastasio, sine expressa concessione juris patronatus Beneficiorum; neque in hujus feudi appretio quodcumque jus patronatus videtur relatum, *fol.* 15. Quæritur, num jus Regium patronatus dicendum sit *immediatum*, an feudo annexum, sive *mediatum*?

Ex voluntate fundatoris potest cuidam fundo jus patronatus adscribi; cum autem feudo additum fuerit, feudumque Domino Regi aperiatur, jus patronatus inter majora Regalia recensetur; itaut neque in generali feudi concessione comprehendi possit, neque præscriptioni obnoxium sit.

Fundatoribus illud concessum est, ut jus eorum patronatus certo cuidam fundo adscribant, itaut pars fundi sit; si ve-

si vero feudo Rex Dominus adscribat, pars feudi videtur esse; idque jus reale dicitur, rei adhærens, sicut aurum glebale, quod pro gleba penditur, ei adhæret. Si igitur feudum Regi Domino aperiatur, redit id ad suam naturam, hoc est, bona feudi ad plenam illius proprietatem, jura vero patronatus, quæ pars ipsius feudi sunt, ad majora sic redeunt regalia, ut quod ad nudum tantum, & simplex ministerium in Vassallum transferri possint. Hæc autem regalia, licet nudi ministerii gratia, in generali concessione, aut alienatione, cum *omnibus juribus*, & *pertinentiis suis*, nullatenus venire putamus, ex argumento Constitutionis: *Ea, quæ ad speciale decus &c.*; quam celebrem Friderici II. Constitutionem postea, quemadmodum testantur nobiles Regni Pragmatici, Thomas Minadous, ad Constitutionem, *in aliquibus*, vers. *Comitum*, & *Baronum num.* 13. & 14., & Camillus de Curte *diversf. Feud. c.* 3. *par.* 2. *num.* 30., Regiis literis Robertus, & Philippus III. Reges speciatim instaurarunt, ne ullo pacto jura Regia patronatus in Vassallum transirent, nisi id conceptissimis verbis fuerit tributum; neque, castris devolutis, si denuo Rex alienaverit, concessa rursus intelligantur; & hoc jure utimur. Quid si Vassallus immemorabilem juris nominandi possessionem forte probaverit? cum ex eadem possessionis causa, sive titulo hujus Regii juris concessio non appareat, merito dicimus, minime præscriptionem quamcumque Vassallo profuturam. Hinc Curia Ill., & Rev. Dom. Regii Capellani Majoris, cum voto Dom. Regii Consil. D. Stephani Patritii ordinarii Consultoris, decrevit: *Jus patronatus Beneficii Sanctæ Mariæ Vallis, & S. Eustachii fuisse, & esse Regium jus patronatus immediatum, adnotandumque in libris hujus Regiæ Curiæ; necnon pertinere ad sereniſſimum Regem jus in eo nominandi, & præsentandi Beneficiatum, sive Rectorem toties quoties casus vacationis occurrerit. Quod vero ad Clericum D. Marcum Mastrocinque hodiernum Beneficiatum, an submovendus sit a possessione beneficii, bona ne, vel mala fide fuerit nominatus, & institutus, Partibus plenius auditis, providebitur: Neutram in expensis.* In

In causa inter Rev. Canonicos Clericos Rev. Capituli Ecclesiæ Cathedralis Civitatis Luceriæ S. Mariæ, actores, & Rev. Episcopum, reum conventum, super jure Regio collativo quatuor Canonicatuum Clericalium, in Curia Rev. Capellani Majoris hujus Regni. Die 10. Maji 1775.

Nulla longissimi temporis possessio legi fundationis officit; ubi autem ambigua lex sit, diuturna observantia, etsi ad præscribendum inefficax, optima tamen interpres accipitur.

PEtentibus tam magn. Promotore Fiscali Regiæ Coronæ, quam Canonicis Clericis Rev. Capituli Civitatis Luceriæ S. Mariæ, quatuor ex Canonicatibus Clericalibus ejusdem Ecclesiæ declarandos esse juris Regii collativi, atque reintegrandos juribus Majestatis secundum legem fundationis; Rev. Episcopus excepit, eosdem omnes Canonicatus esse sui juris institutionalis, & collativi, tam ex ipsa fundationis lege, quam ex antiqua consuetudine, & observantia ordinandi, & conferendi omnes Canonicatus Clericales. Dato termino ordinario super deductis ex parte magn. Promotoris, & Canonicorum Clericorum, die 22. Augusti 1772., *fol.* 117., probationes hinc inde factæ sunt, *fol.* 158. *ad* 203. Ex Diplomate Regis Caroli II. fundatio, atque dotatio ejusdem Ecclesiæ constat die 14. Januarii 1302., *fol.* 23. Litteris Apostolicis Benedicti XI. XIV. Kalendas Decembris, idest, mense Novembris 1303. fuit eidem Regi indultum Regium jus patronatus præsentandi Episcopo personas idoneas ad Decanatum, Archidiaconatum, & Cantoriam, & conferendi vice Apostolica medietatem Præbendarum, *fol.* 247. & 248.: quibus accessit alterum Diploma ipsius Regis Caroli II. renovatæ fundationis, & dotationis, die 21. Februarii 1304., *fol.* 49. *ad* 51. Rex Robertus deinde, petente Episcopo, & Capitulo Lucerino, uno atque altero Diplomate confirmavit tam secundum insertum Diploma Regis Caroli ejus patris, die 5. Januarii 1322., *fol.* 26. *ad* 28., quam suprascriptas Apostolicas Litteras Benedicti XI., die 10. Januarii 1322., *fol.* 247. *ad* 249. Hoc amplius Regius Archivarius Siclæ testatur, reperiri in Repertoriis Regis Roberti sequentem adnotationem: *Lucerinæ Ecclesiæ Bulla Benedicti, qua mediante, conceditur Regi, & successoribus jus præsentandi Episcopo ad Decanatum, Archidia-*

conatum, *& Cantoriam personas habiles*, *& conferendi medietatem Præbendarum*, *fol.* 107. Altero Diplomate Regis Caroli III., die 7. mensis Julii 1381., narratur fundatio facta a Carolo II., eidemque Regi addicta collatio dignitatum, scilicet, Decanatus, Archidiaconatus, Thesaurariatus, & Cantoratus, & medietas Canonicatuum, reliqua vero eorumdem Canonicatuum medietas relicta Episcopo; quo Diplomate simul querela exponitur Decani &c. atque totius Capituli, nonnullos Clericos, fraudibus, & malitiis, Beneficia Lucerinæ Ecclesiæ, ad Regis collationem spectantia, ab aliis collatoribus indebite accepisse, *fol.* 15. *&* 16. Extat quoque Diploma Reginæ Joannæ die 1. Novembris 1367. in quo continetur petitio Decani, Cantoris, Canonicorum, Clericorum, & totius Capituli residentium, circa distributionem Præbendarum, *fol.* 17. *&* 18. Patet collatio Canonicatus, facta a Regina Joanna die 1. Augusti 1345. Joanni Francisco de Neapoli, familiari Ludovici de Duratio fratris ejusdem Reginæ, *fol.* 251.; atque altera collatio facta a Regina Joanna die 26. Julii 1516. Abbati Baptistæ Judicis Francisci, ob mortem Canonici Abbatis D. Francisci della Jodella, *fol.* 250. Inspiciuntur contra collationes Canonicatuum Clericalium sub recentiori nomine Abbatiarum factæ ab Episcopo ab annis 1594. 1607. 1624. 1625. 1631. &c. usque ad tempus præsens, his verbis: *tam vigore privilegii serenissimi Regis Caroli II. prædictæ nostræ Ecclesiæ fundatoris*, *& dotatoris*, *quam etiam ex antiquissima consuetudine ipsius Ecclesiæ*, *ac nostrorum prædecessorum pacifica*, *& immemorabili possessione*, *etiam ab ipsius Ecclesiæ fundationis*, *dotationis*, *erectionis tempore*, *conferendi omnes Abbatias quovis tempore vacantes*, *fol.* 78. 241. 242. 245. *&c.* His positis, instititit Domin. Advocatus Regiæ Coronæ die 20. Augusti 1774., *declarari quatuor ex octo Canonicatibus Clericalibus Capituli Regalis Ecclesiæ Civitatibus Luceriæ*, *scilicet quod eodem redit*, *alternativam in omnibus fuisse*, *& esse de Regia collatione*, *& proinde reintegrari ad jus Regium collativum*, *cum omnibus juribus prærogativis*, *& proventibus eisdem competentibus*, *fol.* 257. Nul-

Nullam longissimi temporis, quamvis immemorabilis, possessionem admitti contra apertam fundationis legem, juris manifesti est, ex perpetua etiam rerum judicatarum auctoritate. Ubinam hujusmodi fundationis lex posita sit, & qualis sit, quæritur? Eam veremur legem excipere ex primo serenissimi Regis Caroli II. Diplomate fundationis Ecclesiæ Lucerinæ; siquidem Diploma illud ad absolutum illius Ecclesiæ statum non pertinet. Verius eam, quam perquirimus, legem ex secundo ejusdem Regis Diplomate excipere oportet, cujus observantia aliquando hominum machinationibus, aliqua ex parte turbata, antiquis Regiæ fundationis juribus, tum pro Regia ipsius Episcopi nominatione, more Nostrorum Majorum, fuit per hanc Regiam Curiam nuper restituta. Ubi igitur a Rege jus Episcopo conceditur ordinandi, & instituendi ceteros omnes Clericos, verba exponenda sunt, & qualis sit lex fundationis, aperiatur: *ordinamus, & volumus quod subscripta Personatus, Canonicatus, & Personatus officia, Decanus videlicet, Archidiaconus, Thesaurarius, Cantor, octo Canonici, octo Clerici, sint in eadem Ecclesia .... Apostolicæ auctoritatis, & Reverentiæ arbitrio reservato decrevimus, & in præacta nostra fundatione, & dotatione rei nostræ legem apponentes, expressimus, & declaramus expresse, quod officia, seu dignitates prædictæ, Decanatus, Archidiaconatus, & Thesauriariatus, & Cantoria cum vacaverint, per Nos, & nostros Heredes libere conferantur, Canonicatuum vero medietas per Nos, & Heredes prædictos, reliquaque medietas per Episcopum conferetur; itaut cum vacaverint repetitis vicibus, fiat ipsa collatio alternatim. Ceteri tamen omnes Clerici ordinari debent, & institui per Episcopum memoratum; nec tamen alii Clerici vocem habebunt præter præfatos, qui Personatum obtinent, atque Canonicos in electione Episcopi, cum pro tempore in ipsa Ecclesia fuerit facienda.* Patet ceteros Clericos extra Capituli gremium eidem Ecclesiæ fuisse inscriptos. Porro in ea temporum disciplina nullus, nisi alicui adscriptus Ecclesiæ, ubi suis fungeretur muneribus, ne vagus incertis sedibus iret, ordinabatur,

Con-

Concil. Trid. ſeſſ. 23., *cap.* 16.; nondum enim ſacra, quæ nunc dicimus, Clericorum patrimonia, veluti eorumdem Clericorum Eccleſiis addictiones, comparata erant. An autem intelligantur Clerici etiam de octonario numero Præbendati, non inſubtiliter dubitatur. Ut res exitum reperiret, certi aliquid ſtatuendum eſſet ad id, quod recta ſuggereret interpretatio; verba tamen cum alio duci non poſſint, minime indigent interpretatione; intelligenda enim ſunt ex proprietate, quam communiter accipimus: multoque minus colligere conjecturis voluntatem licet, ſi aperta, & evidens ſit voluntas. Itaque quando fundator, *rei ſuæ legem apponens*, ſtatum Eccleſiæ compoſuit, conſtitutis quatuor nempe Dignitatibus, octo Canonicis, Clericis octo, jus ſibi reſervavit collativum earumdem omnium Dignitatum, & dimidium Canonicatuum, Epiſcopo vero, tam alterum Canonicatuum dimidium, quam plenam ceterorum omnium Clericorum ordinationem, & inſtitutionem indulſit; haud eſſe voluntatis quæſtionem putamus. Cum is eodem fere loco, Eccleſiæ ſenatum efformans, Canonicatus octo numeraverit; jus conferendi dimidiam Canonicatuum partem, quod ſibi ſpeciatim reſervavit, nonniſi ad eorum quatuor videri relatum conſtat. Clericos tamen omnes, nimirum Præbendatos, & eos extra Capituli gremium Epiſcopi collationi Regem, quam munifice, remiſiſſe palam eſt. Frequentiſſimum eſt genus interpretandi poſteriora ex antecedentibus, atque ex proximo loco dictis; eo id amplius ita intelligendum, quia nuſquam Rex fundator Clericos Capitulares, qui juſte Canonici ſunt, communi ſuffragio in Capitularibus actionibus gaudentes, Canonicos nuncupavit. Confirmari id rectius videtur ex altero adjuncto loco, quo eadem diſponentis mens depromitur, puta ex prima Fundatoris conceſſione, cum inſtitutis viginti Canonicis ſine ulla claſſium diſtributione, integram tunc dimidiam eorumdem partem Fundator remiſit ab Epiſcopo conferendam; nam voluntate creditur ſibi ille fuiſſe conſentiens, ideſt, primo fundationis actu integram dimidiam ſibi partem Canonicatuum retinere, integram

gram alteram indulgere Episcopo: altero vero actu, digniores Personatus ex integro servare sibi, eidem Episcopo ceteros omnes Clericos; hoc enim ex eadem voluntate proficiscitur. Nec unquam dixeris, recte interpretationis mensuram capiendam esse ex Apostolicis Benedicti XI. Litteris, latis longe ante solemnis, & perfectæ fundationis Ecclesiæ diem; adversisque juri Regiæ collationis primorum Personatuum, quod fundator sibi speciatim consuluerat, *Apostolicæ auctoritatis, & Reverentiæ arbitrio reservato*, Litteris Benedicti, antea latis, prorsus prætermissis. Præterea receptum est, quod si scriptum, vel scripti sententia ambigua, & obscura sit, Judices recte ei accedere, quod minus ambiguum est, omisso eo, quod est obscurius; minus autem ambiguum pendimus, quod fuit longo tempore observatum, maxime si hominum memoriam excederet, nihilque contra, vi, clam, vel precario probatum fuerit. Quare, licet in subjecta juris Regii Patronatus materia observantiam quamcumque *ad vim præscriptivam* non sufficere existimemus, *ad vim tamen interpretativam*, ubi quid ambiguum esset, eam inter ceteras conjecturas esse validissimam ipsamet naturalis æquitas suadet; optima enim est legum interpres consuetudo, *L.* 37. & 38. *ff. de Leg.* Hinc Curia Ill., & Rev. Capellani Majoris, cum voto Dom. Reg. Consil. D. Stephani Patritii ordinarii Consultoris ejusdem, declarat: *Rev. Episcopum Civitatis Luceriæ Sanctæ Mariæ absolvendum esse ab impetitis ex parte Regii Fisci, & Rev. Canonicorum Capituli Cathedralis Ecclesiæ ejusdem Civitatis; ac proinde eumdem Rev. Episcopum manutenendum esse in jure, & possessione conferendi omnes octo Canonicatus Clericales supradicti Capituli secundum legem fundationis, appositam in secundo Diplomate serenissimi Regis Caroli II. fundatoris præfatæ Ecclesiæ, oppositis per Regium Fiscum, & Rev. Canonicos non obstantibus: Neutram in expensis.*

In

In causa Regii Fisci super reintegratione Regii juris patronatus Ecclesiæ, sive Abbatiæ Casauriensis S. Clementis in Piscaria, Die 8. Augusti 1775.

Jus patronatus, etsi in fundationis tabula non constitutum, re'psa acquiritur fundatione, vel dotatione Ecclesiæ.

DOminus Advocatus Regalis Coronæ die 19. Aprilis 1775. petiit, *Ecclesiam, sive Abbatiam S. Clementis Domus aureæ fuisse, & esse de Regio jure patronatus, per Curiam Reverendi Capellani Majoris Regni declarari, & describi in libris ejusdem Curiæ, fol.* 94. Præ oculis Curia habuit Diplomata Imp. Ludovici Pii, Carolimanni, Berengarii, Rogerii I. Regis Siciliæ, Ducis Apuliæ, & Principis Capuæ, aliorumque Impp., & Regum, *fol.* 49. *ad* 81.; ex quibus constat, eandem Ecclesiam, sive Abbatiam Casauriensem fundatam, atque dotatam esse Regiis, opimisque fundis, Oppidis, Castris, Villis &c.

Patroni jus ita semper observari oportet, ut doctiores Jurisconsulti putant, nasci ex grati animi causa (*Concil. Tolet. IV., Can. XXXVII.*) illudque adeo summo jure deberi, ut verius sit, jus patronatus ipso jure acquiri, quamvis nihil, ne verbum quidem, in fundationis tabulis dictum sit (*cap. XXV. de Jur. Patron.*). Fundatione, vel dotatione jus patronatus acquiritur (*Concil. Trident. sess. XXV. de reformat. cap. IX.*); recteque id *rationis ordini* convenire loquuntur Ecclesiasticæ sanctiones (*Concil. Tolet. IX. Can. XI.*). Plane is, qui ad reficiendam Domum pecuniam credidit, reipsa secundum *ordinis rationem* privilegium acquirit; quamquam nominatim stipulatus non fuerit; quia constituentium auctoritate concessum esse videtur (*Leg. V. ff. qui pot. in pign.*), eadem certe *ordinis ratione*, qua in Ecclesiis, quæ in possessionibus, vel prædiis rusticis privatorum erectæ sunt, merito ordinandos non esse Clericos placuit ex alia possessione, at ex ipso vico, ubi Ecclesiam esse constiterit (*Leg. XI. Cod. de Episc. & Cler.*). Jura vero patronatus, quæ ex Regum largitionibus, Fiscique munere proficisci comperimus, valde coli decet, ut ad ipsius Regni bonum sint, Civesque piam, & quietam vitam degant; eaque esse immutabilia,

lia, nulliqùe præscriptioni obnoxia receptum est. Quamobrem mutata primori patronatuum forma, spreto, inquam, patrono, hominum forte, ac desultorii temporis injuria; mox novitatibus prorsus sublatis, ea jura ad primorem sui naturam, scilicet, ad *Regalia* refluere, a quibus antea fluxerunt, perpetuum judicavimus, eo tamen pacto, ut semper, & ubique in æquipollenti re, quemadmodum rei casus, & dignitas postulat, Fundatoris voluntas observetur. Hinc Curia Ill., & Rev. Capellani Majoris, cum voto Dom. Regii Conf. D. Stephani Patritii ordinarii Consultoris ejusdem, decrevit: *Ecclesiam, sive Abbatiam Casauriensem S. Clementis in Piscaria, nulla habita ratione status, in quo reperitur, fuisse, & esse Regii juris patronatus; ac proinde reintegrandam esse juribus Majestatis, cum omnibus juribus, actionibus, jurisdictionibus, praeeminentiis, fundis, Oppidis, Castris, Villis, omnibusque pertinentiis suis, & cum jure nominandi Abbatem toties, quoties casus vacationis contigerit; describendamque esse in libris Regiæ Curiæ Rev. Capellani Majoris inter ceteras Ecclesias, & Abbatias Regii juris patronatus, oppositis non obstantibus.*

In causa reintegrationis juris patronatus Ecclesiæ Majoris, & Collegiatæ Terræ Capertini cum Regio Fisco. Die 14. Augusti 1775.

JUdicio reintegrationis instituto Regii juris patronatus, cum omnibus pertinentiis, & integro statu, instante etiam Dom. Advocato Regiæ Coronæ, super Ecclesia Majori, & Collegiata Terræ Cupertini, *fol.* 1., & 361. *vol.* 1.; datus est terminus ordinarius die 25. Junii 1771., *fol.*362. Ex particula vetustissimi libri, cujus titulus est, *Præcedentia, & quarta funerum*, constat, ipsam Majorem Ecclesiam a Comite Goefredo Northmannorum Dynasta ædificatam fuisse anno 1088., reædificatamque a Comite Manfredo anno 1235., tunc Tarentinorum Principe, atque ab eo redecimalibus fundis dotatam; idque apparere ex inscriptionibus ad januas ipsius Majoris Ecclesiæ ... (1) D. O. M.

Sicut ædificatione, ita etiam reædificatione Ecclesiæ jus patronatus acquiritur. Cum vero fundationis tabulæ defuerint, præsumptiva admittitur juris patronatus probatio; præsertim si agatur de jure Regio.

MANFREDUS TARENTI PRINCEPS COMES CUPERTINI, DEIPARAE MARIAE AD NIVES DICAVIT A. D. MCCXXXV.... (II) D.O.M. DEIPARAE MARIAE VIRGINI AD NIVES REGIUM MANFREDUS STEGMA, REGALESQUE LARGITUS REDITUS A.D. MCCXXXV.... (III) D. O. M. MANFREDUS TARENTI PRINCEPS, COMES CUPERTINI, EX SVEVORUM FAMILIA TEMPLUM HOC NULLIUS DIOECESIS VETUSTATE COLLAPSUM A FUNDAMENTIS EREXIT A. D. MCCXXXV., *fol.* 94. *a t.* Conſtat quoque, inſignia Regiæ Domus Svevorum eidem Eccleſiæ inſculpta fuiſſe, *fol.* 121. *vol.* 2.; & conceſſionem ipſius Eccleſiæ Rev. Capitulo feciſſe Comitem Pyrrhum de Baucio anno 1458. hiſce verbis: *Eidem Clero & Capitulo concedimus, & donamus redecimam Batini, & Cupertini, quam anno quolibet ſolebat dare, & ſolvere Curiæ noſtræ, fol.* 150. *vol.* 2. in Epiſcopali vero viſitatione ejuſdem Majoris Eccleſiæ, ab Antonio Sanfelicio Epiſcopo Neritonenſi, Civilium, & Sacrarum antiquitatum ſtudioſiſſimo, facta anno 1710., ita legitur, *fol.* 60. *vol.* 1.: *Nam antea ibi non aderat alia Capella, ſed quædam porta Eccleſiæ, ſupra qua reperiebatur inſcriptio poſita a Principe Manfredo Cupertini Comite, quæ dicebat...* D.O.M. MANFREDVS TARENTI PRINCEPS DICAVIT A. D. MCCXXXV.... *poſt multa ſæcula, & proprie in anno* 1235. *noviter reædificata fuit ab eximia pietate Principis Manfredi, quamvis non in ea altitudine, ex qua hodie conſtat, nam ſic elevatum fuit anno* 1563. *expenſis hujus magnificæ Univerſitatis, fol.* 62. *dict. vol. Infra bimeſtre lapidem cum inſcriptione poſteros admonente intus Eccleſiam, nempe a parte interiori in pariete portæ majoris in medio muri prædicti apponi facere, fol.* 129. *vol.* 3. Præterea inſcriptio legitur ad januam majorem ipſius Eccleſiæ eodem anno 1710., ex quo modo ordinata fuerat ab eodem Epiſcopo Antonio Sanfelicio: D. O. M. ANTONIUS SANFELICIUS EPISCOPUS NERITONENSIS ALETINUM HOC VETUSTATE COLLAPSUM BARBARORUM IMPIETATE SUA JAM ORBATUM SEDE, ET A GUFERIDO COMITE RESTITUTUM ANNO 1085. DENUO A MANFRIDO TARENTI PRINCIPE AUSPICIIS ERECTUM A. D. MCCXXXV. III. AB ORDINE, POPULOQUE AN-

ANNO 1563. PIIS PROVENTIBUS IN HANC FORMAM REDACTUM AN. 1707. POSTMODUM TEMPLUM DICAVIT AN. 1710. XIII. KALENDAS NOVEMBRIS, *fol.* 138. *vol.* 3. His omnibus accedunt depositiones Josephi Antonii Strafella, *fol.* 60., Francisci Schitaroli, *fol.* 74. *a t.*, & Nicolai de Dominicis, *fol.* 67. *vol.* 1., testantium, lapidariam inscriptionem, mox transcriptam, qua memoriæ proditum est, Manfredum Tarenti Principem, & Cupertini Comitem eamdem Ecclesiam *Nullius Diœcesis* vetustate collapsam a fundamentis erexisse, audacter fuisse, ex quo tempore Ecclesiam Neritonensem idem Episcopus regebat, dealbatam, atque deletam a D. Francisco Elia ejusdem Ecclesiæ Cupertini Archipresbytero.

Rite, & recte Sanctæ Matris Ecclesiæ ordinationibus constitutum est, ædificatione Ecclesiarum, vel fundatione jus patronatus acquiri; verius tamen est, Ecclesiæ ædificatione reædificationem contineri *cap.* 1. *de J. P. in* 5. *Compil.* Ita enim Sacri Canones collapsas Ecclesias restaurari magis, quam ædificari curant; vetustorumque Templorum reparatorem, & novum conditorem eodem jure censeri non dubitatur; æquumque esse arbitramur, ut qui destructam Ecclesiam reficit, ejus dicatur patronus, quippe qui novam ædificasse videatur Ecclesiam; quum nova indigeat consecratione. Quid si constructionis, vel fundationis defuerint tabulæ? probationem sane admittimus, quam vocant, præsumtivam, & adminiculativam, eo præsertim casu, quo de jure Regio ageretur; cum Rex in dubio præsumatur patronus Ecclesiæ habentis dignitatem. Et quidem præ ceteris præsumtivis probationibus eam validiorem esse probationem putamus, quæ ex marmoribus æneis, vel lapidariis inscriptionibus, simulacris, insignibus, velis educitur, ut in posterum firmior maneat memoria, quis sit fundator, quænam fundationis lex, vel dedicatio, quibus bonis conditum fuerit opus; idque ex veteribus sumtum patet, qui suis operibus publicis suos inscribebant titulos, idest, nomen, statum, dignitatem, generosa facinora, gentem, familiam; unde apud Christianos inter honorifica patronatus

jura *bonor Liſtra* permeavit, *L.* 38. *ff. de aur. & arg. leg.*, *L.* 2. §. *ultimo ff. de oper. publ.* Sapienter judicatum olim refert *Velaſcus de jure emphyt. qu.* 19. *num.* 26., quaſdam Eccleſias in antiquo libro cenſuali Majoris Eccleſiæ Conimbricenſis, ſcriptas hac clauſula: REGIS EST, Regii juris patronatus eſſe, nec poſſeſſori adverſus illius clauſulæ vim præſcriptionem, licet immemorabilem, profuiſſe. Hinc Curia Ill., & Rev. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Conſiliarii D. Stephani Patritii ordinarii Conſultoris ejuſdem declarat: *Eccleſiam Majorem, ſive Collegiatam Terræ Cupertini fuiſſe, & eſſe Regii juris patronatus; proindeque juribus Majeſtatis reintegrandam, cum omnibus corporibus, pertinentiis ſuis, juribus, actionibus, præeminentiis, juriſdictionibus, jure nominandi toties quoties caſus vacationis contigerit; regiſtrandamque eſſe in libris hujus Regiæ Curiæ; atque quod ad ipſius Eccleſiæ Majoris qualitatem, quam dicunt*, Nullius Diœceſis, *penes acta deductam, procedendum eſſe, Partibus plenius auditis*.

In cauſa magn. U. J. D. D. Joannis Philippi Delfico, ſive Regii Fiſci cum Rev. D. Simone Franchi, de, & ſuper Regio jure patronatus beneficii S. Angeli ad Puteum Oppidi Turtureti. Die 15. *Aprilis* 1776.

Regium jus patronatus inter majora Regalia adnumeratur; neque alienari poteſt, neque eſt præſcriptioni obnoxium; atque fruſtra ei opponitur ultimus ſtatus, ob quem poſſeſſio acquiſita dici nequit.

PEtente U. J. D. D. Jo: Philippo Delfico Regium declarari jus patronatus beneficii S. Angeli ad Puteum Oppidi Turtureti, Regiam in eo nominationem reintegrari, interque Regia patronatus jura conſcribi, petitis inhæſit Fiſci Patronus Regiæ Coronæ, *fol.* 4. Ex Bullis anni 1561., per Curiam Epiſcopalem Interamnenſem expeditis, *ad electionem, nominationem, & præſentationem* D. Baltaſſarris Acquaviva de Aragonia utilis domini Turtureti, inſtitutum fuiſſe patet D. Vincentium Acquaviva de Aragonia ad Eccleſiam S. Angeli ad Puteum in pertinentiis Turtureti, *fol.* 68. Nominationem deinde fecit D. Andreas Matthæus Acquaviva de Aragonia anno 1617. ad eandem Eccleſiam favore Clerici Januarii Marciano, *fol.* 64. 65., alteramque fecit anno 1656.

1656. D. Andreas Franciscus de Capua utilis dominus Turtureti favore D. Caroli de Capua, *fol.* 57. Patet quoque ex appretio feudi Turtureti sequuto anno 1667., inter jura feudalia describi jus patronatus beneficii S. Angeli ad Puteum, *fol.* 76. *ad* 84. His inspectis, & omnibus actis, partibusque auditis &c.

Inter Regalia & quidem majora, communi Jurisconsultorum sententia, adnumerari Regios Patronatus, jura in dubium revocari nequit. Ea, maximum jus appellata, minime a Regali Diademate avelli, ac alienari posse, perenni vice pronunciatum extitit; hinc præscriptionis, etiamsi longævæ & hominum memoriam excedentis, laqueo minime irretiri, explorati juris est. Cum enim jus resistit, præscriptio non datur. Immo si Rex, vaxallo feudum concedens, nominatim jus patronatus etiam concedat, non ipsum jus patronatus, sed ejusdem exercitium tribui censetur. Inalienabile namque jus patronatus est; feudoque devoluto, unde defluxerat exercitium juris patronatus refluere oportet. Frustra igitur Canonicus Simon Franchi collationem tanquam de libero sibi ab Episcopo factam contraria possessione, & ultimo statu tutari posse contendit. Porro quoad possessionem, dicimus, Episcopum Interamnensem liberam collationem beneficii S. Angeli ad Puteum Oppidi Turtureti numquam possedisse, etsi per longos annos in possessione ejus extiterit. *Non videtur possessionem adeptus is, qui ita nactus est, ut eam retinere non possit, L.* 22. *ff. de acquir. vel amitt. possess.*; aliud enim est possidere, longe aliud in possessione esse, *L. si quis* 10. *ff. eod. tit.* Profecto in Regiis patronatus juribus Rex semper jus præsentandi retinet, licet in possessione semper non fuerit. Quo vero ad ultimum statum, iniquum pronunciamus, si contra naturalis juris voces quis retineat, quod alteri dominii jure debetur; hinc etiam contrariæ opinionis patroni, veritate urgente, fateri coguntur, ultimum statum in beneficialibus attendendum, cum non constet de præcedenti. Si ergo liquet, ultimo statui beneficii S. Angeli ad Puteum præcedentes non

non consentire, in eoque utiles dominos ejusdem Oppidi jus præsentandi libere, & Episcopo adprobante exercuisse, iniquam occupationem merito censeri ultimum statum existimamus; legitima enim patronatuum jura tollere, æquum non est, *Concil. Trid. cap. 9. sess. 25.* Hinc Curia Ill., & Rev. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ejusdem, sequens protulit decretum: *Constare de Regio jure patronatus Beneficii S. Angeli ad Puteum Oppidi Turtureti Regiæ Curiæ devoluti, jusque nominandi in eo, & præsentandi competere S. R. M. nostri Regis toties, quoties casus vacationis occurrerit; ac proinde describendum esse in libris nostræ Curiæ inter Beneficia Regii juris patronatus.*

In causa Ill. Ducis Turitti Fisci Patroni Regiæ Coronæ, de, & super Regio jure patronatus Abbatiæ S. Antonii Viennensis extra Portam Capuanam hujus Civitatis. Die 6. Maji 1776.

Concors Historicorum testimonium, & Regia arma recte probant Regiam Ecclesiæ fundationem, Regiumque jus patronatus: cui sicut præscriptio nō obstat, ita nec Ecclesiæ mutatio, ab ordine Viennensi in commendationē facta, obesse potest.

IN controversia de Regia fundatione Ecclesiæ S. Antonii Viennensis, instituta per Fiscum, duo potissimum sunt perpensa; primo consensus Historicorum omnium, tradentium hanc Ecclesiam a Neapolitanis Principibus fundatam esse; deinde nominis Andegavensis arma pluribus memoratæ Ecclesiæ locis affixa.

Quod ad primum, magni momenti visa sunt Petri de Stephano, & Aloysii Contarini antiquorum Scriptorum testimonia, quorum alter anno 1560. alter vero anno 1569. ex instituto recensentes nedum sacra loca Neapolitana, sed & eorum fundatores, memoriæ tradiderunt, Ecclesiam Sancti Antonii Viennensis fundatam fuisse a Principibus Andegavensibus. Proximus his fuit Joannes Antonius Summontius, Scriptor & ipse Sæculi XVI., qui duobus historiæ suæ locis accuratius docuit, præter Ecclesiam, domum etiam hospitalem extructam, & utriusque fundatricem Reginam Joannam I. Andegavensem diserte memoravit. Cum iis fine concors Cæsar Engenius, qui Sæculo XVII. res pa-

patrias litteris consignavit, controversam Ecclesiam ab eadem Regina extructam, & dotatam posteritati mandavit. Id ipsum tradidit Carolus Celanus Neapolitanæ Ecclesiæ Canonicus, præter Petrum Jannonium, & Presbyterum Neapolitanum Gasparem Torellum in *dissertat. de ortu, & progress. Ordinis Sancti Anton. Viennens.*

Ea porro Canonistarum sententia constans est, patronatus antiquiores Historicorum auctoritate recte probari, modo ii, & antiqui sint, eosque tempus, affectatio, fraus suspectos haud reddat; maxime vero si eamdem rem plures, & eodem modo gestam tradant. Secus enim nil certi quicquam superesset, & humanæ fidei fundamenta subrueret, qui concors Scriptorum testimonium in discrimen adduceret. His autem fundamentis, quoad probationem antiqui patronatus, constat innixas complures Rotæ Romanæ decisiones, præsertim vero *part.* 13. *dec.* 237. *num.* 9. *part.* 18. *tom.* 2. *dec.* 679. *num.* 9. 10. 11. *part.* 14. *dec.* 306. *num.* 5.

Porro, quod ad antiquorum Historicorum fidem in judiciis, extat definitio Honorii III. in *Cap. cum causam de probation.*, res scilicet antiquas recte probari veterum librorum ope, per famam, & per adminicula id genus alia. Extat & Glossa ipsius juris Pontificii in *d. Cap. cum causam*, sic enim ibi a Glossatore monitum: *Nota ergo, quod scriptura librorum antiquorum facit fidem*. In eamque iverunt sententiam *Card. de Luca de jure patron. disc.* 57. *n.* 13., *de præemin. disc.* 2. *n.* 14. *& disc.* 3. *n.* 10., *Lambertin. de jure patron. lib.* 2. *part.* 2. *in* 4. *art. decimæ quæst. princip. n.* 13, *Cassan. in Catal. par.* 10. *consid.* 46. *circa fin.*, *Surgen. Neapol. Illustr. cap.* 12. *n.* 1., *aliique sexcenti*; alterum vero Fisci argumentum majoris adhuc momenti visum. In termino enim probationibus præstituto, per testes, virosque in eo studiorum genere peritos, renunciatum est, in ædificio S. Antonii Viennensis Andegavensium Principum arma pluribus in locis inspici marmore, vel ligno insculpta, in interna, externa Templi fronte, ac pro ipsis Ecclesiæ foribus. Ea res rite adprobata pro Regio patronatu sententiam ne-

necessario visa est exposcere. Nimirum exploratum est, vetustissimum institutum fuisse illud, legibus Principum, veterumque Patrum consensu firmatum, quo prædiis, seu rusticis, seu urbanis, titulos suos affigebant domini; id certissimum dominii monumentum censuere veteres. Ita eorum affigendorum copiam unis dominis fecere leges. Ad liberalitatem etiam in publicum excitandam id ipsum concessum illis, qui pecunia sua opus aliquod extruxissent, vel ab alio inchoatum absolvissent, *L.* 2. *ff. de oper. publ.* Porro affixos prædiis titulos argumentum fuisse dominii ipsi Ecclesiæ Patres & ingenue sunt professi, & veluti certissimam juris regulam passim id prædicant. Hinc Divus Petrus Chrysogonus *serm.* 164. ita profatur: *Dominos prædiorum affixi tituli proloquuntur*. Et Divus Augustinus in *Psalm.* 21.: *Quando aliquis potens invenerit titulos suos, nonne jure suo rem sibi vendicat?* Id autem adeo certum fuit jure civili, ut quemadmodum a proprio prædio privatim dominus detentorem non posset expellere, ita neque proprio prædio per alium inique detento privatim titulos suos ei liceret imprimere, *L.* 2. *C. ut nemin. liceat*. Id non aliunde cautum, nisi quia privatim sibi dominium vindicare videretur, qui in prædio suo titulos privatim imposuisset; affixi enim tituli, cum possessione dominium transferre, publice credebantur.

Quod autem privati homines, id potiori jure Principes factitarunt; quamplurimis enim juris locis est proditum, Principes rebus suis, seu privatis, seu sacris, titulos affixisse suos, ut ipsorum adspectu res ad Principem pertinentes dignoscerentur, eisque digna principali numine reverentia præstaretur. Hinc privati reperti, qui rebus suis titulos principales imprimerent, seu Regiam tutelam ostentaturi, seu ut prædiis suis reverentiam principalem conciliarent. Eam igitur audaciam impunem non reliquerunt Honorius, & Theodosius, & publicis juribus jusserunt deputari prædia, quibus dominici tituli præscripti forent, *L.* 1. *C. ut nemo privator.* Constat igitur ab antiquissimis usque tem-

temporibus tam privatos homines, quam Principes ipsos prædia titulis insignire solitos.

Jam vero eorum exemplo, qui opera publica extruxissent, idem quoque juris Christianis elargiri placuit, qui aut Templa, aut Ædiculas de suo fundassent. Ita Ecclesiis quoque tituli inscribi cœpti. Id jus fundatores sacrarum Ædium avidius usurparunt, seu ad munificentiæ, seu ad quasi dominii ostentamentum; nam sub incunabula patronatus, fundatores Ecclesiarum in eas jure veluti dominii censebantur, nec aliunde fortasse veteres Canones *dominos* fundatores appellant, & Ecclesias ipsas titulorum appellatione designant.

Illud etiam constat, sequioribus Sæculis arma, seu insignia, quæ vocant, in veterum titulorum successisse locum, teste *Surgente* in *Neap. Illustr. cap.* 20. *n.* 7.: quod & luculenter adnotavit *Cassan.* in *Catal. part.* 1. *concluf.* 55. Ita quemadmodum Christiani veteres Ecclesiis a se constructis titulos suos præfigere solebant, sequioris etiam ævi fundatores Ecclesias a se fundatas familiæ suæ armis insigniebant. Ex veteribus autem Canonibus argumento desumpto, veluti ex compacto statuere Doctores, jus esse fundatoribus Ecclesiarum quocumque in Ecclesiæ constructæ loco arma sua familiaria sculpere, ac pingere. Ea *listras* appellant Gallicani Scriptores. Hinc in armorum, seu listrarum insignibus certissimam fundationis probationem constituere Doctores omnes, quos recenset, & sequitur Franciscus de Roye in *tract. de jurib. bonor. lib.* 2. *cap.* 3. Re autem accurate perpensa, Vir clarissimus ita pronunciat: *Ex quibus omnibus patet, fundatorem intra, & extra suam Ecclesiam listras, quæ loco sunt titulorum, imaginum, & inscriptionum, habere posse, quod est veluti symbolum, & memoria præteriti dominii. Et hinc listra per totam Ecclesiam depicta certissime indicat, quis sit ejus fundator, quippe quæ ei soli competat intra, & extra Ecclesiam.*

His utique argumentis perpetuo a Rota Romana decisum constat, arma familiæ antiquis Ecclesiæ marmoribus sculpta luculenter probare fundationem, & jus patronatus, præ-

præfertim vero *part.* 1. *dec.* 13. *n.* 3. *dec.* 518. *n.* 2. *part.* 2. *dec.* 374. *n.* 7. *dec.* 548. *n.* 7. *part.* 9. *dec.* 115. *n.* 5. *part.* 17. *dec.* 139. *n.* 5. Habetur idipfum in Gloffa juris Pontificii in *dict. cap. cum caufam de probat. verb. per libros antiquos*, & apud Lambertinum, Gratianum, Ripam, Menochium, Rebuffum &c. Iifdem pariter argumentis vifum eft Curiæ, de Regia S. Antonii Viennenfis fundatione conftare, & tam Ecclefiam ipfam, quam Hofpitalem domum inibi conftructam, a Regina Joanna I. fundatam, & dotatam effe; idque præter Hiftoricorum fidem, liquido oftendere Andegavenfia, quæ ibi fuperfunt, arma. Quod probationis genus, utpote a temporibus longe diffitis perpetuo permanens, & in oculos omnium incurrens, merito præ ceteris a jure probatur in *L.* 10. *ff. de probat.*, ubi Marcellus: *Monumenta publica potiora teftibus effe Senatus cenfuit*.

Neque vero ullatenus imminutum in controverfam Ecclefiam jus Principis vifum eft, quia, Ordine Viennenfi apud Nos jamdudum abolito, ea fubinde commendata fuit. Nam, ut paffim in Europa alibi, Patriæ Regni leges, cum reliqua Regalia, tum Regios patronatus præfcriptioni fubeffe non patiuntur. Eo accedit, quod ex uno controverfa Ecclefia fine confenfu Principis, & contra ipfam Bullam Clementis VII. de anno 1523. ab Ordine Viennenfi fuit avulfa, ut commendaretur privatis, commendationis genere apud veteres Chriftianos ignoto; de ejus Ecclefiæ reditibus æquius melius Neapolitani Reges ftatuere poterant, novofque pios ufus præftituere in eorum locum, qui ex Ordinis abolitione ceffaverant. Quæ fane facultas in Ecclefias etiam Principi competit, in quas jure patronatus non utitur. Ea enim infita Principatui eft feu ob tutelam Canonum Principi jure Regio competentem, *Can.* 20. *cauf.* 23. *quæft.* 5. feu ob voluntatis commutationem ad eumdem Principem unice pertinentem, *L.* 4. *ff. de adminiftr. rer. ad Civit. pertin.*

His igitur perpenfis, Curia Ill., & Rev. Domini Regii Majoris Capellani hujus Regni, cum voto Domini Regii Confiliarii D. Dominici Potenza Confultoris, cenfuit, memo-

moratæ Ecclesiæ, juriumque ei hærentium patronatum, vi juris ex fundatione progredientem, ad Regiam Coronam redire oportere; ac proinde inspecta petitione Regii Fisci, *fol.* 1., inspectisque citationibus per edictum, contumaciis incusatis, *fol.* 2. & 8.; probationibus factis, *fol.* 30. *ad* 38.; relatione Peritorum, *fol.* 46. *ad* 51., atque his, quæ pro Regio Fisco sunt allegata, & omnibus actis; ita pronunciavit: *Ecclesiam, sive Abbatiam Sancti Antonii Viennensis extra Portam Capuanam hujus Civitatis a serenissima Regina Joanna I. Andegavensi fuisse fundatam, ac dotatam, eamdemque fuisse, & esse juris patronatus sacræ Regiæ Majestatis; ac proinde redintegrandam esse, & redintegrari debere juxta primævam sui naturam juribus prædictæ Majestatis, cum omnibus ejus Ecclesiis, pertinentiis, corporibus, reditibus, exemptionibus, jurisdictionibus, dignitatibus, & integro statu; & adnumerandam esse, & describendam inter ceteras Ecclesias, Abbatias, & dignitates Regii patronatus.*

In causa reintegrationis Regii juris patronatus super Abbatiis S. Bartholomæi de Carpineto, & S. Mariæ de Casanova in Provincia Aprutina. Die 23. Decembris 1776.

Dos data, ædificatio, fundus patronatum constituunt; immo quilibet ex his titulis ad illum constituendum sufficit. Patronatus vero probatio luculenta oritur ex vetustissimis monumentis, & insignibus.

PEr Cæsidium Gualterium, inhærente Fisco, actio instituta fuit, eaque petitum, ut redintegraretur Regius patronatus in Abbatiam S. Bartholomæi de Carpineto, & Abbatiam S. Mariæ de Casanova apud Aprutios, quos vocant hodie, constitutam. In judicio probatum ab actore fuit, prædictam S. Bartholomæi Abbatiam fuisse fundatam anno 962. per Berardum Liuduno prognatum; eum vero Liudunum, ex Dynastis Longobardis unum, toto Pennensi Comitatui late olim imperitasse; Bernardum autem Liuduni filium, sub ipsa fundationis initia, prædictæ Abbatiæ largiorem constituisse dotem; nam, præter alia, ei concessisse Carpineti, Faræ, & Varlezzi Castra; in ea quoque constituisse Ordinis Benedictini Fratres, Abbatem vero Benedictum cognomento renunciasse; eumdem a Bernardo jussum

Ecclesiam, & Abbatiæ dotem curare; ab eodem Fratribus facultatem relictam, Abbatem in posterum rite cooptandi, ubi primus Abbas fato cessisset. Omnia isthæc in judicio sunt adprobata, partim ipso fundationis instrumento, partim S. Bartholomæi de Carpineto, & S. Clementis Casauriensis Chronicis.

In judicio quoque constitit, Nortmannos Longobardorum in Regno successores in controversam Abbatiam, ac Monasterium jus patronatus exercuisse liberrimum, dotem etiam auxisse; ubi vero Rogerii Regis opera Regni formam Neapolitanæ Provinciæ induerunt, omnibus patronatus juribus in prædictum Monasterium Neapolitanos Principes non interrupta serie usos esse, utrumque Guilielmum scilicet, Tancredum, Henricum VI. Atque hæc ferme omnia vetustissimo quoque S. Bartholomæi de Carpineto Chronico sunt confirmata.

Quod vero ad Abbatiam Sanctæ Mariæ de Casanova penes Cistercienses olim, ostensum in judicio fuit, eam per Margharitam Loreti, & Conversani Comitissam fuisse fundatam anno 1191., ejusdem fundationem ratam habitam, & numeris omnibus absolutam per ejus filium Bernardum prædictarum Terrarum Comitem majoris ætatis jam factum anno 1220.; eamdem vero Abbatiam per prædictam matrem, ac filium Regia fuisse dotatione auctam; ei enim concessa feuda, castra, latifundia ad prædictorum Comitum demania pertinentia. Id apprime liquet ex veteri confirmationis Diplomate prædicti Bernardi anno 1220. scripto; nam in eo quidem tum prima fundatio, cum dotatio, & insequuta Bernardi Comitis confirmatio apertissime memorantur. Clarius adhuc id constitit per inspectionem imaginis hodiedum existentis in Ædicula vulgari cognominato *Regia*, quæ pars veteris Ecclesiæ in præsenti superest: quæ quidem inspectio, & petente actore, & jussu Curiæ ceptata fuit. In ea compertum scilicet, imaginem exhibere Margharitam, & Bernardum Comites venerabundos ad Beatam Virginem, cum inscriptione: *Mater donavit, filius adprobavit*. Ex fide etiam ve-

veterum Historicorum constitit, prædictum Bernardum Loreti, & Conversani Comitem, unum ex veteribus Principibus Nortmannis, fuisse ex ipso Rege Rogerio per fœminam descendentem. Is enim alterius Bernardi traditur fuisse filius, qui fuerat Roberto de Celano prognatus. Hic autem Robertus susceptus fuit a Guilielmo Loreti Comite, & Adelivia, quæ ipsum Regem Rogerium patrem habuit.

Præterea, & illud evictum est, post Nortmannos, & Svevos Principes extinctos sine virili stirpe, Andegavenses Reges in eamdem Abbatiam jus patronatus exercuisse. Sane id aperte constitit per inspectionem ipsius Ecclesiæ, in qua adhuc arma gentilia domus Andegavensis, aurea lilia præseferentia, in antiquissimis ejus parietibus distinguuntur. Quæ res quidem maximum patronatus est argumentum; neque enim præter patronum quisquam arma gentis suæ in quolibet Ecclesiæ loco potest insculpere, uti perpetuo a Rota Romana decisum, præsertim vero *part.* 1. *dec.* 13. *n.* 3. *dec.* 518. *n.* 2. *part.* 2. *dec.* 374. *n.* 7. *dec.* 548. *n.* 7. *part.* 9. *dec.* 115. *n.* 5. *part.* 17. *dec.* 139. *n.* 5. *& Gloss. juris Pontificii C. cum causam, verb. per libros antiquos de probat.*

Illud postremo constitit, anno 1591. Regem Philippum II. per literas suas solicite mandasse ejus temporis Proregi, ut sedulo perquiri curaret patronatus Regni Neapolitani Regios, qui ob iniquiores temporum vices neglecti forent: ex Regiis ea de re codicillis a Prorege & Collaterali Consilio, in Regno pridem abolito, Cameram Summariæ referre jussam sigillatim de Ecclesiis S. Bartholomæi de Carpineto, & S. Mariæ de Casanova: re per Cameram accurate perpensa, Proregi relatum, constare de Regia fundatione Abbatiæ S. Mariæ de Casanova, eique unitam, Abbatiam S. Bartholomæi, quæ Regiam quoque fundationem haberet; id suadere accuratiorem inquisitionem ea de re habitam; proinde sibi videri, libere posse Regem eam Abbatiam conferre, cum primum vacaret; & quod interim Regis arma suspenderentur in ipsius Ecclesiæ foribus. Constat autem Regis arma tunc affixa, etiamnum in foribus Ecclesiæ conspici.

Cum

Cum igitur utriusque Abbatiæ certissimæ fundationes productæ fuerint, & primorum fundatorum jura ad Regem Neapolitanum redierint; Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris censuit, dubitari non oportere de Regio patronatu in utramque Abbatiam. In utraque enim fundatione tituli patronatus omnes conjunctim occurrunt, quorum singuli patronatum gignunt, dos data scilicet, ædificatio, fundus. *Can. filiis 16. qu. 7. cap. nobis 25. de jure patronat. Novel. 57. cap. ult.* Aliunde recepta juris sententia est, quolibet ex prædictis titulo patronatum acquiri, licet is diserte reservatus non fuerit; eumdem semel a Principe acquisitum quicumque immemorabili præscriptione amitti non posse; eam juris regulam non minus fori observantia, quam novissimis Regni legibus inniti. Id firmissimum Curiæ visum, inspecta rei inquisitione Cameræ jussu ceptata anno 1591., ejusdem Tribunalis relatione, comprobatione Collateralis Consilii, & mandatis exinde datis a Prorege, ut proinde res jam olim judicata videri queat. Censuit igitur utramque Abbatiam per injuriam a Romana Curia unitam, & titulo Commendæ collatam, Principis patronatu neglecto, ad Regiam Coronam redire oportere: qua de re visis petitionibus, & instantia Regii Fisci, *fol.* 1. & 2., scripturis exhibitis, & testium depositionibus, *fol.* 13. *ad* 24., 53. *ad* 75., ac omnibus actis in duobus voluminibus; cum voto Regii Cons. D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ita pronunciavit: *Abbatiam S. Bartholomæi de Carpineto, & Abbatiam S. Mariæ de Casanova in Provincia Aprutina, alteram a Principibus Longobardis, alteram vero a Principibus Nortmannis fundatam, & dotatam, fuisse, & esse juris patronatus Sacræ Regiæ Majestatis, ac proinde redintegrandas esse, & reintegrari debere juxta primævam earum naturam juribus prædictæ Majestatis, cum omnibus earum Ecclesiis, pertinentiis, granciis, corporibus, reditibus, exemptionibus, jurisdictionibus, dignitatibus, & integro statu, & adnumerandas esse, & describendas inter ceteras Ecclesias, Abbatias, & Dignitates Regii patronatus.*

In

In causa RR. PP. Basilianorum Monasterii S. Mariæ Matris Domini Nuceriæ Paganorum, & Regii Fisci, de, & super Regio jure patronatus Abbatiæ, & Ecclesiæ S. Mariæ Matris Domini. Die ... Maji 1777.

Augmentum dotis, æque ac dos ipsa, jus patronatus tribuit. Dotasse autem dicitur is quoque, qui licet dotis nomine usus non sit, fundos tamen Ecclesiæ donavit, unde alimenta sumerent Ministri.

Jurisdictionis munus, quo Ecclesia fungitur, Principis concessionem manifestissime indicat; quare & Regium jus patronatus rite, recteque probat.

BAsiliani Fratres Monasterii, & Ecclesiæ, quæ *Mater Domini* vulgo dicitur, ab anno usque 1767., ad judicium provocarunt D. Nicolaum Xaverium Sanctamaria Episcopum Cyrenensem, tunc temporis etiam Abbatem Commendatarium Abbatiæ Matris Domini apud Nucerinos erectæ. Lis per Basilianos instituta eo collineabat, ut Regio patronatui redintegraretur prædicta Abbatia, quæ diu per Romanam Curiam Commendæ titulo concessa fuerat. Mortuo vero anno 1776. Episcopo Cyrenense, judicium ultra processit, instante quoque Regiæ Coronæ Patrono, contra quoslibet qui sua interesse putarent. Ita actorum solemnibus rite expeditis, & probationibus in termino allegatis, haud semel petitum est, ut controversia definiretur.

In probationis termino ex Regiis literis atque aliis documentis constitit, eo loco olim miraculis inclaruisse imaginem Virginis Matris Domini. Iis tactus Petrus Regina militiam ejuravit, nam per id tempus pro Rege Guilielmo II. stipendia faciebat, statimque a Romualdo Salerni Archiepiscopo obtinuit facultatem Ecclesiæ in loco imaginis extruendæ ad Virginis cultum, in qua Fratres accessuri Sancti Benedicti regulam sequerentur, & sanctius Deo præstarent religionis officia. Cum vero Ecclesia fuisset extructa, & complures ad novum institutum amplectendum confluxissent, Petrus Regina, Abbas per eos renunciatus, ægre vitam tolerabat cum suis; nusquam enim fundi aderant, unde alimenta suppeterent. Proinde novus Abbas Guilielmum II. supplici libello adiit, eumque enixe rogavit, ut Regia sua liberalitate consuleret egestati tot hominum, qui ejus Ecclesiæ servitio se mancipaverant. De precibus sibi per libellum oblatis ita in rescripto suo ipse Guilielmus II., *Quatenus dignaremur circa tantorum famulantium pro eorum*

vitæ

vitæ necessariis providere. Porro rescripto suo Princeps significavit, se Petri desideria lubenter excepisse, quia proclivis erat ad liberalitatem exercendam erga Ecclesias. Quapropter Regiis suis literis 17. Julii anni 1178. concessit Ecclesiæ prædictæ rustica quædam prædia, latissime quidem patentia intra territorium Nucerinum & Sarnense, prope Divi Marciani Pagum: eidem quoque concessit jugera quædam ad *Summæ* radices; ut perpetuo ac sine oneribus ea bona ipsius Ecclesiæ nomine a prædicto Abbate possiderentur.

In judicio quoque constitit, Fridericum II. Imperatorem Regio suo Diplomate anno 1220. sub tutelam suam recepisse ejus Ecclesiæ Abbatem, Monachos, & Monasterium; iisdem etiam concessisse & confirmasse startiam & molendinum *Arcupinti*, ut ibi dicitur, & Terras Sancti Marciani, & ad faciendum ibi molendinum, sicut Oddo de Barchicisten Rector Nuceriæ in ipso Monasterio obtulerat, & tradiderat. Eodem denique Diplomate Fridericus ratas haberi jussit reliquas donationes, quæ prædicto Monasterio factæ fuissent, *salvo*, ut ibi legitur, *mandato*, *& ordinatione nostra*.

Innotuit etiam, eumdem Fridericum alio suo Diplomate anni 1234. rursus sub fide & clientela sua suscepisse Monasterium Matris Domini; eidemque iterato confirmasse nedum startiam *Arcupinti*, quæ dicitur, & inibi pistrinum extructum cum aquis, aquarumque decursu, & prædia omnia a Guilielmo II. concessa; sed & fundum alium, cum prædictis prædiis conjunctum, in loco *Filettini*, qui dicitur, pridem Monasterio traditum a prædicto Oddone Nucerino Rectore; & insuper eidem Monasterio concessisse aliam startiam haud procul a Pago Divi Marciani sitam, quam a Monasterii vocabulo *Mater Domini* appellavit. Cum vero postea Fridericus ad demanium suum redire jussisset prædium quoddam vulgo dictum *Fusaro*, indemnitatis Monasterio servandæ causa ei sex uncias annuas a Fisco suo persolvi jussit alio Diplomate, inter probationes allato.

Adprobatum etiam in termino fuit, anno 1268. Carolum

rolum I. Andegavensem sex fundos in territorio sitos Roccæ Pimontis eidem Monasterio elargitum; anno etiam 1415. Reginam Joannam II. jus nundinarum per octo anni dies circa Ecclesiam habendarum Monasterio tribuisse, quas anno 1433. bis per annum haberi concessit, cum opportunæ jurisdictionis usu. Per alia quoque Diplomata cum prædicta Regina, tum Alphonsus, & Ferdinandus Reges, & bonorum omnium possessionem Monasterio confirmarunt, eique suum Mundiburgium indulserunt.

Præterea ex platea seu censu bonorum ad dictam Ecclesiam pertinentium constitit, prædia hodie, ab ea possessa in Divi Marciani pago, & in Nucerino, & Sarnensi territorio a Guilelmi, & Friderici liberalitate profecta, suorum redituum partem efficere longe maximam. Ex eadem quoque constitit, ad prædictam Ecclesiam pertinere Vassallos haud paucos, ejusque jurisdictioni subesse. Monstruosum autem in jure est, sine concessione Principis jurisdictionem in alios exercere quempiam.

Porro licet Abbas Commendatarius libello suo *fol.* 189. contenderit, Regium Patronatum nusquam evinci posse, deficiente Regiæ dotationis titulo; ejus tamen oppositionis nulla ratio videbatur habenda. Nimirum Abbatis oppositio eo redibat, Regia Diplomata generatim omnia nullibi dotis mentionem injicere, & speciales dumtaxat largitates suggerere; jus autem non pati, ut sine dotatione quispiam patronatum in Ecclesiam nanciscatur. Cum tamen non oporteat jus calumniari, neque verba captare, sed qua mente quid dicatur, animadvertere, Abbatis argumentum facile explodi queat. Leges scilicet patronatum ei jubent addici, qui dotem Ecclesiæ dederit; nemo tamen inficias iverit dotis vocabulo ea in re contineri prædia, & id genus alia, unde Ecclesiarum Ministris alimenta suppetant. Igitur ad eum quoque patronatus in Ecclesiam pertinebit, qui Ministris prædia concesserit, licet ea dotis vocabulo non designarit. Sane cum rogante Petro Regina, ut Guilielmus Monachorum sustentationi consuleret, prædia supra memo-

 rata

rata Monasterio concesserit? dotem ei reipsa dedit, licet vocabulo abstinuerit: dos enim fuit ipsa prædiorum collatio, ex quibus annuam sustentationem Ecclesiæ Ministri perciperent. Hinc cavetur jure civili, ut quoties de actu agitur, qui effectu juris dotationem continet, dotis vocabulum negligi impune possit, sive de constituenda dote agatur, sive de tradenda. Rem apprime probat Jurisconsultus in *L.23. ff. de jure dot.* sic enim ibi: *Quia autem in stipulatione non est necessaria dotis adjectio, etiam in traditione tantundem dicimus.* Eam legem ferme clarius ita vertunt Græci Basilicorum interpretes: *Quemadmodum autem in stipulatione necessario non adjicitur*, dotis scilicet vocabulum, *ita nec in traditione.*

Ad hæc Canones ipsi patronatum quidem illis addicunt, qui dotem Ecclesiæ constituerint, sed ea in re non dotis vocabulum, sed rem ipsam spectari jubent. Cum enim dos Ministrorum alimenta, & cetera Ecclesiis necessaria, seu ad sarta tecta servanda, seu ad Dei cultum, complectatur; hinc si qui alimenta Ministris constituerint, & quotidianæ Ecclesiæ necessitati de suo prospexerint, iis Canones patronatum adjudicant, licet in ea re peragenda dotis vocabulum non memorarint. In præsenti controversia decretorius est Canon *Nemo*, *de consecrat. dist.* 1., ibi enim dotis mentione susque, deque habita, jure patronatus uti jubentur generatim omnes, qui quotidianæ Ecclesiarum necessitati de suo consulunt, ii scilicet qui ea præstant, quæ ad luminaria, & ad custodiam, & ad stipendia custodum sufficiunt. Ita etiam Justinianus *Nov.* 57. *cap. ult.* per ea verba patronatus acquisitionem designavit: *Si quis ædificans Ecclesiam, aut etiam aliter in ea ministrantibus alimenta expendens &c.* Quo loco Justiniani mentem ita enunciavit in epitome sua Julianus antecessor Constantinopolitanus: *Si quis Ecclesiam ædificaverit, aut Clericis ex substantia sua annonas dederit.* Quod loquendi genus & ipsi profani Scriptores usurparunt, ut in Aureliano Vopiscus: *Templum solis fundavit, & Pontifices roboravit: decrevit etiam emolumenta sartis tectis, & Mi-*

Ministris: idest, ut ait Salmasius in eum Vopisci locum: *salariis & reditibus opimis annuis eos ditavit, & munivit*.

Ex dictis liquet, ob Guilelmi II. liberalitatem in primæva illa dotatione jus patronatus in controversam Ecclesiam Regibus Neapolitanis fuisse quæsitum. Quod vero ad ceteras largitates juniorum Principum Neapolitanorum superius memoratas, eæ & primam ejus Ecclesiæ dotem auxerunt, & tanquam ab eadem manu Regia promanantes jus Neapolitanorum Regum vehementius confirmarunt. Dotis enim augmentum eodem cum dote jure censeri debet per *L. 8. C. de jur. dot.*; & ex Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 12. *de Reformat.* novum gignit patronatus titulum, ibi enim habetur, patronatum acquiri non posse, nisi ab eo, *qui Ecclesiam construxerit, seu jam erectam, quæ tamen sine sufficiente dote fuerit, de suis propriis & patrimonialibus bonis competenter dotaverit*. Et apertius *sess.* 25. *cap.* 9. *de Reform.*, quo loco sermo est de jure patronatus acquisito, vel acquirendo, *seu ex augmento dotis, seu ex nova constructione, vel alia simili causa*.

Quamvis autem post Reginam Joannam II. nullæ aliæ largitates controversæ Ecclesiæ per Principes Neapolitanos factæ sint allegatæ; cum tamen & ex Ecclesiæ platea, & ex possessione constet, prædictæ Ecclesiæ & olim fuisse, & in præsenti Vassallos esse, in eosque jurisdictione uti; sat inde liquet, per juniores Principes eidem Ecclesiæ alias quoque concessiones fuisse factas. Nam neque Vassalli, neque jurisdictio a privatis hominibus concedi potest. Ea autem jurisdictionis concessio non solum evincit, alia etiam ejus Ecclesiæ bona a manu Regia profecta fuisse, sed & singulari curæ Principibus Neapolitanis fuisse, ut Ecclesia isthæc decoraretur.

Exploratum vero in jure est, cum dotem, tum dotis augmentum jus patronatus afferre, licet illud diserte non reservetur. Rem ita definit ipse Clemens III. *cap.* 25. *de jure patron.* Apertius quoque ea de re loquitur Glossator ad *Can.* 79. *dist.* 1. *de consecr.*, sic enim ibi: *Jus patronatus*

ipso jure debetur, etiamsi non petat, vel in pactum deducat. Id non solum ratio juris jubet, sed æquitas ipsa suadet. Jus enim patronatus dotantibus necessario deferendum fuit, ut mutuum officium exercere videretur Ecclesia adversus eos, qui ex substantia sua dotem Ecclesiis constituerunt. Quod vero privatis non denegatur, potiori jure Principibus concedi debet. Si enim de Principibus agatur, jus patronatus pars juris Majestatici censeri debet. Inde factum, ut in Provinciis Catholicis generatim omnibus Principum patronatus præscriptione, aut inusu amitti nequeant. Eo autem jure & in Regno Neapolitano utimur.

Cum igitur ex controversa Abbatia expulsi fuerint Benedictini Fratres, pro quibus ea ab initio fundata fuerit; cum deinde eadem per Curiam Romanam personis sit commendata, quæ reditibus corradendis unice intentæ, Monasterium & Ecclesiam fatiscere, & pene corruere sunt passæ; cum vero postea Commendatarii in eamdem Abbatiam induxerint Fratres Basilianos, variis pactis in introductione conventis, atque ea potissimum lege, ut pene omnes Abbatiæ reditus Commendatarii sibi retinerent: ea quidem omnia sine consensu Principis ita acta, transacta, abusiva censeri debent, neque ejusmodi ausus juri Majestatis præjudicium creare potuerunt. Quapropter & Abbatiam, & Ecclesiam, & Monasterium ad Regium patronatum redintegrari oportere, Curia Ill. & Rev. Capellanis Majoris censuit; atque visis Regalibus rescriptis, *fol.* 36., & 308.; libellis, *fol.* 185. 194., & 351.; allegationibus, *fol.* 316.; instantiis Regii Fisci, *fol.* 196. *a t.*, & 350.; Regiis Diplomatibus in separato volumine, & omnibus actis; ita pronunciavit, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris: *Abbatiam, & Ecclesiam cum Monasterio sub titulo Matris Domini in territorio Nucerino, stantibus opimis dotationibus prædecessorum Regum hujus Regni, fuisse, & esse juris patronatus Sacræ Regiæ Majestatis, ac proinde redintegrandas esse, & redintegrari debere juxta primævam earum naturam juribus prædictæ Majestatis cum omnibus*

bus earum Ecclesiis, pertinentiis, corporibus, redditibus, exemptionibus, jurisdictionibus, dignitatibus, & integro statu; & adnumerandas esse, & describendas inter ceteras Ecclesias, Abbatias, & dignitates Regii patronatus.

In causa Rev. D. Hyacinthi de Ambrosio, cum Rev. D. Francisco Xaverio Casaro, & Episcopo Neritonensi, de, & super Regio jure patronatus Ecclesiae Cupertini. Die 9. Septembris 1777.

Curia Ill., & Rev. Capellani Majoris sua sententia diei 14. Augusti anni 1775. declaravit: *Ecclesiam Majorem, seu Collegiatam Terrae Cupertini fuisse, & esse Regii juris patronatus; reintegrandam propterea eam esse juribus Majestatis, cum omnibus ipsiusmet corporibus, pertinentiis, juribus, actionibus, praeeminentiis, jurisdictionibus, jure nominandi, sive potius praesentandi, toties, quoties casus vacationis contigerit; registrandamque, seu describendam proinde fore in libris ejusdemmet Curiae. Quoad vero qualitatem, seu praeeminentiam* Nullius Dioecesеos *ipsius Ecclesiae, per eamdem Curiam, Partibus plenius auditis, providendum fore, fol.* 488. & 489. Appellatione adversus sententiam praedictam per Rev. Episcopum Neritonensem proposita, *fol.* 493., Regali diplomate diei 25. mensis Novembris ejusdem anni designatus fuit quond. Regius Consil. Marchio Spiriti Judex appellationis, *fol.* 495.; perque obitum ipsius, mihi (*Reg. Cons. D. Basilio Palmieri*) praefatae appellationis examen commissum est. Inspectis itaque omnibus actis, & Regali rescripto diei 1. mensis Februarii praesentis anni, *fol.* 497., Partibusque auditis, earumque Allegationibus sedulo perpensis, atque consideratis, censeo, definioque, *bene, jure, recteque sententiatum per praelaudatam Curiam fuisse; abs re, maleque appellatum per Rev. Episcopum Neritonensem.*

Confirmatur sententia Curiae, qua ex praesumptiva probatione declarata est Ecclesia Cupertini Regii juris patronatus.

Enim vero praeter rationes in praefata sententia pro firmando Regio jure patronatus supradictae Majoris, seu Collegiatae Ecclesiae Terrae Cupertini optime exaratas, perpensasque, indubitati juris prorsus est, jura patronatus ad eo-

eorundem probationem necessario non requirere fundationum tabulas; verum illa signis, insignibus, seu armis, inscriptionibus, & ut verbo uno absolvam, titulis, ceu viri eruditi ajunt, demonstrari posse; ipse namque Innocentius III., qui, ut loquitur Altesferra, fuit Jurisconsultorum Jurisconsultissimus, paræmiam hanc Canonici juris prosecutus fuit; etenim licet Miles de Tignè fundationis tabulis Parochialis Ecclesiæ de Tignè careret, jusque patronatus ejusdem Ecclesiæ sibi competere, pertinereque contra Capitulum Cathedralis Ecclesiæ intenderet, non abnuit Innocentius III. jus patronatus illius Ecclesiæ Parochialis Militi adscribere, atque addicere, ex eo quia Ecclesia in Villa ipsiusmet militis extructa, atque fundata extabat, ut ex *Epistola* 123. *lib.* 3. regestri ejusdem Innocentii visitur. Verum enim vero prosunt instrumenta, seu fundationum tabulæ ad majorem rei gestæ probationem; monet namque Argentræus *lib.* 1. *Historiæ Britannicæ cap.* 9. quoties desint juris patronatus tabulæ, Clericos beneficiorum acceptorum facillime immemores, ad illud obstinate, perfricteque negandum, & contendendum esse procliviores.

Insignia igitur, seu arma, titulosque alicujus familiæ cuicumque Ecclesiæ, vel Monasterio adpicta, insculptaque, veluti tesseram juris patronatus illius Ecclesiæ, vel Monasterii ipsius familiæ agnoscere non abnuunt iidem prætensæ liberæ beneficiorum, Ecclesiarumque collationis assertores, inter quos Cardinalis quond. Gabriel Palæotus Archiepiscopus Bononiensis Ecclesiæ in Opusculo *de Imaginibus lib.* 1. *cap.* 48. ait, insignia familiarum in ipsas Ecclesias admitti, insculpique, ut inde patronatus jura probentur, tueanturque; nam secus temporis diuturnitate obliterentur, deperderenturque.

Neque alio abiit clarissimus Martinus Magerus in percelebri Opere *de Advocatia armata cap.* 18. *n.* 104.; inibi enim docet, etiamsi insignia Ecclesiis adposita reputandas esse probationes præsumptivas juris patronatus; attamen non secus illa adpingi, atque insculpi consuevisse, ne temporis lapsu,

lapſu, atque diuturnitate tale familiarum jus patronatus obliteretur; eſſeque inſignia veluti ſigna quædam, litteraſque hieroglyphicas breviter, & compendioſe demonſtrantes, quod non videtur, & in memoriam ejus, qui quidpiam egregium, & præclare geſſit, adpoſita. Quodque præſertim omnis dubitationis expers eſt, ſi inſignia Eccleſiis vel Monaſteriis affixa illius ſint, qui juriſdictionem territorialem in loco, ubi Eccleſiæ, vel Monaſteria viſuntur, habuit; evidentiſſime enim tunc ex illis ſignis dignoſcitur, dominum territorialis juriſdictionis dominium Eccleſiarum, Monaſteriorumque habuiſſe, ejuſque inſignia inſculpi curaviſſe, ne deinceps a dominio conſtructoris, ſeu fundatoris, ejuſque heredum, ſucceſſorumque auferantur; ſerveturque in poſterum, quod Canonicis ſanctionibus ſtatutum legitur, nefas eſſe Monaſteria, Eccleſiaſque auferri a dominio conſtructoris, ut ex *Canone* 21. *Concilii Romani anni* 826. ſub Eugenio II., confirmato per Leonem IV. *ann.* 853., obſervare eſt apud Labbeum *tom.* 9. *Conciliorum pag.* 1124., licet Gratianus eum non integrum referat in Canone *Monaſterium* 33. *cauſ.* 16. *quæſtion.* 7.

Adnotavit quoque eruditus vir Theodorus Hopingius in Opere *de inſignium, ſive armorum priſco, & novo jure cap.* 10. *de rebus, & locis, in quibus inſignia pinguntur, & ſuſpenduntur n.* 31. Conſuetudinem pene omnium receptam eſſe, adponi, & inſculpi inſignia Eccleſiis, *ad excitationem* (verba ſunt laudati Auctoris) *& incitamentum exornandarum ædium Sacrarum, & firmandi patronatus tituli fidem*. Atque ut res breviter perſtringatur, nemo tam eruditorum virorum, quam etiam Pragmaticorum omnium diffitetur, inſignia, ſeu arma, vel titulos Eccleſiis, Monaſteriiſque affixa, certam patronatus juris teſſeram eſſe illius familiæ, cujus inſignia, ſeu arma, vel liſtræ, & tituli ſunt, quod etiam conjicere ex *Novella* 67. Juſtiniani Imperatoris licebit.

Hac igitur animadverſione adhibita, cum in facto dubitari nequeat, Eccleſiæ Collegiatæ, ſeu Majori Terræ Cupertini uſque in præſentiarum, inſignia, ſeu arma ſereniſſimo-

morum hujus Regni retro Svevorum Regum insculpta, vel adpicta conspici; hinc certo certius affirmari necesse est, firmiterque tenendum, Ecclesiam prædictam fundatam, dotatamque fuisse vel per Manfredum Regem, vel prædecessores de præclarissima Svevorum familia Reges.

Insuper addendum est id quod firmo stare talo docent viri eruditi, interque hos Antonius Faber *lib.* 1. *Codicis tit.* 2. *defin.* 48. Theodorus Reinkingk *de regimine seculari, & Ecclesiastico lib.* 3. *classe* 1. *cap.* 9. *n.* 45. aliique, Monasteria, Ecclesiasque in Principis territorio extructas, in dubio præsumi fundatas, dotatasque per ejusdem territorii Principem, majoresque suos; propterea ait prælaudatus Martinus Magerus *de Advocatia armata cap.* 18. *n.* 25. Principes, Reges, aliosque magnatum status, juris præsumptione fundatam habere intentionem, Ecclesias in eorum territorio sitas, per prædecessores eorum fundatas, dotatasque fuisse. Ratio autem jure optimo deducitur ab his, quæ Guillelmus Benedicti adnotavit in *Cap. Rainutius de testament.* in verbo *& uxorem, decis.* 1. *n.* 24. videlicet, beneficia non nasci, sed fieri, proindeque ea omnia præsumi patronata; hocque etiam monet clarissimus vir Franciscus de Roye, juris patronatus scientiæ apprime peritissimus, in *Prolegomenis ad tit. de jure patronatus cap.* 15. Et jure quidem merito, nam si Ecclesiæ, beneficiaque non nascuntur, sed fiunt, hoc est, ni per aliquem ædificentur, fundenturque, & dote congrua pro earum substentatione, & divinorum officiorum celebratione muniantur, in rerum natura minime existere posse certum est; ex hac ipsa Ecclesiarum, beneficiorumque fundatione, atque dotatione jus patronatus oriri in propatulo est, prout ipsemet Pontifex, sive sit Alexander III., sive Clemens III., ut alii putant, statuit in *Cap. Nobis* 25. *Extra de jure patronatus*.

Nec obstaculum aliquod facessit id, quod Canonistarum, sive potius Decretalistarum vulgus magno clamore blaterat, videlicet, ex eodem *Cap. Nobis* 25. denegari in Ecclesiis Collegiatis, atque Conventualibus jura patronatus

ex

ex ſola fundatione, & dotatione; ſed perneceſſe requiri in limine fundationis expreſſam eorumdem jurium reſervationem ab Diœceſano approbatam. Parvi faciendum namque eſt ludicrum hoc figmentum, tum quia jure veteri prorſus incognita fuit hujuſmodi reſervatio, ut liquet ex *Canone* 21. ſupralaudati Concilii Romani anni 826., & ex *Canone Abbatem* 4. *cauſ.* 18. *qu.* 2. tum etiam quia, uti monent Carolus Molineus, Franciſcus Florens, Franciſcus de Roye, aliique viri eruditi in *notis* ad idem *Caput Nobis* 25. minime de Principum, ceterorumque præclariſſimorum hominum fundationibus Pontifex in præcitato capite oblocutus fuit, ut ex ejuſdem verbis liquido inferunt; tum denique, quia, ut optime advertit doctiſſimus, clariſſimuſque nuper laudatus Franciſcus Florens in eruditiſſimo Commentario ad *lib.*1. *Decretalium tit.* 6. *de electione*, & *Electi poteſtate*, *pag. mihi* 151. *tom.* 1. *edit. Pariſienſis anni* 1679. Reges Galliæ, Angliæ, Hiberniæ, Siciliæ, Hiſpaniarumque, neglecto novo Decretalium jure, & præcipue dicti *Capitis Nobis* 25. jus antiquum retinuerunt, præſertim in Prælatorum electionibus, poſtulationibus, translationibus, itemque in Epiſcopis, Metropolitanis, vel Primatibus inſtituendis; quodque magis, magiſque locum ſibi vendicat in Apuliæ Rege, qui ex atteſtatione Gloſſæ in *princ. quæſt.* 7. *cauſ.* 16. verbo *Eccleſias*, per Correctores Romanos non expunctæ, immo ab Gregorio XIII. per Bullam anni 1580. approbatæ, *poteſt dare Eccleſias, cui vult, præter auctoritatem Epiſcopi*, habetque collationem omnium beneficiorum in Regno exiſtentium.

Ex hucuſque prænotatis liquido inferri licet, nefas eſſe contendere Eccleſiam Majorem, ſeu Collegiatam Terræ Cupertini fuiſſe, & eſſe Regii patronatus juris; proindeque jure merito reintegrandam Regiæ Coronæ hujus Regni; interque cetera majora jura Majeſtatis, inque eorumdem albo adnotandam, deſcribendamque fore, ne in poſterum, ut prælaudatus Argentræus monet, per Clericos beneficiorum immemores iterum denegetur contendaturque, ut ex aliis hujus Regni pene innumerabilibus exemplis, non ſine ma-

ximo cordatiorum virorum conquestu, colligere pariter, ac deplorare licet.

In causa Rev. Canonici D. Angeli Brocchi, & Regii Fisci, cum Reverendiss. Episcopo Aquini possessore super Abbatia S. Petri in Campeja. Die 23. Decembris 1777.

Multiplicatæ præsentationes jus patronatus, præsertim Regium, recte probant: quod quidem nullius generis præscriptioni subjacet.

CAnonicus Angelus Brocchius anno 1770. ad judicium provocavit, ut redintegraretur jus patronatus Regium in Abbatiam sub titulo Divi Petri a Campeja, ab Episcopis Aquinatibus diu detentam. Eam ob rem citationes per edictum adversus eos sunt expeditæ, qui sua interesse crederent. In judicio adfuit hodiernus Aquini Episcopus contendens, actorem judicio arcendum, quia ejus actio omni juris specie destituebatur. Ea de re Rex augustissimus interpellatus, justo judicio decerni jussit litteris suis ejusdem anni sub die 28. mensis Aprilis. Ita & ad producenda documenta sua Aquinati Episcopo concessæ dilationes, & ad probationes venire jussæ sunt partes in termino litigantibus indulgeri solito. Judicio rite ordinato, tum prælictus Brocchius, tum Regius Fiscus exposcunt, ut Abbatia cum ipsa ejus collatione faustissimo Regi nostro restituatur. Contra Episcopus Aquini petit, ut ab injusto judicio absolvatur.

Principio scripturis allegatis adprobatum est, inclinante Sæculo XVI., cum Abbatia, de qua agitur, ad Regium patronatum pertineret, quemdam audacissimum Episcopum Aquinatem clandestinos libellos offerri curasse; in eis Pontifici exposuisse, Episcopales suæ Mensæ reditus tenues esse, & ab eodem petiisse, ut suæ Mensæ adjiceretur Abbatia Divi Petri a Campeja, curæ ecclesiasticæ, & conventus expers; eumdemque Episcopum dolose reticuisse, in eam Abbatiam jus patronatus Regi competere, aut saltem ab ipsius Regis Ferdinandi temporibus ejus conferendæ possessionem penes Regem Neapolitanum fuisse. Ita quidem Aquini Episcopus petitam unionem a Pontifice obtinuit, & Abbatiam occupavit. Rescriptum vero Pontificium neque qui-

quibus oportebat exhibuit, neque placetandum curavit. Nec insuper unus ex Regiis Ministris extitit, qui Episcopi facinus impediret, aut adversus eum irrogaret audaciæ suæ pœnas.

Quod autem Abbatia Divi Petri a Campeja ad Regium patronatum pertinuerit, ex productis documentis clarissime evincitur. Primo enim ex illis constat, non amplius in prædictæ Abbatiæ Cœnobio versantibus Fratribus Benedictinis, literis suis 31. Maji anni 1484. Regem Ferdinandum declarasse, a pluribus retro annis se contulisse beneficium Divi Petri a Campeja Petro Dogna Cantori suo, ad Regiæ Capellæ suæ patronatum pertinens: graviterque se ferre, ob Cantoris absentiam ejus beneficii reditus multum detrimenti cœpisse. Proinde idem Ferdinandus demandavit Hieronymo Canaletto, ut beneficio restitui curaret bona omnia, fructus, & reditus; futuras exactiones pro Fisco Regio fieri mandatum; si quid autem solutum esset inter Cantoris absentiam, id ipsius Regii Fisci nomine condici jussum, eique restitui.

Præterea constat, post annum 1484. ab eodem Rege eam Abbatiam Joanni Paulo Bonifacio fuisse collatam. In compertis est enim, ultro ea se abdicasse Paulum Bonifacium; die autem 5. Junii 1506. Consalvum Cordubensem, Ducem cognomento Magnum, vacantem Abbatiam vice Regia contulisse Clerico Bernardino Bonifacio, addito, eam Regiæ collationis esse. Liquet etiam, die 20. Januarii anno 1512. Franciscum Remulines, Legatum, sive Locumtenentem generalem in Regno, Surrenti Cardinalem, eamdem Abbatiam Bernardini morte vacantem Ferranti Bonifacio concessisse: die quoque 12. Augusti 1520. Proregem Raymundum de Cardona eamdem Ferrantis morte vacantem contulisse Scipioni Bonifacio; die etiam 15. Februarii 1531. Cardinalem Pompejum Columnam eamdem Abbatiam morte Scipionis vacantem dedisse Hieronymo Spes, juxta litteras Caroli V. signatas die 22. Decembris 1530. Sed & die 21. Aprilis anni 1554. Cardinalis S. Balbinæ Petrus

Pacecco Locumtenens in Regno generalis contulit Alphonso Villalopez eamdem Abbatiam vacantem obitu Cæsaris Vicedonii. Die quoque 31. Martii anni 1569. Prorex Parafan de Ribera concessit Octavio Floccari eamdem Abbatiam vacantem morte Bernardini Coye, qui auctoritate Principis eam fuerat assecutus. Præterea die 23. Decembris anni 1579. Prorex Joannes de Zunica Petreperfiæ Princeps contulit Evangelistæ Scalpello eamdem Abbatiam, de qua ultro se abdicarat prædictus Octavius. Tandem die 14. Novembris anni 1591. Prorex de Zunica Mirandæ Comes concessit Joanni Sabater eamdem Abbatiam jam vacantem post obitum prædicti Evangelistæ. In omnibus autem concessionibus hactenus enarratis illud singulare est, quod in eis diserte memoratur, Abbatiam Regiæ collationis esse.

Jam vero post vetustiores Canones ipsa Tridentina Synodus definivit *sess.* 25. *cap.* 9., si de beneficiorum fundatione non liqueat, *ex multiplicatis præsentationibus jus patronatus recte probari*. Quis igitur in dubium revocare auserit jus patronatus Regium in Abbatiam Divi Petri a Campeja? Id enim juris Principi afferunt ipsæ duodecim collationes per Neapolitanos Principes non interrupta serie concessæ. Tot enim collationes controversæ Abbatiæ per eos factæ inveniuntur a Regis Ferdinandi Regno ad annum usque 1591., quo per summam injuriam a patronatu Regis ea fuit avulsa. Quod si Concilii Tridentini superior definitio in privatorum patronatibus adprobandis in foro passim admittitur, potiori jure admitti debet in confirmandis patronatibus Principum, a quibus præsumendum est, Ecclesias, & Monasteria fundata esse, & quorum jura per alienam fraudem sæpe sunt intercepta.

Porro alio adhuc argumento evincitur, controversam Abbatiam ad jus patronatus Regium pertinere. Regiis scilicet Philippi II. codicillis cautum fuerat, in unum librum conferri Ecclesias generatim omnes, in quas Regius patronatus ei competeret. Id executioni mandatum per Regiam Cameram, quæ exquisitissime investigavit id genus Ecclesias, ut

ut ad Principem alibi agentem earum censum transmitteret. In relatione autem ad Proregem missa anno 1566. inter Regii patronatus Ecclesias Abbatia etiam Divi Petri a Campeja adnotata fuit. In registris quoque Ecclesiarum ejus generis per Regiam Cameram institutis ann. 1591. 1592. & 1593. perpetuo descripta fuit Abbatia isthæc cum reditibus suis, qui per id temporis ad annuos ducatos centum sexagintasex pertingebant.

Cum igitur statim post annum 1594. controversa Abbatia per fraudem sit occupata, quo tempore justa ejus possessio cum patronatus exercitio ad Principem pertinebat: ejus autem occupatio dolo malo contigerit; nil quicquam impedimento esse potest, quominus ejusdem patronatus Coronæ Regiæ restituatur, cujus jura quacumque temporis præscriptione leges non patiuntur imminui.

Neque vero ulla ratio eorum videbatur habenda, quæ regerebat Aquini Episcopus. Quod enim dicitur, in registro taxationum Cameræ Pontificiæ ann. 1314. Abbatiam Divi Petri a Campeja de Ordine Benedictino fuisse taxatam in florenis trigintatribus, & una tertia; in registris etiam obligationum Cameralium, quæ in Archivo secreto Vaticano asservantur, inveniri, Abbates Divi Petri a Campeja ann. 1344. 1377. 1389. & ann. 1459. promisisse *pro suo communi servitio florenos trigintatres, & una tertia, & quinque servitia familiæ consueta*: id quidem refertur ad tempus, quo Monasterium extabat, extabant etiam Abbates regulares. Per id autem temporis quo jure, quaque injuria Fiscus Pontificius ab iis omnibus collationes exigebat?

Futile quoque videri debet argumentum desumptum ex registro epistolarum Apostolicarum in eodem Archivo Vaticano secreto asservato. Inde scilicet liquere, ait Episcopus Aquini, Clementem VII. ann. 1345. literis suis Avenione expeditis, Campejensi Abbate mortuo, dispositioni Sedis Apostolicæ reservasse electionem idoneæ personæ, quæ Campejensi Monasterio præsideret: ei vero regendo Pontificem destinasse quemdam Nicolaum Andream, qui eam Ab-
ba-

batiam flagrantiſſime concupiverat. Id enim referri quoque debet ad tempus, cum exiſtebat Monachorum Conventus, & Abbatis electionem a Fratribus fieri oportebat. Ea autem reſervatio, & Abbatis deſtinatio a Pontifice facta, ut gratificaretur ambitioſo homini, juris Canonici fundamenta ſubvertebat; quin haud facile definiri queat, num reſervatio iſthæc & Abbatis deſtinatio a Pontifice facta executionem in Regno obtinuerit. Veroſimilius videri debet, Pontificiam ea de re Bullam fuiſſe exitu inutilem. Sane in aliis vacationibus numquam in poſterum reſervatio iſthæc Abbatis executioni mandata fuit. Neque enim ejus executionis veſtigia uſquam occurrunt.

Quod autem ex ejuſdem Archivi ſecreti Vaticani regiſtris oſtendit Aquini Epiſcopus, Pontificem Pium II. literis Mantuæ expeditis idem Monaſterium commendaſſe, vacans per obitum Petri Alabaſtrieri, in favorem cujuſdam Stephani de Comitibus; quod etiam verba Pontificis eam facultatem ſibi afferentia producit ex ejuſdem Pii Bulla, ſic enim ibi: *Romanus Pontifex, cui Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium ſollicitudo incumbit, illorum prout poteſt diſpendiis obviat, & de ipſorum regimine, prout temporum, & perſonarum qualitates exigunt, nonnumquam diſponit, eiſdemque perſonis providet, ſicut illorum ſtatui, & neceſſitati conſpicit expedire:* quod ita præfatus addit Pontifex *providere ſe velle tam eidem Monaſterio de Gubernatore utili & idoneo, quam dilecto filio Stephano de Comitibus de aliquo ſubventionis auxilio:* quod indidem quoque probat mandatum Epiſcopo Verolenſi, ut ſi nondum Campejenſis Monaſterii Abbas deſignatus eſſet, id commendaret Stephano de Comitibus ea lege, ut ibi exiſtentium Fratrum numerus non poſſet imminui; de reditibus vero, qui ex Monachorum alimentis ſupereſſent, arbitrio ſuo ſtatueret: quod adhuc oſtendit, Paulum II. anno 1466. ob mortem prædicti Stephani *infra dietam unam ab Urbe Romana* commiſiſſe Vicariis Segnenſis, & Aquinatis Epiſcopi, ut commendarent Monaſterium Divi Petri a Campeja Joanni de Comitibus Segnenſis Diœceſis Clerico, eadem

dem quoque lege, ne Fratrum, *si qui ibi existerent*, numerus imminueretur (jam enim pro solito commendationum effectu Monasterium dissolutum fuerat): quod ex eodem Archivo quoque confirmat, ob renunciationem prædicti Joannis, Sixtum IV. anno 1475. concessisse idem Monasterium Commendationis titulo Georgio de Rovere Anagnianensi Canonico., in concessione aperte per Pontificem addito, se commendare *prædictum Monasterium, quod Conventu caret*, utpote Monasterio jam dissoluto; quod denique ostendit Aquini Episcopus, anno 1487. Innocentium VIII. idem Monasterium per mortem prædicti Georgii vacans contulisse Stephano de Urzellis, cum eadem declaratione, illud Conventu carere: ea quidem omnia ejusmodi sunt, ut ad Episcopi Aquinatis jura tuenda nullatenus attineant.

Nimirum quæ congerit memoratus Episcopus eo apprime pertinent, ut ostendant, quibus initiis dissolutum sit Monasterium Divi Petri a Campeja. Sane eo commendationis genere invidiæ pleno, & veteribus Christianis ignoto, Monasterii reditus Abbatis Commendatarii deprædationibus fuerunt exposita. Ita, Fundatoris pia mente neglecta, Monasterii dissolutio, & Monachorum segregatio evitari non poterat. Neque enim tenuitas illa redituum suffectura erat & Monachis sustentandis, & aviditati Abbatum explendæ. Hoc autem dempto, Monasterii scilicet dissolutione ob Commendatariorum supervenientiam, in comperto est, ceteras omnes Pontificias provisiones effectum in Regno non fuisse consecutas. Neque aliunde ratio reddi potest, cur Abbates per Pontificem renunciati, tam frequenter Abbatia Campejensi se abdicarunt, & post resignationem alterius, Abbatia statim alteri commendata fuerit. Per id scilicet temporis videbat Ferdinandus in Monasterio Monachos amplius non versari; ejus autem reditus a Pontificio Commendatario per summam injuriam absumi, deglutiri. Res igitur eo redierat, ut ex veteri instituto Abbatis electio fieri non posset. Ita opportunissimum censuit jus patronatus Regium in Ecclesiam, & Monasterium desertum exercere per ejus collatio-

tionem factam Petro Dogna Cantori suo. Ita cohærent omnia, & tot Ecclesiæ, & Monasterii vices facile intelliguntur.

Sane si recte rationes ineas, Monasterii dissolutio commendationem a Pontifice cœptatam statim est consequuta. Id & in aliis commendationibus a Pontificibus fieri solitis frequenter contigit, & superius exposita rei series in hoc quoque Monasterio factum evincit. Ea commendatio primum concessa fuit Stephano de Comitibus anno 1459., quo tempore Monachi in Monasterio adhuc agebant: commendatio ea lege facta, ne Monachorum numerus imminueretur. Eadem deinde commendatio concessa Joanni de Comitibus anno 1466. Jam prior Abbas, quæ ejus fortasse fuit aviditas, Monachos, aut omnes, aut partem certe maximam expulerat. Proinde in altera commendatione Joanni concessa in Bulla additum fuit, ut Monachi non imminuerentur, *si qui sunt*. Ad id autem tempus referri debet Ferdinandi collatio, quam ejus Regiæ literæ exhibent anni 1484. Sic enim ibi: *Nui intendimo, che li frutti, ed introiti spettantino al Beneficio de S. Petro de Campea per la absenzia de Donno Petro Dogna Cantore nostro, al quale più anni sò conferivimo dicto Beneficio, per essere jus patronato della nostra' Cappella, sono quasi dispersi, annichilati, & indebite alienati in potere de multe persone, lo che ne dispiace grandemente per lo interesse de nostra Corte*. Si enim per Ferdinandum collatio facta fuerat diu ante annum 1484., fat inde liquet, eam ad tempus Joannis de Comitibus referre oportere. Quoniam vero eodem anno in manu Regia Abbatia erat, & mox insequutis temporibus adhuc in Regis arbitrio fuit, ut constat ex perpetuis collationibus per Principes Neapolitanos factis ad annum usque 1591.; inde sine dubio deduci debet, collationes per Pontifices factas seu Joanni de Comitibus, seu Georgio de Rovere anno 1478. sive Stephano de Urzellis anno 1487. alteri per resignationem alterius, & numquam executioni fuisse mandatas, & exitu fuisse inutiles. Cum enim Abbatia foret penes Abbates a Principe renunciatos, ec-

eodem tempore penes Commendatarios Pontificios ea esse non poterat.

Postremo perperam Aquini Episcopus in hoc argumento se tuetur exoleto præscriptionis effugio. Vulgatum est, jura Majestatis, inter quæ Regii quoque patronatus referri debent, ne millenariæ quidem præscriptioni subesse. Id juris publici principium passim ubique obtinet, & pluribus augustissimi Ferdinandi rescriptis est confirmatum.

Cum vero irrita ab initio fuerit controversæ Abbatiæ unio, qua eam Clemens VIII. Aquinati Episcopali Mensæ adnexuit, nullas enim Canones haberi jubent uniones quarumlibet Ecclesiarum, quæ ad alterius jus patronatus pertinent: necessario inde consequitur, Abbatiam Divi Petri a Campeja cum bonis, & omni causa, ad Coronam, unde fuit avulsa, & ad Regium patronatum redire oportere. Cumque ex inveterata consuetudine, ob perpetuas scilicet, & non interruptas collationes a temporibus Regis Ferdinandi ad annum 1591. jus quoque conferendi memoratam Abbatiam, quæ sine cura est, ad Regiam Majestatem pertinuerit: palam est, quo in integro ponantur omnia, jus idem collationis in redintegratione debere comprehendi. Hinc Curia Ill., & Rev. Capellani Majoris inspectis petitionibus, *fol.* 16., 19., *&* 53., Regali rescripto, *fol.* 14., scripturis exhibitis, *fol.* 7., 8., 10., 11., 41. *ad* 52., 78., 79., 22. *ad* 39., 76., 94. *ad* 106., decreto termini, *fol.* 59., articulis, *fol.* 88. *ad* 90., testium depositionibus, *fol.* 107. *& seq.*, ac omnibus actis; ita pronunciavit, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris: *Abbatiam Sancti Petri de Campeja in Diœcesi Aquinatensi fuisse, & esse Regii patronatus, ac proinde redintegrandam esse, & redintegrari debere juribus Majestatis, cum omnibus ejus bonis, juribus, reditibus, Ecclesiis, Granciis, & cum jure collationis, & integra causa; eamdemque Abbatiam describendam esse, & describi debere inter ceteras Ecclesias, & Abbatias Regii patronatus, oppositis ex parte Rev. Episcopi Aquinatensis non obstantibus.*

In causa inter Ill. Marchionem Pescopagani, & Eminentiss. Cardinalem D. Petrum Panfilii. Die 7. Januarii 1779.

Regii juris patronatus Abbatia declarata, ejusdem juris censentur *Granciæ*, sive membra illius.

CUm a nostra Curia fuisset declaratum, Abbatiam S. Laurentii in Tufara, fuisse, & esse de Regio jure patronatus mediato, & annexo feudo Pescopagani, idemque jus competiisse, & competere Baroni dictæ Terræ; ideoque hodiernum ejusdem Terræ Marchionem manutenendum esse, & quatenus opus, reintegrandum in possessione juris nominandi ad dictam Abbatiam: institit exinde dictus Marchio, inhærente etiam, & instante Fisco Regalis Coronæ, ut pariter declararetur, Ecclesiam S. Mariæ *della Mattina* Terræ Andrettæ, ac Ecclesiam S. Nicolai Terræ Caletri, cum earum redditibus, juribus, & pertinentiis, fuisse & esse *Grancias*, sive membra ejusdem Abbatiæ S. Laurentii in Tufara. In ea facti quæstione memoratus Marchio protulit hujusmodi perlucidas probationes. Instrumenta scilicet locationis redditūum integræ Abbatiæ S. Laurentii in Tufara de anno 1571., & de anno 1603., in quibus disertis verbis comprehenduntur redditus duarum *Granciarum* S. Mariæ *della Mattina* Terræ Andrettæ, & S. Nicolai Terræ Caletri, utpote ad eamdem Abbatiam pertinentes: relationem anno 1632. ab Archipresbytero Terræ Andrettæ scriptam ad Archiepiscopum Compsanum, cum descriptione Ecclesiarum in ea Terra existentium, in qua retulit, inter alias, Ecclesiam S. Mariæ *della Mattina Granciam* Abbatiæ S. Laurentii in Pescopagano de jure patronatus familiæ Gesualdo: visitationes anno 1644. & anno 1654. peractas ab Archiepiscopis Compsanis, in quibus relatum fuit, Ecclesiam S. Laurentii de Tufara habere aliquas *Grancias*, videlicet, Ecclesiam S. Mariæ *della Mattina* Terræ Andrettæ, & Ecclesiam S. Nicolai Terræ Caletri: ac demum inscriptionem anno 1664. in marmore sculptam in Ecclesia S. Mariæ *della Mattina* Terræ Andrettæ, qua memoriæ proditum fuit, qu. Cardinalem Ludovisium Abbatem S. Laurentii in Tufara restaurationes quasdam in dicta Ecclesia S. Mariæ *della Mat-*

Mattina fieri curasse. Cum igitur satis superque ea testimonia actoris intentionem probaverint, neque ex parte rei conventi quicquam productum fuerit ad ea infrigenda, visum est Curiæ sententiam ferre secundum actorem, itaut ordinata reintegratio memoratas etiam *Grancias* complectatur; quod enim de toto judicatum est, id pariter decerni oportet de parte *L.* 113. *ff. de reg. jur.*, ac proinde Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris sub oculis habens libellos, *fol.* 1. in actis reclamationis, instantiam Fisci, decretum Regalis Cameræ S. Claræ, comparitionem, memorialia, *fol.* 16. *a t.*, 19. 20. 31., *&* 32. *eod. proc.*, scripturas exhibitas in processu: *pro Abbatia S. Laurentii in Tufara*, ac omnia acta in duobus voluminibus; ita pronunciavit, cum voto Domini Regii Consil. D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris: *Ecclesiam S. Mariæ* della Mattina *Terræ Andrettæ*, *necnon Ecclesiam S. Nicolai Terræ Caletri*, *cum earum redditibus*, *juribus*, *&* *pertinentiis*, *fuisse & esse* Grancias, *sive membra Abbatiæ S. Laurentii in Tufara*, *ac proinde stante declaratione jam facta quoad jus patronatus Regium mediatum dictæ Abbatiæ*, *ac reintegratione ordinata favore Ill. Marchionis Terræ Pescopagani in jure nominandi*, *&* *præsentandi*, *eadem declaratio*, *&* *reintegratio exequatur etiam quoad dictas duas* Grancias. *Verum pro decisione judicii reclamationis adversus Regium* exequatur *interpositum sub die* 21. *mensis Junii* 1756. *favore Reverendiss. Cardinalis D. Petri Pamfili*, *partes adeant Regalem Cameram S. Claræ*.

In causa Ill. Marchionis Terræ Campilactarii, *cum Civibus Terræ prædictæ*. *Die* 7. *Januarii* 1779.

Visis omnibus actis, Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ejusdem, declarat: *Ecclesiam Archipresbyteralem Terræ Campilactarii*, *sub titulo SS. Salvatoris*, *fuisse*, *& esse de Regio jure patronatus mediato*, *illudque*, *tamquam annexum feudo Campilactarii*, *competiisse & competere Ill.*

Multiplicatæ præsentationes jus patronatus probant Decimarum præstatio, quas dominicales esse non constat, decerni debet, prout opus est Ecclesiæ.

Ill. Marchioni dictæ Terræ; & tam hodiernum Ill. Marchionem, quam ejus in feudo successores manutenendos esse, & manuteneri debere in possessione seu quasi juris præsentandi ad dictam Ecclesiam Archipresbyteralem toties, quoties casus vacationis acciderit. Quod vero ad exactionem decimarum in actis deductarum, fiat relatio per Cancellarium Curiæ, partibus requisitis, quantitatis pecuniarum, quæ percipitur quolibet anno ex dictis decimis, facta coacervatione per decennium; ac etiam onerum, & expensarum, quibus subjacet dicta Ecclesia Archipresbyteralis, ad finem providendi.

Censuit enim Curia de jure patronatus non esse ambigendum, cum liquido constet, Barones Terræ Campilactarii fuisse in possessione præsentandi ad dictam Ecclesiam Archipresbyteralem continuatis vicibus per annos pene biscentum viginti, videlicet ab anno 1570. usque ad præsens. Atqui post vetustiores Canones ipsa Tridentina Synodus definivit *sess.* 25. *cap.* 9. si de beneficiorum fundatione non constet, ex multiplicatis præsentationibus jus patronatus recte probari. Pro eo vero quod attinet ad exactionem decimarum, pro qua Universitas consensit in Judicem, comparitione præsentata penes acta hujus Curiæ sub die 15. Martii 1777., *fol.* 85., cum liqueat quidem esse de mensa feudi modium unum frumenti, quem percipit Baro terragii nomine ex singulis undecim, qui recolliguntur in territoriis dictæ Terræ; alterum vero modium, quem solvunt Coloni Rev. Archipresbytero similiter ex singulis undecim nomine decimarum, ultra terragium Baroni debitum, plane non liquet processisse pariter ex mensa feudi: iccirco censuit Curia modum exactionis hujusmodi decimarum decernendum esse prout opus est dictæ Ecclesiæ Archipresbyterali, ejusque Ministris; quod quidem referendum est a Cancellario Curiæ.

In

In causa D. Francisci Caraccioli, Abbatis Regalis Abbatiæ Casauriensis S. Clementis in Piscaria, cum Rev. PP. Cælestinis Murronensibus, D. Horatio Matthæi, & aliis. Die 9. Julii 1779.

Regio patronatu redintegrato in Abbatiam Casauriensem Pescaræ sitam, Abbas, per Principem nominatus, petiit libello suo, ut eidem Abbatiæ restituerentur Pesculi, & Corvariæ Castra, & Ecclesia S. Mariæ in Blesiano, quam vocant, in territorio Aprutino. In ejus enim Ecclesiæ, ac prædictorum Castrorum possessione sunt Cælestini Patres de Murrone, ob emphyteusim cum ipsis initam a Bibliothecæ Vaticanæ Custodibus. Pridem scilicet Romana Curia, Abbatia seu divisa, seu deminuta, Castra isthæc cum prædicta Ecclesia ab ea deliberaverat: indidem quoque separatam Præposituram conflarat sub Sanctæ Mariæ Ambrosianæ titulo, eamque prædictæ Bibliothecæ Custodibus possidendam dederat.

Quæ partem constituunt Abbatiæ, ipsius jus sequi debent; unde Regio jure patronatus in Abbatiam redintegrato, & in partem redintegrandum est. Nulla vero pronunciatur emphyteusis hujusmodi partis antecedenter inita.

Idem Regius Abbas restitutionem urgebat Ecclesiæ Divi Clementis, quæ, a vicino flumine mutuata vocabulum, *ad Gomanum*, vel *Vomanum* dicitur, ac duorum Castrorum, quorum alterum vocabulo Guardiæ, seu *Gomanæ*, seu *Vomanæ*, designari solet, alterum in veteribus quidem Diplomatibus Castrum Vetulum *Monascum*, seu *Monaciscum* dicitur; hodie Castrum inferius ab indigenis appellitatur. Nam hæc quoque Castra ab Abbatia Casauriensi decerpsit Romana Curia, atque in dotem constituit Abbatiæ Divi Clementis ad Gomanum per Pontificem erectæ: ea, diversos experta Commendatarios, in præsenti detinentur ab Horatio Matthæo Archiepiscopo Colossensi.

Judicio rite instituto, ordinato, possessoribus auditis, Patronus quoque Regiæ Coronæ petiit, ut ab Abbate Regio petita redintegratio exequutioni demandaretur.

Regius Casauriensis Abbas in progressu judicii pluribus argumentis ostendit, tum Castra Pesculi, & Corvariæ, cum Ecclesiam S. Mariæ in Blasiano pertinere ad Abbatiam S. Clementis Casauriensis, ejusque membra censeri oportere. Eam

in

in rem primo protulit Imperatoris Ludovici II. diploma anni 875. In eo Imperator Monasterio Divi Clementis Casauriensis a se recens erecto dotem constituit; ei scilicet donavit complura prædia diversis in locis constituta: in territorio vero Pennensi *Castrum Pesculi*, *&* *Corvariæ*. Id ipsum firmavit Regius Abbas recognitione jussu Judicis instituta. Inde enim constitit, in ænea Ecclesiæ porta vetustissima Divi Clementis Casauriensis bona fere omnia, quæ ad prædictum Monasterium pertinerent, descripta esse; inter ea autem aperte legi *Pesculum*, *&* *Castrum Corbariæ*. Eodem retulit Regius Abbas veterem illam historiam apud Hughellum *de fundatione Monasterii S.Clementis Insulæ Pescariæ*, *quod Ludovicus II. Imperator in Pennensi Diœcesi condidit*. Inde sane liquet, ad dotem dicto Monasterio constituendam Imperatoris pecunia vicos, pagos, rura fuisse coempta circa territorium Casauriense posita; inter alia vero memorari seu pagum, seu rus, quod *Blesceanum* appellabatur.

Quod autem ad *Blesceanum*, intentionem suam apertius firmabat actor ipso Casauriensi Chronico. Ibi enim memoriæ proditur, plures possessiones Monasterii Casauriensis, ac præsertim *Pesculi*, *&* *Corvariæ Castra* cum rure, seu pago Blesceano occupata fuisse a Sansone, ac Walterio Rainardi filiis, quæ quidem possessiones, ut in Chronico prædicto dicitur, *abusive appellatæ fuerunt Sansonicæ ex nomine Sansonis:* eam occupationem Guidonem Abbatem detulisse ad Conradum, ac per Judices ab eo datos possessionem Guidoni restitutam: eumdem Sansonem per tempus invasionis suæ, *in loco qui Blisianus est appellatus*, Ecclesiam fundasse S. Mariæ patrocinio augustam *in Terra S. Clementis:* eam Guidonem Abbatem in possessionem restitutum in honorem Beatæ Virginis sartam tectam servasse: ad eam quoque rite consecratam Monachos e Monasterio suo misisse, qui eidem Ecclesiæ deservirent. Charta quoque scripta anno 1065. idem Casauriensis Abbas ostendit, eumdem Sansonem Monasterio Divi Clementis ultro confirmasse prædictæ Ecclesiæ concessionem, atque in exemplo confirmationis prostare *Ecclesiam*

in

in Comitatu Pinensi in ipso vocabulo de Blisiano, quæ vocatur S. Maria, cum Cellis, & libris, & cum pannis, & cum omni ornamento Ecclesiarum, & cum ejus dotalitia, quæ est inter terram cultam, & incultam modiola trecentum.

Eodem collineabant, quæ ex Diplomate Rogerii Regis, & Pontificum Romanorum Bullis proferebat Casauriensis Abbas. Quod enim ad Rogerium, probavit eum Diplomate suo anni 1140. Regiæ Abbatiæ Casauriensi confirmasse veteres Imperiales concessiones Castrorum, prædiorum, Ecclesiarum: res ad eam pertinentes enumerasse, speciatim vero recensuisse *Pesculum*, *Corvariam:* post quarumdam etiam Ecclesiarum enumerationem statim addidisse, *& omnes alias Ecclesias de Terra Sansonisca*. Quod vero ad Romanos Pontifices, plures eorum Bullas produxit actor, quibus ipsius jura mirum in modum adjuvabantur. Eo apprime pertinent Bullæ Callisti II. ann. 1121., Alexandri III. ann. 1166., & ne singulos memorem, Cælestini III. ann. 1191. Eæ scilicet ad Abbates Casaurienses sunt scriptæ. Per eas vetuere Pontifices, ne Monasterium Divi Clementis Casauriensis in suorum prædiorum possessione turbaretur: in iis autem percensendis & speciatim memorarunt *Pesculum*, & *Corvariam*, & singularia privilegia Abbati Casauriensi concesserunt. Instar omnium esse queat illud, quo interdicunt, *ut in supradictis locis nullus Episcopus audeat Synodum celebrare, vel aliqua jura Episcopalia exercere, nisi a te, vel successoribus tuis vocatus fuerit*.

Quod vero ad petitam restitutionem Ecclesiæ Divi Clementis *ad Gomanum*, cum Castris ejus dotalibus, pro ipsius confirmandi petitione idem Chronicon Casauriense allegavit Abbas. Ibi enim traditur, *Ecclesiam Divi Clementis in Gomano* extructam fuisse per Hermengardam Imperatoris Ludovici II. matrem, ac large etiam dotatam; eam in loco *Guardiæ* ædificatam, ob fluminis quoque vicinitatem, *ad Gomanum* dictæ. Produxit quoque ex Diplomate Imperatoris Ludovici II. supra memorato ann. 875. locum, unde liquet pientissimum Principem prædicto Monasterio concessisse

ſiſſe præter alia Caſtra in territorio Aprutino *Caſtrum Guardiæ*, quod ibi legitur, & *Caſtellum Vetulum Monaſcum*, eo addito, *cum omnibus Eccleſiis prædictorum Caſtellorum, & locorum*. Eodem pertinebant, quæ cum ex privilegio Regis Rogerii ann. 1140., tum ex aliis monumentis produxit Abbas. Nam in privilegio quidem Rogerii, quo confirmantur conceſſiones Imperiales Monaſterio Caſaurienſi factæ, inter alia percenſentur *Caſtrum Guardiæ, & Caſtellum Vetulum Monaciſcum*. Ex aliis vero monumentis liquet, Rogerii Regis ævo Abbatem nomine Oldrium præfuiſſe non minus Monaſterio Divi Clementis Caſaurienſis, quam Eccleſiæ Divi Clementis *ad Gomanum*, utpote quæ tamquam *Grancia*, quam vocant, prædicto Monaſterio ſuberat. Ea autem omnia cum Bullis quoque Romanorum Pontificum cohærere demonſtravit Abbas, Alexandri ſcilicet III. Calliſti II. & Cæleſtini III. ann. 1121. 1166. 1191. Ibi enim prædicti Pontifices ſpiritalem juriſdictionem concedentes Abbati Caſaurienſi in loca territorii ſui, recenſent quoque *Caſtrum Guardiæ*, & *Caſtellum vetulum Monaciſcum*.

Argumentis hactenus expoſitis momentum quidem haud leve addebat Regius Caſaurienſis Abbas ex adhoarum ſolutione, & ex memoriis cenſualibus Comitum & Baronum Regni promanans. Nam ab ipſo Carolo I. Andegavenſi ad adhoarum ſolutionem Monaſterio Caſaurienſi adacto, præter alia feuda, ea præſtatio a Monaſterio exacta fuit *pro Caſtro veteri Monaciſco, & Gardi Gomena ſitis in Juſtitiariatu Aprutii*. In cenſum vero Comitum, & Baronum Regni relatus quoque fuit Oderius Abbas Divi Clementis in Peſcaria, eo addito, ad eum inter alia feuda pertinere in Comitatu Aprutii Guardiam, quod eſt feudum duorum Militum.

Jam vero temporibus mox inſequutis, pro ſolitis Monaſteriorum vicibus, Caſaurienſe quoque Commendatariis traditum fuit. Ex ea quoque mutatione Caſaurienſis Abbas ad intentionem ſuam firmandam argumenta corraſit. Sequioris enim ætatis monumentis oſtendit, Abbates Caſauriæ Commendatarios dominium, & juriſdictionem exercuiſſe cum

in

in Monasterium Casauriense Pescariæ, cum in Divi Clementis ad Gomanum Ecclesiam, & Castra reliqua, de quibus præsens controversia suscepta fuit. Sane Hieronymus Branconius Abbas Commendatarius ann. 1612. Bullæ suæ occasione novæ Capellaniæ editæ hunc titulum præfigebat: *Abbas & perpetuus Commendatarius Abbatiæ S. Clementis in Piscaria, & ad Vomanum*. Eo autem jure dixit, se Capellaniam erigere fundatam *a Leonardo de Bernardinis Guardiæ ad Vomanum nostræ jurisdictionis Clementinæ*. Idem quoque Commendatarius Abbas, ann. 1626. alteri Bullæ suæ eadem inscriptione præfixa, in eam inseruit petitionem cujusdam Bonifacii Pacii *di Castel basso* ob alterius Capellaniæ erectionem. Ejus vero erectionis causa assensum præstitit prædicto Bonifacio *a Castro vetere inferiore alias Monacisco* Abbatialis jurisdictionis. Iidem autem jurisdictionis actus, cum iisdem enunciationibus, in aliis Abbatum Commendatariorum Bullis sat frequenter occurrunt. Ejusmodi sunt productæ Bullæ ann. 1629. 1630. 1674. 1676. Ab actore igitur monumenta allegata aperte videbantur evincere, loca, quorum restitutionem ipse urgebat, & vetera sua vocabula perpetuo servasse, & ad Abbatiam suam perpetuo pertinuisse.

His ita præstitutis, aperte liquet, Pesculi, & Corvariæ Castra cum Ecclesia S. Mariæ in Blesiano, Guardiæ quoque, & vetus Monaciscum Castrum inferum, seu inferius dictitari solitum, cum Ecclesia Divi Clementis ad Gomanum, ob primam Imperialem dotationem pertinere ad Abbatiam Divi Clementis Casauriensis, tamquam membra inde pendentia. Inde vero necessario sequitur, controversa corpora ad prædictam Abbatiam redire oportere, ac Regium patronatum in ea redintegrandum, quemadmodum in Abbatiam ipsam Casauriensem Regius patronatus redintegratus fuit per sententiam ab hac Curia latam anno 1775. Cum enim in toto pars quoque contineatur *l.* 113. *ff. de reg. jur*, corpora isthæc, Abbatiæ pars olim, ipsius jus sequi debent. Indidem quoque sequitur ab initio suo irritam censendam esse emphyteusim cum Patribus Cælestinis de Mur-

rone initam. Ejus enim auctores omni prorsus jure carentes jus aliquod in Cæleſtinos transferre non poterant, ſecundum juris regulam in *l.* 54. *ff. eod.* Nimirum irrita ab initio fuit conceſſio facta Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtodibus: ab eis cauſam Cæleſtini habent. Cum igitur principalis cauſa numquam conſtiterit, ſequuta inde emphyteuſis firmitatem habere non potuit ex *l.* 129. *ff. eod.*

At vero perperam Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtodes ſe tuentur pactis conventis inter auguſtiſſimum Regem Catholicum, & Summum Pontificem Benedictum XIV. anno 1741. Ajunt ſcilicet, ibi placuiſſe, ne umquam infirmarentur beneficiorum, & Abbatiarum uniones, quæ Romanis Eccleſiis, Collegiis, Monaſteriis, piiſque domibus adnexa forent. Primo enim non facile probatu eſt, num Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtodes inter prædicta corpora referri debeant. Deinde, quod caput eſt, ipſa fœderis prædicti & verba, & ſententia eorum exceptionem omnino perimunt. Nimirum inter ejus fœderis leges conſtitutum fuit, ne beneficia & Abbatiæ hujus Regni aliis quam regnicolis conferrentur, quibuſdam exceptis, & præſertim, ne reſcindi jus eſſet uniones Beneficiorum, quæ per id temporis Romanis Eccleſiis reperirentur adnexa: eodem tamen capite pluries declaratum fuit, ea omnia referenda eſſe ad Abbatias, & beneficia, quæ & Regiæ nominationis non eſſent, & a Pontifice libere conferri poſſent. Cum igitur Caſaurienſis Abbatiæ diſcerpta membra nominationis ſint Regiæ, fœdus Regium, & Pontificium Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtodibus nil quicquam prodeſt. His igitur perpenſis, & viſa petitione, viſiſque decreto termini, ſcripturis exhibitis, probationibus, memorialibus a S. M. remiſſis, *fol.* 1. 15. *a* 1., 33. *ad* 81. 90. *ad* 107. 118. *&* 122., ac omnibus actis, Curia Illuſt. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Conſiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Conſultoris, ita pronunciavit: ***Eccleſiam S. Mariæ in Blaſiano, & Caſtra Peſculum, & Corbariam, necnon Eccleſiam S. Clementis ad Vomanum, & Caſtrum Guardiæ, quæ etiam dicitur Vomana, & Caſtellum***

stellum vetulum Monaciscum, *quod etiam dicitur Castrum vetus inferius*, *sive* Castel basso, *pertinuisse*, *& pertinere ad Regalem Abbatiam S. Clementis in Pescaria*; *ac proinde*, *nulla ratione habita dismembrationis dictarum Ecclesiarum*, *& Castrorum*, *neque status*, *in quo reperiuntur*, *dictas Ecclesias cum descriptis Castris redintegrandas esse*, *& redintegrari debere dictæ Regali Abbatiæ Casauriesi S. Clementis in Pescaria*, *& æque fuisse*, *& esse Regii juris patronatus*, *prout dicta Regalis Abbatia vigore sententiæ latæ per nostram Curiam sub die* 8. *Augusti* 1775., *& restituendas esse juribus Majestatis*, *cum omnibus juribus*, *actionibus*, *jurisdictionibus*, *praeminentiis*, *fundis*, *& pertinentiis*; *& describendas esse*, *una cum dictis Castris*, *in libris Curiæ Rev. Capellani Majoris inter ceteras Ecclesias Regii juris patronatus*, *tamquam unitas*, *subjectas*, *& pertinentes eidem Regali Abbatiæ Casauriensi*; *oppositis*, *& deductis in contrarium non obstantibus*. *Respectu vero prætensorum per Rev. Archiepiscopum Colossensem D. Horatium Matthæi fiat relatio S. R. M.*

In causa Ven. Monasterii Sancti Spiritus de Murrone Ordinis Cælestinorum, *& successive D. Francisci Caracciolo Regii Abbatis S. Clementis in Piscaria*, *cum D. Felice Antonio*, *& successive D. Petro de Petris Marchione Terræ Castilionis*. *Die* 10. *Julii* 1779.

Cum jura Regii patronatus præscriptioni non subsint, consequens est, ut præstatio decimæ Ecclesiæ Regii patronatus debita, licet longo temporis spatio intermissa, debeatur quoque.

CUria Ill. & Rev. Domini Regii Majoris Capellani hujus Regni, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ejus ordinarii Consultoris, visis actis, providet, decernit, atque mandat, quod *condemnetur Ill. Marchio Castilionis D. Petrus de Petris ad solvendum in beneficium Regii Abbatis S. Clementis de Casauria quolibet anno decimam fructuum territoriorum nuncupatorum* Vicenna, *&* Vicennola, *sive* Vicenna grande, e piccola, *ad rationem unius in singulos decem*, *francam*, *liberam*, *& exemptam*, *a die possessionis captæ per eundem Regium Abbatem præfatæ Abbatiæ*, *& in futurum*, *juxta conventionem initam sub die* 29. *Januarii anni* 1604. *inter tunc temporis Baronem*, *& Rev. D. Hieronymum Branconio tunc Abbatem*; *demptis tantum ex dictis territoriis* Vicenna, *&* Vi-

Vicennola *portionibus agrorum , forte noviter acquisitis titulo emptionis , sive permutationis , de quibus dictus Marchio docuerit per publica instrumenta. Et pro liquidatione quantitatum a dicta die possessionis decursarum in biduo audiantur Partes : salva provisione facienda respectu decimarum decursarum a die judicii moti per Ven. Monasterium S. Spiritus de Murrone , ipso Monasterio audito. Neutram Partem in expensas.*

Ita censuit Curia, eo quod anno 1604., post decreta Collateralis Consilii favore Abbatis, memorata præstatio decimarum conventa fuit inter Abbatem, & Baronem; quæ quidem conventio cum rem ipsam, sive ipsa territoria affecerit, procul dubio ex ea tenentur quicumque fuerint in eadem re particulares etiam successores, *argum. l.* 47. 48. & 49. *ff. de contrahen. empt.* Neque obstat, quod longo temporis spatio præstationis exactio fuerit intermissa; nam Patriæ leges cum reliqua Regalia, tum Regii patronatus jura præscriptioni subesse non patiuntur.

In causa declarationis Regii patronatus in Cathedralem Ecclesiam Aversanam. Die 28. Julii 1779.

Ecclesiæ fundatio ex publicis monumentis rite probatur; ea autem, simul cum dotatione a serenissimis Principibus facta, Regium jus patronatus constituit, sive Cathedralis Ecclesia sit, sive cujusvis generis.

Post denunciationem Octavii de Judice, quo Regium jus patronatus in Aversanam Ecclesiam deferebatur: judiciumque rite denunciatum tam Episcopo prædecessori, quam ceteris interesse prætendentibus, expeditis citationibus per edictum; Regiæ Coronæ Patronus petiit libello suo, ut in prædictam Aversanam Cathedralem Ecclesiam jus Regii patronatus redintegraretur. De ejus enim fundatione, & dotatione Regia, liquido constare contendebat. Et quod ad Regiam quidem fundationem, Regalis Coronæ Patronus intentionem suam firmabat antiquo marmore, quod in antiqua prædictæ Cathedralis Ecclesiæ parte hodiedum prostat. Inde enim liquet, ejus ædificationem fuisse susceptam a Riccardo genere Normanno, tertio Aversæ Comite, & Capuæ Principe; post ipsius autem obitum a Jordano Principe Riccardi filio eamdem fuisse absolutam. His ita præstitutis, negandum non

non videbatur jure summi Imperii patronatum in Aversanam Ecclesiam prædictis Principibus fuisse quæsitum, atque in Reges Neapolitanos eorum successores translatum. Jus enim summi Imperii in Aversam exercuit ejus primus Comes Rainulphus; Rainulpho successit Asclettinus, qui Aversanum Comitatum per manus Riccardo tradidit. Riccardus vero, quod diximus, controversæ Ecclesiæ fundationem primus inchoavit. At vero de prædicti marmoris fide nusquam relinquebatur dubitandi locus. Præterquam quod enim & publice prostat, ut diximus, & a Curiæ Cancellario ejus jussu fuit inspectum; pridem illud exscripsit Lucentius sub titulo *de Ecclesia Adversana*. Sic enim ibi: *Cathedrale Templum illud idem est, quod tertius Aversanorum Comes Reccardus Nortmannico opere, plurimo tiburtino ex marmore substruxit in ipsa fere media Civitate, & Princeps Jordanus filius terminavit. Ita distichon e lapide fidelissime proloquitur:*

PRINCEPS JORDANUS RICCARDO PRINCIPE NATUS
QUAE PATER INCAEPIT, PIUS HAEC IMPLENDA RECEPIT.

Quod igitur ad Aversanæ Cathedralis Ecclesiæ fundationem, de ea quidem dubitari non poterat; ea scilicet adprobatur monumento publico: ut autem Marcellus edixit, *monumenta publica potiora testibus esse, Senatus censuit*. *L.* 10. *ff. de probat.*

Quod ad dotationem, certissimis etiam documentis evincebatur, primos Aversanorum Comites, & Capuæ Principes, in Aversanam Ecclesiam a se recens extructam, ac Pauli Apostoli titulo præfulgentem, dotis ei constituendæ gratia plurima contulisse; insequutos vero mox Principes cum eadem Ecclesia liberalitatem suam exercuisse. Sane ex allegatis monumentis constitit, Riccardum primum prædictæ Ecclesiæ fundatorem ei concessisse Castrum Patriæ, unde reditus longe maximi ab Aversanorum Episcopo percipiuntur hodie, cum lacu Lucrino, ejusque territorio, & pertinentiis, speciatim vero, *cum piscationibus, & fusariis, & cryptis, & consuetudinibus, & redditibus, & sylvis, & venationibus bestiarum, & volucrum, ac cum omnibus utilitatibus*. Eidem Ec-

Ecclesiæ ab eodem Riccardo donatum Castrum *Sossitium*, quod *Socivum* dictitatur hodie, Ecclesia Divi Petri Nucerini cum territorio suo, feudum Postelli in Magdalunensi Castro, Ecclesia Divi Blasii in Aversano Suburbio, & olivetum ad radicem montis, ubi porta Capuæ sita erat. Insecutis vero temporibus prædictæ Ecclesiæ dotem idem Riccardus auxit; suo enim Diplomate anno 1073. ei contulit Castrum Latinum in Calatino territorio, *cum Terra, & Villanis, Hominibus, Vassallis, Vassallorumque reditibus, montibus, sylvis, campis &c.*

Præterea aliis adhuc monumentis ostendebatur, Riccardum II. Capuæ Principem anno 1095., Principatus sui decimosexto concessisse, & confirmasse eidem Ecclesiæ bona omnia, quæ concessa ei jam fuerant a decessoribus suis, præsertim vero ab avo Riccardo, ac patre Jordano: & præterea eidem contulisse Terram Berti ex propria liberalitate. Liquebat etiam, Principem Jordanum II. Diplomate suo anno 1121., sui principatus primo, ad extollendam Cathedralem Aversanorum Ecclesiam, Roberto Aversano Episcopo, ejusque successoribus concessisse *Cappellam nostram S. Fidei in Palatio nostro Aversæ sitam, cum balneo nostro juxta idem Palatium constituto, Villanis, reditibus, pratis, casis, fabricis, & infabricis, cum terris cultis, & incultis, arbustis, cum omnibus pertinentiis suis.* Alio vero Diplomate ejusdem anni eidem Ecclesiæ concessit pariter, & confirmavit bona generatim omnia pridem ei concessa a prædecessoribus suis: quæ quidem bona in charta donationis sigillatim enumerata ea ipsa sunt, quæ supra recensuimus. Sed ex ipsa charta apparet, prædecessores illos eidem Ecclesiæ ulterius fuisse elargitos *Ecclesias cum omnibus suis pertinentiis, decimas, terras cultas, & incultas, cum montibus, & planis, cum sylvis, aquis, piscationibus &c., homines præterea in territorio Alifiæ, & Acerrarum, & in Castro Lauri, & Villam S. Elpidii cum omnibus pertinentiis suis, & homines in Pumigliano, Nivano, & Casapuzzano, & duo molendina prope Ecclesiam S. Martini, & Startiam in territorio montis Sarculi*; nam in prædicta Jordani II. con-

confirmatione bona isthæc omnia numerantur.

Jam vero ubi Neapolitanæ Provinciæ unius Regni formam induerunt, a Regum Neapolitanorum liberalitate Aversana Cathedralis Ecclesia novas concessiones obtinuit. Primo enim Rex Rogerius, post concordiam inter Aversanam Ecclesiam, & Cœnobium Divi Laurentii initam, Diplomate suo ann. 1144. eidem Cathedrali confirmavit lacum, qui Patriæ dicitur. Deinde Rex Guilielmus II., & Regina Margarita ejus mater alio Diplomate ann. 1167. eidem Ecclesiæ concesserunt *Castrum S. Georgii situm in pertinentia Beneventana, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis*. Leopoldus etiam Vormatiensis Episcopus, & in Regno Siciliensi Legatus, *ex potestate sibi attributa per Regem Fridericum*, anno 1215. eidem Cathedrali concessit *Castrum Cumarum cum omnibus tenimentis, & pertinentiis suis*; eidem quoque confirmavit privilegia generatim omnia a superioribus Regibus ei concessa. Sed & ipse Fridericus II. Diplomate suo ann. 1221. declaravit, secundum edictum Capuæ a se promulgatum, Basinium Aversanum Episcopum in Capuana Curia solemniter habita exhibuisse authentica quædam privilegia Augustæ matris suæ Ecclesiæ Aversanæ concessa; ab eis se comperisse, prædictam Augustam in sui tutelam, & mundiburgium recepisse prædictam Aversanam Ecclesiam, *eamque, Clericos, & homines suos, ab omnibus exactionibus subtraxisse, etiam & collectis, & integram decimam Bajulationis Aversæ tam intus, quam extra impartiisse, & concessisse Ecclesiæ memoratæ*, eamdem vero Augustam eidem Ecclesiæ donavisse *tintam Aversæ, quæ est in suburbio S. Mariæ, necnon Casale Priani in tenimentis ipsius Civitatis cum omnibus justis tenimentis, & rationibus suis*. His ita rescitis, Aversanæ Ecclesiæ ea omnia Fridericus restituit, in tutelam suam eam recepit, ipsi, ejusque Clericis, & hominibus a publicis oneribus immunitatem indulsit, eique confirmavit, ac rursus concessit *integram prædictam decimam Bajulationis ipsius Civitatis, cum domo, quæ est in suburbio prædictæ S. Mariæ, necnon Casale Priani cum omnibus justis tenimentis, & pertinentiis suis*. At vero majoris mu-

munificentiæ ostendendæ causa eidem Ecclesiæ confirmavit *Castella*, *Casalia*, *omnes possessiones*, *piscationes*, *homines*, & *quicquid ipsa Ecclesia tempore qu. Domini Regis Guilielmi II. prædecessoris ipsius Imperatoris*, *tenuit*, & *possedit*, prout jam caverant privilegia ipsius Guilielmi II., & Augustæ parentis suæ. Eam vero concessionem confirmavit quoque Rex Manfredus Diplomate suo ann. 1259.

Diplomata isthæc Carolo II. Andegavensi fuerunt exhibita; ab eo vero rite recognita aucta fuerunt, & confirmata privilegio suo anno 1289. Eadem Cardinalis Brancatius Aversanus Episcopus rursus exhibuit Ludovico III., a quo etiam plenissime sunt confirmata Regio Diplomate ann. 1421.

Ex dictis hactenus aperto liquet, Neapolitanos Principes Aversanam Cathedralem Ecclesiam extruxisse, dotasse. Ipsius igitur in eam Ecclesiam jus patronatus denegari non debet. Nimirum jus patronatus in fundatas Ecclesias a jure, non indulgentia proficiscitur; æquissimum enim visum est, ut Prælati destinarentur Ecclesiis eorum arbitrio, qui facultatibus suis eas fundassent. Hinc ipsi Pontifices statuerunt jus patronatus in fundatas Ecclesias patronis ipso jure competere; indidem quoque passim cavetur in jure Pontificio, fundatores Ecclesiarum eo jure uti oportere. Instar omnium sint *C. Nobis 25. de jure patron. C. 3. de Eccles. ædific. Can. 23. caus. 16. qu. 7.*

Perperam vero quis regerat, reliquarum quidem Ecclesiarum fundatoribus jus patronatus competere, neutiquam vero illis, qui Ecclesias Cathedrales extruxerint, easque dotaverint. Ea enim sententia & Canonibus adversatur, & adversus Principes est iniquissima. Canones scilicet nullo cum Ecclesiarum discrimine fundatoribus jus patronatus competere jubent. Iniquissimum vero adversus Principes esset, si eis negaretur, quod privatis quibuslibet denegari non debet; nam Cathedrales fere omnes a Principibus sunt fundatæ. Si igitur admittatur portentosa isthæc sententia, præ privatis ipsis conditio Principum deterior esset. Sed ea in

re

re argumentis non opus, nam ipsa Tridentina Synodus jus patronatus in Cathedrales Ecclesias competere posse palam profitetur *sess. 25. cap. 9. de reformat.* Ibi scilicet id agebat Synodus, ut intra arctiores limites redigerentur jura patronorum in Ecclesias. Per eam tamen innovationem nullum præjudicium fieri jubet Principibus, seu de Cathedralium, seu de aliarum Ecclesiarum patronatu ageretur: *Exceptis*, inquit, *patronatibus super Cathedralibus Ecclesiis, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem, & Reges, seu Regna possidentes, aliosque sublimes, ac supremos Principes, jura Imperii in dominiis suis habentes*, *pertinent*.

Porro prædicta sententia, qua Neapolitanorum Principibus jus patronatus in Cathedrales Ecclesias in controversiam revocatur, non solum Canonibus adversatur, sed receptis quoque moribus apud alias Christianas Provincias observari solitis. In Europa enim Christiana alibi Christiani Principes fundationis titulo jus patronatus exercent non solum in minores Ecclesias, sed in Cathedrales quoque. Sane, ut de aliis taceam, ob jus fundationis in Hispanas Cathedrales Ecclesias jure patronatus utuntur Hispani Reges, ut observat, præter alios, Covarruvias rerum Hispanarum peritissimus, ad *cap. possessor. par.* 2. §. 10. *num.* 7. Sic enim ibi clarissimus Auctor: *Siquidem Hispaniarum Reges patronatus jus obtinent in Ecclesiis Cathedralibus, cum eas erexerint, construxerint, & amplis patrimoniis ditaverint*. Idem de Cathedralibus Gallicanis testatur Renatus Choppinus *de Sacr. polit. lib.* 1. *tit.* 4.; & de Germaniæ Cathedralibus Hermann. Conring. *tom.* 2. *pag.* 387.

Enim vero in historia quoque Neapolitana ejus rei illustria monumenta prostant. Nimirum in pactis conventis inter Carolum V., & Clementem VII. anno 1529., expositis vigintiquatuor illis Ecclesiis Cathedralibus, quæ *limitrophæ* ibi dicuntur, & quas ad Regis nominationem pertinere placuit; constitutum est quidem, ut Cathedrales reliquæ a Romano Pontifice libere conferrentur; verum eæ statim excipiuntur, quæ fundatæ per Neapolitanos Principes ad

 ipso-

ipforum patronatum Regium pertinerent. Aperta sunt in eam sententiam verba fœderis. Sic enim ibi: *Reliquis omnibus Ecclesiis, ac beneficiis dicti Regni, exceptis dumtaxat his, quæ juris patronatus existant, ad liberam dispositionem Sedis Apostolicæ remanentibus*. In fœdere quoque inter Clementem IV., & Carolum I. Andegavensem, quo per summam injuriam facultas interponendi Regii assensus in Episcoporum electionibus prædicto Principi adimebatur, speciatim exceptæ fuerunt Episcopales Ecclesiæ, in quas jus patronatus Regium competeret prædicto Principi, prout ex illis verbis: *Salvo mihi, meisque in Regno heredibus, jure patronatus in Ecclesiis in tantum, quantum hac parte patronis Ecclesiarum Canonica instituta concedunt*. Nemo autem ignorat, ex Canonicis institutis patronis in fundatas Ecclesias jus nominandi competere.

At vero Regio patronatui in Aversanam Ecclesiam obesse non potest, quod in bonorum omnium possessione ea non sit hodie, quæ in prædictis Principum concessionibus memorantur. Regius enim in eam patronatus præclare stabit, si constet, quod negari nequit, bona omnia, quæ ab ea possidentur hodie, e Regia Neapolitanorum Principum munificentia provenisse. Sane potiores ejus Ecclesiæ hodierni reditus proveniunt a locatione lacus Patriæ, a Vico Socivi, & a speciosis prædiis, quæ prædicta Cathedralis possidet in territorio Aversano, necnon in Terra Magdaluni, in Terra Montisherculis, in Villis S. Elpidii, Nivani, Casæpuzzanæ, Pumiliani de Atellis, ceterisque finitimis locis. Exploratum est autem, reditus, ac prædicta prædia in memoratis Principum concessionibus contineri. Constat igitur, quicquid hodie possidet Aversana Cathedralis Ecclesia, ex largitione Neapolitanorum Principum promanasse.

His igitur rite perpensis, & omnibus actis, Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris ita pronunciavit, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris: *Aversanam Cathedralem Ecclesiam sub titulo S. Pauli Apostoli, fundatam, dotatam per Normannos Principes, fuisse, & esse*

& esse de Regio patronatu; preinde ad faustissimum hodiernum Regem, ejusque in Regno successores spectare jus nominandi prædictæ Cathedralis Episcopum, quoties casus vacationis acciderit, cum reliquis juribus, quæ patronis competunt: prædictamque Cathedralem cum omnibus juribus, privilegiis, ac pertinentiis suis, ac prædicta nominandi facultate, redire oportere ad jura Majestatis ex veteri sua primæva natura, eaque de causa in libris prædictæ Curiæ inter reliquas Ecclesias Regii patronatus eam referendam esse.

In causa declarationis Regii patronatus in Monasterium SS. Trinitatis de Civitate Cavæ, atque in Cathedralem Ecclesiam ejusdem Civitatis. Die 14. Augusti 1779.

THomas Galisius Fisco nunciavit, Monasterium SS. Trinitatis Cavense extructum olim, ac dotatum fuisse a priscis Salerni Principibus, qui jure summi imperii partem hujus Regni sat magnam habuerunt: ex bonis quoque prædicto Monasterio concessis per Salerni Principes, tractu temporis, delibatam fuisse partem, non contemnendam, ad Ecclesiam Cathedralem Cavensem, recens erectam, dotandam, nulla cum Principum Neapolitanorum venia. Inspectis documentis productis a delatore, Patronus Coronæ Regiæ petiit, ut cum Monasterium, tum Cathedralis Ecclesia Cavensis Regii patronatus declarentur esse, atque ad jura Majestatis redeant, cum suis pertinentiis generatim omnibus, ac præsertim cum facultate nominandi Episcopi, quoties Episcopatum vacare contigerit, & cum jure Abbatis seu eligendi, seu confirmandi.

Fundatio, & dotatio facta ab iis, qui summum imperiū exercuerunt, Regiū jus patronatus constituunt. Cum fundatores in Monasterii, & Abbatiæ fundatione Abbatis electionem Monachis tribuerint, confirmatio tantum ad Principem spectat. Ex bonis Monasterii Regii patronatus Cathedrali Ecclesia dotata, injussu Principis; quamdiu Principi ipsi placuerit dotationem tolerare; in illam ei competit jus patronatus, ad eumque nominatio Episcopi spectat.

Ad eam controversiam definiendam rite vocatis, quorum interesset, ac pro recepto judiciorum ordine probationum termino præstituto, Curia examen instituit monumentorum, quæ a prædicto Galisio sunt allegata. Inde primo constitit, circa annum 1025. Abbatem Adelferium, non minus nobilitate natalium, quam vitæ sanctimonia insignem, Ecclesiam extruxisse sub titulo SS. Trinitatis in territorio

Mitilianenſi, in crypta *Arſitia* dictitari ſolita prope Salernum, cum conſilio Monaſterii quoque ibi conſtruendi, in quo alerentur Benedictini Fratres; utrumque autem Guaimarium patrem, & filium Salerni Principes, genere Longobardos, prædicto Abbati Adelferio conceſſiſſe ſolidum Mitilianum, cryptam, Eccleſiam, atque in Mitiliani territorio ſita prædia, vineas ſcilicet, arbuſta, inſiteta, caſtaneta, fructeta, &. lata rura nullis arboribus conſita; facultatem quoque conſtruendi Monaſterii, ejuſque pomeria proferendi pro lubitu. Quod vero ad electionem Abbatum in poſterum, hanc prædicti Principes legem ſervari juſſerunt: *Item ſi volueris, vivente te, vel ad diem obitus tui, alium Abbatem ibidem ordinare, ad tuam ſit poteſtatem, qualiter volueris: & ſive te nolente, vel negligente ante tuam defunctionem, Abbas per te in prædictum Monaſterium Sanctæ Trinitatis ordinatus non fuerit, poteſtatem habeat ipſa Congregatio Monachorum, qui in ipſo Monaſterio fuerint, Abbatem inter ſe eligere, & ordinare, qualiter voluerint; alias ſic faciant ſemper per omnes vices, quando Abbas eorum mortuus fuerit*. Præter memorata bona prædicti Principes Adelferio conceſſerunt alveum Selani fluminis cum ripis, rivis, vallibus, flumina quoque reliqua, aquas, aquarumque divergia, quæ ubicumque aliis rebus dicti Monaſterii forent conjuncta, & facultatem ea quoquoverſus ducendi, piſtrina exſtruendi, & reliquos inde uſus percipiendi, prout utilitas Monaſterii poſtularet. Eidem quoque conceſſerunt omnes ſeu indigenas, ſive incolas prædictorum locorum, eoſque exemerunt a publicis oneribus Fiſco præſtari ſolitis. Ei denique conceſſerunt facultatem cædendi ligna per omnes ſylvas demanii ſui, in uſum ſeu Monaſterii, ſeu hominum, qui ad Monaſterium pertinerent.

Deinde ex productis monumentis conſtitit, anno ferme 1069. Giſulfum Salerni Principem prædicto Monaſterio confirmaſſe, quæ in ſuperiori conceſſione continerentur, eique præterea conceſſiſſe totam tellurem cum vineis, inſitetis, caſtanetis, & ſylvis, in loco, qui vulgato vocabulo *Plajamentis* appellabatur, ejus latis finibus in conceſſione de-

designatis: eidem concessisse quoque alia flumina cum alveis, & ripis, ac prædia, quæ ad eorum latera dextrorsum, sinistrorsum porrigerentur. Facultatem autem Monasterio dedit, ut in illis posset *palos figere, & antepositiones, & molina, & trappeta pro olivis, & calcaria, & ædificia facere, & fodere, & ipsos alveos per ipsas res ipsius Monasterii mutare qualiter voluerit; quoniam talia nullus sine mandato nostræ Reipublicæ audet facere, seu habere potest in nostro Principatu*. Eidem quoque concessit totam tellurem in loco, qui *Calcarola* dictitabatur. In confirmandis autem Monasterio bonis a decessoribus suis ei concessis, diserte memoravit diversa prædia Monasterio pridem concessa extra Salernum sita, in loco vulgo *Tusciano*. Addidit quoque respectu possessionum Monasterio concessarum, seu demaniales, seu feudales forent, seu ipsorum feudorum hominibus, seu bonis stabilibus continerentur, nullum Curiæ servitium præstandum esse.

Præterea idem Princeps mira liberalitate investivit Abbatem, & Monasterium, locorum regione vastissima; ejus enim limites aut diffiti montes erant, aut fines locorum inter se longe lateque distantium; altera enim ex parte ad Nucerinum territorium pertingebant, ex altera Amalfitanum. In ea autem regione continebantur Castrum S. Adjutorii cum pertinentiis suis, & lata spatia, vulgo dicta *Passiano, Transboneja, Albola, Cetara, e Fonte*, cum pertinentiis quoque suis. In eadem vero loca Abbates jurisdictionem exercere jussit; ab incolis etiam accipere tributa, pensiones, reditus, & specierum partes, quæ Cameræ Principis inferenda erant, seu capitationis, seu jugationis causa solvenda essent. Ne quid autem deesset liberalitati suæ, in eas regiones, earumve homines, nullum jus sibi reservavit, præter turres, & munimenta Principatus tuendi causa ibi constructa.

Neque vero hic substitit Principum liberalitas adversus Cavense Monasterium, ejusque Abbates. Constat scilicet, undecimo labente Sæculo Longobardos Salerni Principes Nortmannorum armis cessisse. Cum itaque Dux Rogerius, gente Nort-

Nortmannus, Ducis Roberti Guifcardi filius, Salerni Principatum obtineret; per id temporis, anno videlicet 1085. Jordanus Riccardo prognatus, & ipfe genere Nortmannus, Capuæ Princeps, in prædictum Monafterium liberalitatem fuam exercuit. Per eum alia quoque bona in territorio Nucerino conceffa funt Cavenfi Monafterio, ac infuper Ecclefia fub titulo Divi Angeli, quæ in Diplomate eo ftructa dicitur *in monticulo, quod eft prope, & ante Caftellum, & munitionem Nuceriæ*, cum molendino, hominibus, ac prædiis omnibus, quæ ad prædictam Ecclefiam pertinebant, fitis, ut ibi dicitur, *per totam pertinentiam Nuceriæ, vel ubicumque*.

Rurfus eodem anno 1086. Comitiffa Guayltemira Ducis Rogerii foror, ac Roberti Guifcardi filia, cum confenfu Ducis Rogerii Monafterio Cavenfi conceffit Monafterium fub titulo Divi Stephani Protomartyris conftructum in loco *Toncarica* appellato in territorio Lacedognæ, cum fuo Cafali, & cum hominibus, & poffeffionibus, quæ ad ipfum pertinebant; aliud rus etiam a Cafali prædicto diffitum, cognomento *Buzzacara*, cum Ifca Battallolæ, longe lateque patens; & ad Cavenfe Monafterium pertinere juffit reditus locorum prædictorum omnes, & civilem jurifdictionem.

Præterea eodem anno Afclettinus Nortmannorum quoque Princeps Siciniani Comes, ejufque uxor Sicelgata, filia Paldulfi Principi Guaimario prognati, Monafterio Cavenfi, ejufque Abbati concefferunt integrum Monafterium extructum in honorem Divi Petri *ante, & prope Caftellum, quod vocatur Polla*, cum omnibus prædiis, vineis, fylvis, molendinis, villanis, ac reditibus univerfis inde percipi folitis, bajulatione quoque in prædictum Pollæ Caftrum, & rus etiam *Ruftillanum* ingentis latitudinis.

Ex allegatis etiam monumentis conftitit, prædictum Ducem Rogerium annis 1089. 1092. 1106. Cavenfi Monafterio tres diverfas conceffiones contuliffe *de rebus*, ut ipfe declaravit, *noftræ Reipublicæ pertinentibus*. Bona autem conceffa fuerunt latum prædium extra Salerni portam, in loco dicto *Tufciano*, cum oliveto, querceto, ac terris vacuis, ubi

ubi etiam visebatur Ecclesia in honorem Apostoli Mathiæ extructa; alia quoque terra sine arboribus dicta *Isca* longe lateque patens, cum flumine, quod illam interfluebat; servitia quoque, & præstationes ab iis præstari solitæ, qui eam regionem incolebant; aliud quoque prædium immodicæ latitudinis dictum *Startia* cum terris cultis in territorio Sarni, in loco qui *Tabellaria* dicebatur; molendina duo ex decem illis, quæ Dux habebat in Castro Sarni in flumine dicto *la Foce*; Castrum *Stregulæ* cum Monasterio Divi Hadriani; Casale *Fabricæ* in Apuliæ finibus, cum suis incolis, terris, sylvis, arvis herbosis, fluminibus, & si quæ alia ad illum pertinebant.

Ex productis tandem monumentis apparuit, anno 1154. Regem Guilelmum I. in favorem Cavensis Monasterii Panormi confirmasse privilegia Ducis Rogerii, Roberto Guiscardo prognati, atque ea, quæ eidem concesserat Augustus pater suus Rogerius, per Marinum Abbatem Cavensem exhibita. Eidem quoque concessit omnimodam jurisdictionem in omnia Castra, Casalia, atque alia loca, quæ ad prædictum Monasterium pertinerent; sibique tantum retinuit merum imperium, seu jus gladii, quod per ea tempora nulli Baroni concedebatur, ut rerum periti norunt. Exemit etiam a publicis muneribus, ac servitio Curiæ, omnia Monasterii bona, seu demanialia, seu feudalia, & Casalis Cavæ homines, quique agerent in prædicti Casalis territorio a flumine Silari ad Schifatem usque, atque in Amalfitano Ducatu. Alia quoque insignia privilegia ei concessit *ex eo*, quod ipse asseruit, *quod dictum Monasterium est opus progenitorum nostrorum.*

Ita Cavensis Monasterii fundatione, & dotatione Regia demonstrata, quod supererat, Thomas Galisius adgressus est adprobare, Cavensem quoque Cathedralem Ecclesiam fundatam, ac dotatam fuisse ex bonis ex Monasterio prædicto decerptis. Ex scripturis autem per eum exhibitis apparuit, Urbanum quidem II. Abbati Cavensi usum Pontificalium concessisse, & Episcopalem jurisdictionem in loca territorii sui, Ordinum collatione, & Ecclesiarum consecran-

crandarum facultate tantum excepta. Verum per id institutum Castro Cavæ, ejusque territorio in dies populosiori in rebus sacris non sat prospectum videbatur. Eam ob rem Bonifacius IX. anno 1394. ipsum Cavense Monasterium, ejusque Ecclesiam in Cathedralem erexit; ita ex Monasterio novus emersit Episcopatus, cujus sacræ jurisdictioni Pontifex subesse jussit terras, vicos, & Castra omnia, quæ ad Cavensem Abbatiam antea pertinebant. Per eumdem vero Pontificem res ita transacta fuit, ut novæ Cathedralis Capitulum ipsi Monachi constituerent, & Claustralis Prior, post Episcopum, primam dignitatem haberet, Decanus secundam.

A monumentis etiam allegatis ab actore constitit, post tres Episcopos, qui huic Cathedrali præfuerunt, Cavensem Episcopatum delatum fuisse Angelotto de Fuscis ab Anagnensi Ecclesia eo translato anno 1426.: eumdem anno 1431. ab Eugenio IV. Cardinalem Divi Marci fuisse renunciatum: ita eum Episcopatum Angelottum retinuisse jure commendationis ad annum usque 1444., quo fato is cessit: eo exemplo successores usos, cumque Episcopatum commendationis quoque jure retinuisse Ludovicum Scarampum Cardinalem Aquilejensem ad annum usque 1465., Joannem Aragonium Cardinalem S. Hadriani ad annum usque 1485.; tandem Episcopatum Cavensem pervenisse ad Oliverium Carafam, eumque veluti commendatum habuisse ad annum usque 1494., eoque tempore rerum faciem mutatam fuisse. Nimirum prædictus Cardinalis perspexerat, solito commendationum fato regularem observantiam in Cavensi Monasterio fuisse collapsam. Aliunde probe norat, Patavinam Divæ Justinæ Congregationem, ejusdem Benedictini Ordinis, sanctitatis gloria apud Christianos florescere. Proinde Monasterio Cavensi veterem suum splendorem is restituturus, in illud advocavit dictæ Congregationis Divæ Justinæ Fratres. Ita anno 1497. auctore Alexandro VI. commendationem suam prædictæ Congregationi resignavit ea lege, ut se mortuo, Episcopalis in Cavensi Monasterio dignitas prorsus extingueretur, & in eo reviviscceret vetus Abbatialis dignitas, prout se res habuerat a primo fundationis initio. Ita

Ita primùm in Cavensi Monasterio Episcopalis dignitas fuit abolita, Abbas vero Episcopalem tantum jurisdictionem sine facultate Ordinis in Cavense territorium exercebat. Indoluerunt Cavenses Cives, se Episcopalis dignitatis jure fuisse privatos: ita gravissima inter eos, & Monasterium jurgia: id autem potissimum contendebant, ut veteri Cathedrali jam abolita, nova Cathedralis Ecclesia erigeretur: ei autem Cavense Monasterium dotem constitueret. Votis Cavensium Civium diu restitere Fratres, tum ne Episcopalem jurisdictionem in Cavensem Diœcesim amitterent, cum ne prædictæ dotis constituendæ causa Monasterii reditus imminuerentur.

His ita transactis, ut ex productis monumentis constitit, anno tandem 1513. dissidia sunt composita. Præviis enim pactis conventis inter Monasterii Abbatem prædictæ Congregationis nomine, & Cardinalem Aragonium Sedis Pontificiæ Delegatum, Leo X. Bulla sua 11. Aprilis anni 1513. antiquam dignitatem Episcopalem, & jus Cathedralis Ecclesiæ Monasterio adnexum suppressit; Ecclesiam vero S. Mariæ Cavensis in novam Cathedralem erexit, eique a Monasterio omnino separatæ in Diœcesim dedit, præter Cavam ipsam, quicquid per veteres Episcopos jure territoriali possessum fuerat seu sacro, seu profano. Ita Cavensi Episcopo in territorium Cavense non tantum ecclesiastica, sed civilis quoque jurisdictio fuit tradita. Novæ autem Cathedrali dotis causa scutatorum auri de Camera millia & quadringenta sunt constituta, eaque de causa a Monasterio exinde sunt delibata tot bona, unde prædicta quantitas anno quolibet redire posset, quamvis ut sunt res hodie, reditus longe majores inde percipiantur. Ita sine assensu Neapolitanorum Principum, qui in jura fundatorum successerunt, Monasterii reditus sunt discerpti, atque in alium conversi usum.

Jam vero ne quid in recto judicii ordine desiderari videretur, primum omnium audiri placuit eos, quorum intererat. Ab eis autem nil prorsus est allegatum ad actionem in-

infrigendam a Fisco institutam. Proinde Curiæ primo visum, Regium patronatum in Monasterium SS. Trinitatis Cavensis omnino exploratum esse. Ex certissimis enim documentis liquet de ejus fundatione facta per Longobardos Principes, cum in eam Regni partem summum imperium exercebant. Ipse Mabillonius in Benedictinis Annalibus ad annum 1025. de ea fundatione testatur. Sic enim ibi clarissimus Auctor: *Primus Monasterii auctor Alferius, locum cedente Guaimario, seu Waimario Principe Salernitano ejus nominis III.* De ejusdem Monasterii dotatione apertius liquet ex copia productorum Diplomatum, quibus non minus Longobardi Principes, quam eorum apud Nos in Imperio successores Nortmanni illud dotare, ditare perpetuo studuerunt, ipsius Principatus bona delibando. Ea res quidem, & sua sponte liquet, eamque certiorem facit Rogerii Ducis declaratio. Nam is quidem Diplomate suo anno 1089. professus est palam, se eas concessiones Monasterio facere *de rebus nostræ Reipublicæ pertinentibus*. Ejus quoque rei major certitudo prostat in Diplomate Regis Guilelmi anni 1154. Ibi enim novas concessiones antiquis is addens, se id facere declaravit, *ex eo, quod dictum Monasterium est opus progenitorum nostrorum*.

Cum igitur omnino constiterit, veteres Principes, qui jure summi imperii nostras Provincias habuerunt, Cavense Monasterium fundasse, dotasse: in controversiam revocari nequit, ejus Regium patronatum ipso jure ad Principem pertinere. Rem aperte definiunt *Novell. 57. c. 2. Can. decernimus caus. 16. qu. 7. cap. Nobis de jure patron.*

Quod vero ad electionem Abbatis, cum duo Guaimarii Salerni Principes primi Monasterii fundatores expressim concesserint, ut ipsa Fratrum Congregatio Abbatem sibi libere eligeret, quoties eum eligi oporteret: proinde Curia censuit, in præsenti rerum facie nil quicquam innovandum contra electionis formam in Abbatis electione receptam, respectu etiam habito Regalis rescripti de die 10. Julii 1779. Ne quid tamen de jure Regio imminuatur, æquissimum Curiæ

riæ visum, ut ad confirmandum electum Abbatem Regius impetretur assensus. Id ipsi Pontifices rescriptis suis statuerunt *d. C. 25. de jure patron.*

Pro eo tandem quod attinet ad Cavensem Cathedralem Ecclesiam, exploratum est, eam fundatam, & dotatam esse bonis ex Regio patronatu decerptis, idest bonis a Principibus Monasterio Cavensi concessis. Ejusmodi vero bona a Monasterio sunt delibata, ne petito quidem assensu Neapolitanorum Principum, ad quos in Monasterium patronatus pertinebat. Quamdiu igitur clementissimo Principi in animo fuerit tolerare ejus Cathedralis dotationem ex Principatus bonis, Regio assensu ad hujusmodi dotationem non petito; certo certius est, in eam illud idem jus patronatus ei competere, quod fundationis, & dotationis causa privatis quibuslibet in Ecclesias competit. Quamvis enim ea bona causa dotis translata fuerint in Ecclesiam Cathedralem injussu Principis, attamen ex recepta juris regula a domino jura dominii non amittuntur, etiamsi forte per alios, in aliam formam, aut speciem res convertatur, *l. 7. §. 7. ff. de acquir. rer. dom.* Nam ut ait *l. 11. ff. de reg. jur. Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.* Ipsa autem Romana Rota pridem agnovit, Regium patronatum in Monasterium complecti quoque Ecclesias ab eo dependentes, *dec. 298. n. 14. par. 9. to. 1.* Ea quidem ex regula excipit Romana Rota Ecclesias, quæ aliunde sint acquisitæ *n. 16.*, sed ut supra fuit evictum, Cavensis Ecclesia fundata, ac dotata fuit ipsius patronatus bonis. Quoniam vero jus potissimum e patronatu manans Prælati nominandi facultatem complectitur ad vacantem Ecclesiam; ideo Curia censuit, Regi competere jus nominandi Cavensem Episcopum, quoties eam Ecclesiam vacare contigerit. Alias enim ostensum, id juris Regi competere non minus in minores Ecclesias, quam in Cathedrales quoque.

His igitur perspectis, & rite examinatis, Curia Ill. & Rev. Domini Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ejus ordinarii Consultoris,

I 2 ita

ita pronunciavit: *Monasterium SS. Trinitatis Cavensis fundatum, dotatum per veteres Principes Longobardos, insequentium vero Nortmannorum Principum liberalitate ditatum, fuisse & esse Regii patronatus: itidem quoque Ecclesiam Cathedralem Cavensem fundatam, dotatam prædicti Regii Monasteri bonis, quæque ex prædictorum Principum liberalitate ad prædictum Monasterium pervenerunt, fuisse & esse Regii patronatus: ideoque Regi D. N., ejusque in Regno successoribus competere jus Episcopi nominandi ad prædictam Ecclesiam in vacationibus ipsius omnibus; jus quoque Abbatis confirmandi in quolibet novæ electionis casu, atque alia jura, quæ patronis competunt: proinde non minus Monasterium, quam Cavensem Cathedralem cum omnibus suis juribus, privilegiis, præeminentiis, corporibus, reditibus, Ecclesiis inde pendentibus, granciis, exactionibus, jurisdictionibus, pertinentiis, atque integro statu suo, secundum veterem naturam suam, redire oportere ad Majestatis jura: in libros quoque Curiæ referri inter alia Monasteria, Ecclesias, seu Abbatias Regii patronatus. Quod vero ad res alias a delatore prætensas ultimo libello suo exhibito in actis, fol. 110., audito super his Domino Patrono Regalis Coronæ, providebitur.*

In causa Regii patronatus in Abbatiam S. Angeli in Formis. Die 6. Septembris 1779.

Fundatio, & dotatio Ecclesiæ facta ab iis, qui summo imperio potiuntur, Regium jus patronatus constituunt, nulli præscriptioni obnoxium.

ACtum fuit in Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris de Regio patronatu in Abbatiam S. Angeli in Formis, ejusque redintegratione favore Regalis Coronæ. Ab anno usque 1772. Promotor Fiscalis postulavit hujusmodi patronatum redintegrari juribus Majestatis, cui & inhæsit Advocatus Regalis Coronæ, & Regio rescripto sancitum fuit, ut Curia rem rite cognosceret. Itaque instituto judicio, & audito D. Philippo Spinelli e Marchionibus Fuscaldi, ejusdem Abbatiæ possessore, & dato etiam termino probatorio; Curia examen instituit monumentorum, quæ pro assertione Regii patronatus sunt allegata. Quæ vero interea de fundatione, & dotatione dictæ Abbatiæ comprobata fuerunt, hæc sunt.

Ex

Ex instrumento permutationis celebrato mense Decembris anno 1065., anno videlicet octavo Principatus Richardi, & Jordani ejus filii, Capuæ Principum, constitit, quod Hildeprandus tunc *Sanctæ Capuanæ Sedis Archiepiscopus*, consentientibus Sacerdotibus, Levitis, & Clericis sui Archiepiscopatus, declaravit sollemniter, *quia supradictus Richardus gloriosus Princeps divina inspiratione compulsus pro mercede, & redemptione animæ suæ, vult construere & ædificare Cœnobium, & desiderat invenire remotum locum, ubi Monosterium ædificandum esset, venit ad Nos, quærens a Nobis, ut commutationem faceremus de Ecclesia pertinente suprascripto nostro Archiepiscopatui vocabulo S. Michaelis Archangeli, quæ dicebatur antiquitus* ARCU DIANÆ, *& modo dicitur* AD FORMAM. Addidit, quod Princeps idem permutationis titulo sibi tradi quæsiverat tres alias Ecclesias subjectas, & pertinentes ad ipsam Ecclesiam S. Michaelis Archangeli, sub titulis scilicet S. Joannis, S. Salvatoris, & S. Hilarii, quamvis vetustate consumptas, ac insuper terras cultas & incultas, & montes ad ipsam Ecclesiam S. Michaelis Archangeli pertinentes, ipsumque Principem in permutationem obtulisse Ecclesiam sub nomine S. Joannis de Landepaldis Capuæ sitam, cum omnibus vero possessionibus, quæ ad eamdem Ecclesiam pertinebant, ac integra suppellectili, & ornamentis, quibus erat instructa: quodque ad permutationem peragendam secundum Canonicam institutionem, & Regum statuta, Archiepiscopus ipse accersiverat Missum suum, bonæ opinionis hominem, nomine Marium, Presbyterum, & Cardinalem dicti Archiepiscopatus; præfatus vero Princeps direxerat Missum suum Joannem Judicem, ut recognosceret, an quod Archiepiscopatus accepturus erat in permutationem, præstantius esset eo quod erat daturus: illosque opportune, ac diligenter rebus omnibus perspectis, renunciasse, bona a Principe danda majoris fore pretii, & permutationem ipsam in utilitatem Archiepiscopatus cessuram. His igitur impletis, permutatio peracta fuit sollemniter, traditione rerum vicissim permutatarum: consentientibus ac probantibus Presbyteris, Levitis, & Clericis dicti Archiepisco-

pa-

patus, juraque dominica in Ecclesiam S. Michaelis Angeli ad Formas, tresque alias sub titulis S. Joannis, S. Salvatoris, & S. Hilarii, translata fuerunt in Richardum Capuæ Principem.

Insequenti vero anno Principes iidem Richardus & Jordanus alio instrumento, seu Diplomate, primum quidem memoraverunt ejus Ecclesiæ acquisitionem, quæ dicebatur ad Arcum Dianæ, sub titulo S. Michaelis Archangeli, eo quod locus ille visus fuerat aptissimus pro Monasterio inibi extruendo. Inde vero ad hujusmodi donationem, seu dotationem processerunt: *Ob amorem Omnipotentis Dei, & ipsius Sancti, necnon pro salute animarum nostrarum . . . per hoc nostrum Principale scriptum damus, concedimus, & confirmamus in præfatum Cœnobium nuper a nobis constructum, & ubi nunc Venerabilis Abbas Capuanus regimen tenere videtur, quid quantum nostro Principali juri pertinet in toto Sarzano, cum omnibus hominibus, qui ibidem modo commorantes sunt vel fuerint*. Addere se etiam dixerunt partes ipsius Sarzani, quæ ad alios primum pertinebant, & Fisco deinde addictæ fuerunt. Aliam denique Ecclesiam eidem Monasterio concesserunt sub titulo S. Angeli Capuæ sitam, juxta plateam de *Auloaldischi*, cum omnibus juribus & pertinentiis.

Constitit præterea ex alio Diplomate ejusdem Principis Richardi de anno 1072., quod ipsemet obtulit, subjecitque Desiderio Abbati Montis Casini *Cœnobium S. Michaelis Archangeli, quod antiquitus dicebatur ad Arcum Dianæ, & nunc dicitur ad Formam, cum Ecclesiis sibi subjectis, & cum suis pertinentiis, quid qualiter nobis est pertinens, per chartam commutationis nobis emissam ante hos annos a Domno Hildeprando Archipræsule Archiepiscopatus SS. Protomartyris Stephani, & Agathæ, hujus Capuanæ Sanctæ Sedis, insimul etiam cum ipsa concessione, quæ per nostrum Principale scriptum ibidem a nobis concessa, & confirmata est*.

Quæ hactenus enarrata sunt, non ex memoratis tantum Diplomatibus, sed a Petro Diacono Chronicorum Cassinensium *lib.* 3. *cap.* 37., & a Mabillonio Annalium Benedi-

dictinorum *tom.* 5. *fol.* 46. *edit. Lucens. ad annum* 1072. proferuntur, & confirmantur.

Sed præter institutam hoc modo constructionem Monasterii S. Angeli ad Formas a Principibus Richardo & Jordano, & donationem inde additam primo ejusdem constructionis tempore, accedit quoque, quod Princeps idem Jordanus ann. 1089., anno videlicet 30. Principatus Capuæ, & ann. 26. Ducatus Cajetæ, novo alio Diplomate memoravit primum permutationem a Principe Richardo patre factam cum Archiepiscopo Hildeprando, constructionemque dicti Monasterii, dotationem, amplasque concessiones eidem a patre collatas; & quod illud insuper Monasterio Montis Casini subjecerit. Tum & religionis amore ipsemet motus, confirmavit primum Monasterio bona omnia a Principe patre donata, ac præterea hæc alia etiam adjecit: *Concedo quoque eidem Monasterio S. Angeli Ecclesiam S. Angeli Oladischi, cum terris, & servis, & cum omnibus suis pertinentibus; & Ecclesiam S. Benedicti Pictoli cum Ecclesiis, & terris, & pertinentibus suis, quæ Ecclesiæ sunt in Capua, & S. Petrum de Scafati cum Monasteriis, servis, & terris, & omnibus suis pertinentibus, & Ecclesiam S. Rufi cum servis, & terris, & omnibus suis pertinentibus; & Ecclesiam S. Agathæ sitam prope muros Aversanæ Urbis, cum hominibus, & terris, & universis suis pertinentibus; & unum castanetum optimum, & terras pro servitio hospitum, quod est prope Battitizzum in finibus Sarzani*. Tum alio Diplomate ejusdem anni fines descripsit supradicti castaneti, ad maximam quidem latitudinem.

Hujusmodi Monasterium, ut ex antiquis monumentis colligitur, penes Monachos Ordinis S. Benedicti ad sæculum usque XV. mansit. Eodem sane sæculo illud idem huic Monasterio usuvenit, quod hujus Regni Monasteriis & Abbatiis pene omnibus, nimirum, ut Commendatariis traderetur, nulla quidem ratione habita Jurium Regalium. Anno 1582. Cardinalis Antonius Carafa tunc Commendatarius ad ipsum Monasterium Cassinenses accivit e Congregatione S. Ju-

stinæ

ſtinæ Patavinæ, ut antiquam collapſam jam diſciplinam in eo reſtitueret. Sed cum ſucceſſores Commendatarii annuas præſtationes, Monachis pro eorum ſubſtentatione ſolvi ſolitas, tribuere neglexiſſent, paulo poſt, anno nimirum 1600. Caſſinenſes Cardinali Sfrondato Commendatario Monaſterium abdicarunt. A quo inde tempore, præter quamcumque Principum fundatorum voluntatem, Monaſterium cum reditibus ſuis omnibus penes Abbates Commendatarios permanſit.

Cum igitur ea ita ſint, viſum eſt Curiæ facillime expediri poſſe de jure patronatus quæſtionem. Cum enim ambigendum non ſit, ipſum Monaſterium fundatum dotatumque fuiſſe a Principibus Nortmannis, qui in his Regionibus ſummo imperio potiebantur (quod ſatis evidenter ex allatis Diplomatibus, & ex Hiſtoricis ipſis adparet); nec propterea dubitandum eſt, quin jus patronatus ad fundatores Principes, eorumque in Regno ſucceſſores pertineat. Conſtat enim jus patronatus fundatione, conſtructione, & dotatione Eccleſiarum ipſo jure adquiri. *Cap. quoniam* 3. *cap. nobis* 25. *de jure patron. cap. ad audientiam* 3. *de Eccleſ ædific. Can. piæ mentis* 23. *Can. decernimus* 29. *cauſ.* 16. *quæſt.* 7. Cumque in *Can. Monaſterium* 30. *cit. cauſ.* 16. *qu* 7. ſatis aperte ſtatuatur, quod *Monaſterium canonice conſtructum a dominio conſtructoris eo invito non auferatur:* nihil quidem rationi, ipſique juri Canonico magis erit conſonum, quam ut præfata Abbatia fundata, conſtructa, & dotata a Principibus Nortmannis, ad Reges ſucceſſores, cum nativo jure patronatus revertatur.

Fruſtra vero quis objiciat, jura Majeſtatis, ſi in uſum aliquando deducta non ſint, diuturnitate temporis amitti. Vulgatum enim eſt, jura Majeſtatis, inter quæ Regii quoque patronatus referri debent, ne millenariæ quidem præſcriptioni ſubeſſe. Id juris publici principium paſſim ubique obtinet, & pluribus hujus Regni ſanctionibus eſt confirmatum. His igitur perſpectis, & omnibus actis, Curia ita pronunciavit, cum voto Domini Regii Conſiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Conſultoris ejuſdem: ***Abbatiam S. Angeli***

geli in Formis Capuæ ſitam, conſtructam & dotatam ab antiquis Principibus Nortmannis in uſum Monachorum Ordinis S. Benedicti, derelictam deinde a Monachis ipſis, & nonnullis Abbatibus cauſa percipiendorum redituum commendatam, fuiſſe, & eſſe Regii patronatus; proinde fauſtiſſimo Regi, ejuſque in Regno ſucceſſoribus jus competiiſſe, ac competere nominandi in ea Abbatem vacationis tempore, ac ſimiliter cetera jura competere, quæ patronis competunt: necnon dictam Abbatiam cum omnibus ſuis reditibus, corporibus, granciis, bonis, juribus, rationibus, Eccleſiis, privilegiis, præeminentiis, & quibuslibet pertinentiis, una cum jure nominandi, juribuſque aliis patronatui adnexis, Regi reſtituendam, ac redintegrandam eſſe, ex nativa ſui natura, eamque in libris Curiæ cum ceteris Abbatiis, atque Eccleſiis Regii patronatus eſſe deſcribendam.

In cauſa Regii patronatus in Abbatiam Divi Angeli in Vultu, ſeu Monticuli. Die 29. Novembris 1779.

Ex dote data ab eo, qui ſummum imperium exercet, jus patronatus Regium manat. Data dos intelligitur, cum ad alendos Eccleſiæ Miniſtros fundi donati fuerint; etiamſi dotis vocabulum nõ adhibuerit donans. Quæ vero Eccleſiæ conceſſa corpora juriſdictionis exercitium cõtinent, nonniſi a Majeſtate indulta dici debent; recteque jus patronatus Regium probant.

QUod ad controverſiam de redintegrando Regio patronatu in Abbatiam S. Angeli in Vultu, pendentem in Curia Capellani Majoris, res ita ſe habet. Ab ipſo anno 1771. Promotor Fiſcalis exhibuit monumenta dotationis ab antiquis Principibus Longobardis, Nortmanniſque pro prædicta Abbatia erigenda factæ, ejuſque redintegrationem petiit. Patronus etiam Regiæ Coronæ ab ipſo anno 1772. poſtulavit libello ſuo, ut prædictæ Abbatiæ fructus ſequeſtro ponerentur, ne cum Principis, & pauperum detrimento conſumerentur. Interea temporis Romana Curia prædictam Abbatiam pro recepto more commendavit Franciſco Caraſa Cardinali. Ejus nomine contra redintegrationem a Fiſco petitam diverſæ exceptiones fuerunt oppoſitæ: petitum quoque, ut ea Abbatiæ commendatio Regio placito ex uſu recepto confirmaretur. In eo partium conflictu hæc Curia in ſua ad Principem conſultatione cenſuit, ut cauſa ſubjiceretur judicio ordinario, in quo invicem propoſita rationum momenta accuratius perpenderentur. Eadem Curia Regali clemen-

tiæ definiendum remisit, an inter judicii moras Regio placito munienda foret prædicta commendatio. Ea de re bina Regis optimi rescripta sunt evulgata. Primo mense Septembri anni 1774. cautum, ut ob singulares Commendatarii causas Regium *exequatur* ei concederetur. Altero mense Augusti anni 1776. vetitum, ne ob privilegium in primo rescripto Cardinali Carafa concessum, præjudicium creatum intelligeretur redintegrationi a Fisco petitæ. Curiæ igitur in mandatis datum, ut judicium jam institutum absolveret, ejusque exitum Principi exhiberet. Ob ejus igitur rescripti executionem ad ipsius controversiæ definitionem Curia procedendum censuit.

Re autem rite perpensa, de Regia controversæ Abbatiæ dotatione dubitandum vix videbatur. Primo enim constat, ex Diplomate anni 967. cujusdam Longobardi Principis, qui in eo inscribitur *Pandolfus Princeps de Consa, & de Rapolla, Magister, & Dominator, & acquisitor Principatuum*, eum apud Consiam nono sui principatus anno declarasse, præceptum Evangelicum se sæpe sæpius perpendisse, quo misericordia erga pauperes commendatur; ea de causa se decrevisse *dare Villam de Monticulo Ecclesiæ, & Monasterio Sancti Michaelis de Monte Vulturano, in quo est Venerandus Abbas Benedictus, cum quinquaginta Monachis, qui pro timore Dei dimiserunt omnia sua, & vivunt sicut pauperes in illo sancto loco, & Ecclesia*. Indidem liquet ejus deliberationis implendæ causa eumdem Principem cum diversis civibus prædictæ Villæ de Monticulo ad dictum Monasterium contendisse oratum Abbatem, aliosque Monachos, ut pro se orarent, ac divinam misericordiam erga se provocarent: id officium Principi lubenter præstitisse Monachos, ejusque nomen litteris consignasse; his ita transactis, oblationem suam ita nuncupasse: *dedi dicto Monasterio Villam de Monticulo cum omnibus pertinentiis suis, quæ fuit de patre meo, & matre mea, & ego habebam, & de patrimonio .... & rogavi Dominum Abbatem, ut veniret ad Consiam, & acciperet ibi privilegium de oblatione dicta, & veniens Dominus Abbas, nobisque junctis in Civitate Con-*

Confiæ, & in præsentia Domini Petri Venerabilis Episcopi ipsius, junctatis sic omnibus, qui ibi erant, cognovi quod feceram in Monasterio, & dixi Domino Abbati, ut faceret de Villa Monticuli quicquid vellet sicut Dominus, & feci jurare omnes Monticuli, ut facerent præceptum Abbatis, & essent omnes Monasterii omni tempore.

Rursus ex alio Diplomate anni 1080. apparet, Nortmannum Principem cognomento *Goffridum Simacioli Dominum Corbi filium* Dei charitate tactum in remedium animæ obtulisse *perpetuo jure Monasterio S. Michaelis Archangeli Vulturani, SS. Trinitatis Ecclesiam sitam in loco, qui dicitur Catuna, & Villam, quæ dicitur Aquæ Tectæ, & S. Mariæ in hedera, Sanctique Ægidii Ecclesias cum omnibus suis pertinentiis, juribus, territoriis cultis, incultis, pascuis, sylvis, vineis, aquis, molendinis.* Oblatio isthæc id singulare habet, quod expleta fuit in præsentia, & cum subscriptione Ducis Roberti Guiscardi, ejusque filii Rogerii Comitis, Desiderii Abbatis Casinensis, Balduini Melphitani Episcopi, Constantis Episcopi Venusini, Mathonis Episcopi Montisviridis, atque aliorum honestorum hominum, *qui aderant Melphiæ in palatio Pontificali.* Id Pontificale palatium ab eo diversum fortasse non fuit, in quo pluribus ante annis domicilium sibi delegerat Pontifex Nicolaus II., dum centum Episcoporum Concilium Melphi habuit, & Ecclesiam Divi Angeli in Vultu consecravit.

Præterea ex aliis quoque monumentis liquet, post Friderici II. obitum, Galvanum Lanceam, qui Manfredi Tarenti Principis partes sequebatur, spoliasse Monasterium Villa Monticuli tamquam de jure Regio. Haud ita multo post, rerum apud nos potito Carolo I. Andegavensi, prædicti Monasterii Abbas cum eo expostulavit ob res a Galvano direptas. Proinde idem Carolus anno 1266., ipsius Regni primo, præcepit Justitiario Lucaniæ, ut Monasterio Monticulum restitueret, si de ejus dominio, & possessione constaret; ita tamen, ut eam ob rem neque Regiis juribus, neque alterius cujuscumque præjudicium creatum intelligere-

K 2 tur.

tur. Mandato Juſtitiarii Guilemus Melphitanus Judex tota de re accuratam inquiſitionem inſtituit. Monticulum igitur petens accurate perpendit inſtrumenta a Monaſterio exhibita, teſtes audivit; tota autem inquiſitio eo rediit: *Qualiter quondam Pandulfus Princeps Conſiæ pro ſalute animæ ſuæ, & omnium parentum ſuorum, & pro remiſſione omnium peccatorum eorumdem, donavit Villam Monticuli Monaſterio S. Michaelis de Monte Vulturano. Probatur per inſtrumentum publicum inde confectum; prout teſtes jurati, & interrogati dixerunt, quod Caſtrum, & Terra Monticuli cum tenimento, & aliis pertinentiis ſuis, ſitum in Juſtitiariatu Baſilicatæ pleno jure ſpectet ad dictum Monaſterium Vulturenſe; & unuſquiſque dixit, quod pluries vidit, & legit privilegium donationis, & confirmationis ipſius Caſtri, & Terræ Monticuli, & tenimenti ejuſdem, factum eidem Monaſterio de ipſis Caſtro, & Terra, & pertinentiis ſuis a qu. Pandulfo Principe de Conſia, & Regibus Siciliæ, ſcilicet Rege Rogerio, & Rege Guilelmo.* Teſtes etiam affirmarunt, Monaſterium ab immemorabili pacifice poſſediſſe *dictum Caſtrum, & territorium, & alias pertinentias ipſius Caſtri, percipiendo fructus, & alios proventus, & jura tam ab hominibus habitatoribus ipſius Terræ quoad jus temporale, & ſæculare, quam a Presbyteris, & Clericis ipſius Terræ quoad jus Eccleſiaſticum, & ſpirituale.* Alii quoque aſſeruerunt, *quod prædictum Monaſterium habebat ibidem Bajulos, & Judices, & faciebant ibidem regere juſtitiam, dominabantur ibidem tam in laicis, quam Clericis, Caſtro, & Terra, & hominibus Monticuli, tamquam in Caſtro, Terra, & hominibus pleno jure ſpectantibus ad Monaſterium ſupradictum.*

His ita compertis, Juſtitiarius Lucaniæ ſententia ſua definivit, *dictum Caſtrum Monticuli reſtituendum, & aſſignandum eſſe eidem Abbati, & Monaſterio Vulturenſi, jure Regio, & cujuslibet alterius, ſecundum formam ſacri mandati, ſemper ſalvo.* Ipſa vero ſententia per Monticuli reſtitutionem Monaſterio facta confirmata fuit. Proinde ipſe Carolus I. Diplomate ſuo juſſit, ab hominibus Monticuli Monaſterio ſolitas cautiones, ſeu *aſſecurationem*, quam vocant, præſtari juxta Re-

Regni consuetudinem, post præstitum Principi fidelitatis juramentum.

Jam vero documenta isthæc per Fiscum exhibita sunt eadem, quæ Cardinalis Nicolaus Coscia superioribus annis Commendatarius in Regia Camera produxit contra Universitatem Atellæ, ut proinde in dubium revocari nequeant. His igitur monumentis Fiscus innixus in prædictam Abbatiam Regium patronatum redintegrari petiit. Inde enim aperte constitit, Monasterium Vulturense dotatum fuisse per Principes, qui in certas Regni partes summum imperium exercuerunt. Dos Monasterio constituta ex ipsius Principatus bonis patet. Cum igitur privatis omnibus, qui dotem Ecclesiæ constituunt, jus patronatus competat, *Can. Nemo de consecrat. dist.* 1., idem juris Principi denegari non debet.

Fisci petitione ita constituta, adversus eam plures exceptiones opponit Commendatarius hodiernus Abbas. Primo enim is regerit, ex Pandulfi privilegio nullum patronatum nasci; namque ait, nullam in eo mentionem dotationis occurrere, unius oblationis mentionem fieri, & ex qua simplex titulus benefactoris enasci queat. His addit, Pandulfum neque Ecclesiam, neque Monasterium Vulturense fundasse, cum ipse Pandulfus testetur Diplomate suo, tempore liberalitatis suæ Ecclesiam & Monasterium extitisse cum quinquaginta Monachis. Inde vero infert dotantis vocabulum Pandulfo accomodari non posse; contendit enim, dotales veteres fundos Monasterio esse oportuisse, unde Abbas cum Monachis quinquaginta alimenta perciperet. Sane vulgatum in Regula Benedictina est, eam amplecti volentes sua omnia oportuisse deferere, atque ab ipso Monasterio alimenta percipere.

Enimvero re accurate perpensa, ejus exceptionis nullam rationem haberi placuit. Quamvis enim in Pandulfi liberalitate dotationis mentio fuerit omissa, reipsa tamen Ecclesiæ, & Monasterio dos per Pandulfum collata fuit. Neque enim oportet verba captare, sed qua mente quid fiat, animadvertere. Aliunde non quid dixerint, sed quid contra-

trahentes fecerint leges spectari jubent. Finem donationis suæ Pandulfus ostendit, cum dixit, quod Abbas, & Monachi quinquaginta *vivebant ut pauperes in illo sancto loco*, ac sibi observari regulam Evangelicam, quæ indigentibus opitulari jubet. Cum igitur Monasterio tradidit Villam Monticuli, cum reditibus inde percipi solitis, revera dotem ei constituit, quamvis in donatione sua dotis vocabulum non adhibuerit. Ipsum jus civile ad dotis qualitatem constituendam dotis vocabulum non requirit. Sane definit Jurisconsultus in *L.* 23. *ff. de jur. dot.*, in dote seu constituenda, seu tradenda, dotis mentionem fieri non oportere. Lubet in re ista celeberrimi ipsa Jurisconsulti verba hic exhibere ex *d. L.* 23. *de jur. dot.: quia autem in stipulatione non est necessaria dotis adjectio, etiam in traditione tantumdem dicimus*.

Sed ex ipsis rebus in promptu est argumenta desumere. Nemo unus inficias iverit, dotis vocabulo contineri su dos, unde Ecclesiæ Ministri vitam tolerare solent. Jus igitur patronatus ei etiam deferri debet, qui fundos Ministris dederit, licet eos dotis vocabulo non designavit. Aliunde Canones patronatum illis deferri jubent, qui dotem Ecclesiæ constituerint: in eo tamen negotio non vocabulum, sed res ipsas, & facta spectant. Dos scilicet, quæ Ecclesiis constituitur, Ministrorum alimenta, aliaque complectitur, quibus Ecclesiarum necessitatibus occurri possit. Dotem constituentibus Canones jus patronatus deferunt. Ex Canonum igitur sententia jure patronatus excludi non debent, qui Ministris alimenta constituunt, & largitionibus suis necessitatibus Ecclesiarum subvenerint, quamvis in datione mentionem dotis nullam injecerint. Id apertissime definitur in prædicto Canone *Nemo*, *de consec. dist.* 1.; ibi enim dotis mentione neglecta, jus patronatus defertur generatim omnibus, qui facultatibus suis quotidianis Ecclesiæ necessitatibus consulunt, iis scilicet, qui ea præstant, quæ luminaria, custodiam, & ipsorum custodum stipendia spectant. Ipse Imperator Justinianus ea in re sententiam Canonum expressit, & modum indicavit, quibus jus patronatus acquiri solet, in *Nov.* 57.

cap. 1.;

cap. 1.; sic enim ibi: *Si quis ædificans Ecclesiam, aut etiam aliter in ea ministrantibus alimenta expendens*. Eum vero locum ad Justiniani mentem ita interpretatur in epitome sua Julianus antecessor Constantinopolitanus: *Si quis Ecclesiam ædificaverit, aut Clericis ex sua substantia annonas dederit*. Eo autem loquendi modo in re alimentaria ipsi profani Scriptores sunt usi. Ita quidem Vopiscus in Aureliano: *Templum solis fundavit, & Pontifices roboravit: decrevit etiam emolumenta sartis tectis, & Ministris*. Ad eum Vopisci locum opportune Salmasius: *Salariis, & reditibus opimis annuis eos ditavit, & munivit*.

At vero adversus ea quæ diximus perperam excipitur, Monasterio non defuisse, unde Abbas, & Monachi quinquaginta percipere alimenta possent. Id enim ipsis Diplomatis verbis aperte adversatur. Nam ibi quidem Pandulfus testatur angustissimas res Monasterii fuisse, & Abbatem cum Monachis vixisse ut pauperes. Si igitur vivebant ut pauperes, eis alimenta ad vitam tolerandam deesse oportebat. Vanior adhuc exceptio est, quæ ex Regula Benedictina desumitur. Si enim Abbas, & Monachi non indiguissent alimentis a Pandulfo præstitis, ejus donationem Regula obstante non acceptassent. Contra tamen est factum; post eam enim, Pandulfum *alacre acceperunt* ad suam orationem. Eo accedit, quod si Regula obstitisset, a Carolo I. Andegavensi Monachi non postulassent restitutionem Monticuli, a cujus possessione per Galvanum Lanceam dejecti fuerant *in ipsius Monasterii præjudicium, & non modicam læsionem*; neque hujusmodi postulationi Carolus annuisset.

At palmarium hodierno Abbati est argumentum inde desumptum, quod Pandulfus donationis auctor jus summi imperii in Regno nunquam exercuit; idipsum de Goffrido asserit, qui liberalitate sua dotem Monasterii auxit. Exceptionem suam inde confirmat Abbas, quod sub Longobardorum Principatu, Capuæ tantum, Salerni, & Beneventi Principes jus summi imperii apud nos usurparunt; in Regno reliqui ab eorum nutu pendebant; Principis vocabulum ad eos

eos tantum pertinuiſſe, qui Salerni, Capuæ, Beneventi imperitarunt; & in veteribus monumentis Conſiæ Principes nuſquam occurrere. His ita conſtitutis, Abbas opponit, ad Regem quidem pertinere poſſe jus patronatus in Eccleſias ab iis fundatas, qui jus ſummi imperii exercuerunt, neutiquam vero in eas, quæ a privatis hominibus ſuis allodiis dotatæ fuerint; ejuſmodi vero eſſe controverſam Eccleſiam.

Enim vero ea quidem exceptio facile repelli poteſt. Fiſcus enim oſtendit, Principes Longobardos ad ſucceſſionem vocaſſe non tantum liberos natu majores, ſed minores etiam, quos inter vici, pagi, Civitates dividebantur, quibus Principatus conſtabat, liberos vero natu minores jure ſummi imperii uſos eſſe in eis Regionibus, quæ ad ipſorum pertinebant dominium. Hinc tot Comites apud Longobardos, qui jus ſummi imperii in ſuo quiſque territorio exercuerunt. Atque inde ratio reddi poteſt, cur in tot fruſtra comminutum Longobardorum imperium Nortmannorum virtuti ceſſerit. Utcumque id erit, illud conſtat, fundationes a quibuſcumque Principibus Longobardis factas Regii patronatus cenſeri oportere, eas enim cœptarunt Principes, qui ſummi imperii jura exercebant. Fallitur igitur Abbas cum regerit, unos Beneventi, Capuæ, & Salerni Principes jure Majeſtatis in Regno uſos.

Quod vero ad Principem Pandulfum donationis auctorem, quamvis ob temporum obſcuritatem de rebus ab eo geſtis non omnino conſtat, Fiſcus tamen oſtendit veriſſimum Diploma eſſe, ejuſque ingenuitatem numquam in dubium revocatam eſſe. Sane idem Diploma productum in judicio fuit Caroli I. Andegavenſis ævo, cum agebatur de ejuſdem conceſſionis vigore. Id ipſum rite agnitum legitimum fuit habitum. Inde factum, ut Terra Monticuli nomine Curiæ per Galvanum Lanceam occupata Monaſterio Divi Angeli in Vultu ſit reſtituta. Eo accedit, quod ſuperior Commendatarius Abbas monumenta iſthæc in judicio ultro allegavit. Ejus igitur ſucceſſor ingenuitatem Diplomatis in dubium revocare non poteſt.

Ex

Ex dictis hactenus Fiscus evincit, Pandulfum jura summi imperii in Consiam, & Rapollam exercuisse. Licet igitur neque Beneventi, neque Salerni, neque Capuæ is imperarit, patronatus in controversam Ecclesiam ad Neapolitanos Principes jure Regio pertinet. Sed singulares tituli, quibus in Diplomate designatur Pandulfus, ex sententia Fisci videntur ostendere, hunc Pandulfum eumdem esse cum Pandulfo, qui *capitis ferrei* dici solebat, qui primum Beneventi Princeps, mox potitus est etiam principatu Capuæ, & Salerni. Id si admittatur, ratio facile reddi potest, cur *acquisitor Principatuum* is dicatur in Diplomate suo. Id ipsum ideo probabilius videri debet, quia Diploma signatum dicitur anno 967. mense Majo *anno nono Principatus nostri*. Ineunte autem anno 959. Princeps Landulfus II. Pandulfum *capitis ferrei* Principatus socium renunciavit.

Utcumque id erit, facile Fiscus refellit exceptionem aliam, qua contenditur, res Monasterio donatas inter Regalia censendas non esse. Nimirum donata Monasterio fuit Terra Monticuli cum Vassallis, jurisdictione, territorio, prædiisque late patentibus: idque hodiedum dignosci potest ex vastis saltibus, & immensis terris cultis, & incultis, quæ in Monticuli Territorio continentur. Quod igitur donatum fuit, & ad Regalia spectabat, & ab eo tantum concedi poterat, qui summum exercebat imperium. Proinde si omnia argumenta deessent, ipsa rerum concessarum natura concessionem Regiam ostendit esse, & de Principis patronatu dubitari non patitur. Sane Manfredi tempore Terra Monticuli per Galvanum Lanceam occupata fuit tamquam ad Regiam Curiam pertinens. Cum etiam per Carolum I. Andegavensem ea Monasterio restituta fuit ob Pandulfi privilegium, id fieri placuit, salvis Majestatis juribus, quæ ad Principem pertinebant. Quod autem in Diplomate dicitur, Terram Monticuli paterno, materno jure hereditario, ad Pandulfum pertinuisse, id Fisci intentioni non obstat, id enim inculcat, eam Terram non primum ab ipso Pandulfo fuisse acquisitam, sed ad parentes quoque suos pridem pertinuisse.

Denique donatio Villæ, quæ dicitur Aquætectæ a Goffrido facta Nortmanno Principe patronatum Neapolitani Regis aperte adstruit. Ex historia enim Neapolitana constat, nondum sub Rogerio Neapolitanis Provinciis in Regni formam redactis, veteres Nortmannos Principes pro se singulas regiones cepisse, easque jure summi imperii ad illos pertinuisse, qui ipsas debellassent. Ejusmodi Goffridus fuit: ejus igitur donatio jure Majestatis est expedita. Aliunde ea donatione aucta fuit dos Monasterii. Vulgatum autem in jure est, patronatum acquiri *seu augumento dotis*, *seu nova constructione*, *vel alia simili causa*. *Conc. Trident. sess.* 25., *cap.* 9. *de Reform.*

His omnibus rite perpensis, Curiæ Ill. & Rev. Dom. Capellani Majoris visum, de Regio patronatu in Abbatiam Divi Angeli in Vultu dubitari non posse; exceptionum vero per Abbatem oppositarum nullam rationem haberi oportere. Quapropter inspecta petitione, *fol.* 1., inspectisque scripturis exhibitis, Regalibus rescriptis, & instantia, *fol.* 4. 7. 9. 12. 19. 30. 35. 38. 41. 43. 48. 49. & 55., ac omnibus actis, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris, ita pronunciavit: *Abbatiam Divi Angeli in Vultu, seu Monticuli, tamquam largiter dotatam per Pandulfum Longobardum Principem, & Goffridum Nortmannum, fuisse, & esse de Regio patronatu, cum facultate nominandi Abbates queties Abbatiam vacare contigerit, & cum reliquis juribus, quæ Regium patronatum sequuntur: proinde prædictam Abbatiam cum Grancia Aquætectæ, cum omnibus suis Ecclesiis, pertinentiis, dignitatibus, corporibus, redditibus, exemptionibus, jurisdictionibus, privilegiis, præeminentiis, & integro statu, ad jura Majestatis secundum suum primævum statum redire oportere, atque in libros Curiæ referri inter alias Abbatias, Ecclesias, & dignitates, in quas jus patronatus serenissimo Regi competit.*

In

In causa D. Francisci Acquaviva ab Aragonia, Abbatis Regalis Abbatiæ Sanctæ Mariæ Matris Domini, cum D. Paschale Correale. Die 2. Decembris 1779.

INspecto supplici libello S. M. porrecto, & Regali rescripto, *fol.* 1. & 2., instantia, *fol.* 10., decreto termini, *fol.* 17. *a t.*, instrumento, *fol.* 21. & *seqq.*, instantia Regii Fisci, *fol.* 58. *a t.*, & omnibus actis, Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris, declarat: *D. Franciscum Acquaviva ab Aragonia, Abbatem a clementissimo Rege nominatum ad Abbatiam sub titulo Sanctæ Mariæ Matris Domini, non teneri rursus in emphyteusim concedere D. Paschali Correale prædia in territorio Salerni posita in loco dictitari solito* Vessola, *seu* Palmentello, *pertinentia ad Ecclesiam S. Mariæ in Vessola, prædictæ Regalis Abbatiæ granciam; proinde prædictum Abbatem pro arbitratu statuere posse de prædictorum prædiorum seu locatione, seu administratione: salva provisione facienda respectu fructuum pro præterito perceptorum. Neutram Partem in expensis.*

Regii juris patronatus cõsequens est, ut qui a Principe nominatus fuerit, non teneatur Ecclesiæ prædia rursus in emphyteusim concedere; cum antecedens emphyteusis, quippe quæ Principis assensu caret, nulla sit.

Nimirum D. Franciscus Acquaviva causam habet ab ipso Principe, qui Regiis suis codicillis ei deferri jussit prædictæ Abbatiæ administrationem, ob Regium patronatum in eam Principi competentem. Is igitur non obligatur rursus inire novos contractus emphyteuticos in prædictæ Regiæ Abbatiæ prædiis, qui sine ipsius Principis assensu sunt initi. Cum vero prædictorum prædiorum emphyteusis ab initio suo Regii assensus firmitate caruerit, eam hodiernus Abbas, ne si vellet quidem, sine assensu Principis, executioni demandare posset.

Sane prædictorum prædiorum emphyteusis, inita anno 1554. in annos vigintinovem ad renovandum, nullam ab initio firmitatem habuit, quamvis fingi velit, eam nudam qualitatem Ecclesiasticam habuisse, & patronatu Principis nusquam affectam. Nam alienatio isthæc expedita fuit solemnibus non observatis, in jure civili præscriptis in *Nov.* 7.

 cap. 2.

cap. 2. Eo accedit, quod licet emphyteusis contracta foret, cum obligatione impetrandi assensus Pontificii, qui pro ratione temporum necessarius habebatur in prædiorum Ecclesiasticorum alienatione; ne is quidem impetratus fuit. Neque ob temporis diuturnitatem præsumi potest assensum Pontificium re ipsa impetratum fuisse. Statim enim post contractum initum defectus assensus fuit oppositus: eadem vero oppositio insequentibus quoque temporibus perpetuo allegata fuit, neque umquam assensus est impetratus. Actus igitur ab initio infirmus tractu temporis convalescere non potuit. *L.* 29. *ff. de regul. jur.*

Sed in præsenti controversia eo argumento tuto carere licet. In ea agitur de alienatione prædiorum, quæ ad Abbatiam Regii patronatus pertinet. Explorati autem juris est, ejusmodi alienationes esse omnino irritas, ubi sine consensu Principis peractæ fuerint. Sane Canones generatim edicunt, patronorum consensum requiri oportere in distrahendis rebus Ecclesiæ, in quam jus patronatus alicui competit. *Can. Constitutum* 16. *qu.* 1. *Can. filiis* 16. *qu.* 7. Ea in re cum Canonibus convenit Regia declaratio faustissimi Regis Ferdinandi contenta in Regiis literis 27. Octobris anni 1777. His ita præstitutis, cum Cardinalis Firraus Abbas Commendatarius Abbatiæ Matris Domini anno 1609., alterque successor Nicolaus Xaverius Sanctamaria Cirenensis Episcopus anno 1742., veluti transigendo, controversam emphyteusim renovaverint, quisque quamdiu viveret: ex hujusmodi obligatione, contra juris formam inita, vix est, ut personæ ipsæ transigentium adstrigi potuerint; prædia vero ipsa nullo pacto obligari potuerunt. Nam respectu prædiorum ad Abbatiam pertinentium obligatio ulla enasci non potuit, sine consensu Principis, a quo novus contractus confirmandus erat, non minus ob jus Majestatis, quam patronatus.

His accedit, Paschalem Correale ad judicium provocatum nihil adversus actorem opposuisse, neque in cursu termini adversus actionem quid excepisse: perpetuo autem tacuisse. Suo igitur silentio jus actoris agnovit. Vulgata enim juris

juris est regula: *Qui tacet, non utique fatetur, sed tamen verum est, eum non negare. L. 142. ff. de reg. jur.*

In causa Rev. Capituli Terræ Montorii cum Rev. Episcopo Interamnensi. Die 9. Augusti 1779.

IN Curia Regii Rev. Capellani Majoris hujus Regni agitata fuit conteotio ioter Rev. Episcopum Aprutioum, seu Interamnatem, & Rev. Archipresbyterum, Capitulumque Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Rocchi Regii patrooatus mediati Terræ Mootorii, ejusque Comitatus, num videlicet Archipresbyter modo dictus fulgeat jurisdictione quasi Episcopali in Terra Montorii, ioque Comitatu ejusdem super Caaonicos præfatæ Collegiatæ Ecclesiæ, atque super Clerum & populum ejusdem Terræ, totiusque Comitatus? Et an possit instituere Canooicos numero duodecim, componentes Collegium, sive Capitulum ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ, ad præsentationem Regiam, nunc vero ad præseotationem Illustris Comitis utilisque Domini Montorii, suique Comitatus, atque feudalis patroni, valeatque vicissim Capitulum instituere Archipresbyterum ad eamdem Regiam præsentationem, sive ad præsentationem ejusdem Ill. Comitis feudalis patrooi pro nunc, & durante linea ejusdem, nulla prorsus iotercedente approbatione prælaudati Episcopi Aprutini? Iosuper an ne potis sit Archipresbyter constituere Vicarios, seu Capellanos ad suum nutum amovibiles, curam animarum exercentes in Parochiis Comitatus prædicti eidem Ecclesiæ Collegiatæ S. Rochi unitis, absque licentia, & approbatione supradicti Aprutini Episcopi? Sit ne demum eadem Collegiata Ecclesia nullius Diœcefeos, habeatque territorium, seu potius Diœcesim separatam, divulsamque tam a Diœcesi Aprutioa, quam a Penneosi, quibus contermious est atque finitimus totus Montorii Comitatus? Reiotegraodumque pariter sit supradictæ Ecclesiæ Collegiatæ beneficium, sive Ecclesia S. Bartholomæi de Fajeto, tamquam de evidenti Regio jure patronatus, sive patronatu feudali?

Ex unione Ecclesiarum in Oppido populoso, quæ animarum curam habent, censetur translata jurisdictio Ecclesiastica, & spiritualis in Prælatum inferiorem; atque ex potestate Prælato inferiori tributa præficiendi personas spirituali regimini, Clerum, & personas Ecclesiasticas visitandi, corrigendi, puniendi, inducitur territorium separatum nullius Diœcesis, a Diœcesi Episcopi divulsum.

Affir-

Affirmant Archipresbyter, atque Capitulum, ajuntque his præeminentiis, & prærogativis potiri ob privilegium ab Pontifice Paulo IV. concessum anno 1559., quo anno vi Bullæ ejusdem, erecta fuit in Collegiatam Ecclesia S. Rocchi, eique unitæ annexæque fuere pleræque Ecclesiæ Parochiales, & beneficia Terræ Montorii, & Comitatus ejusdem; quæ nempe Ecclesiæ omnes, & beneficia, licet fuissent Regii patronatus in origine, & tunc temporis patronatus feudalis, nihilosecius accedente consensu Ducis Palliani, tunc Comitis Montorii, obtentoque pariter Regio placito, seu *exequatur* (in quo expresse declaratur Ecclesias prædictas, beneficiaque cetera fuisse Regii juris patronatus) in fundum dotis prædictæ Collegiatæ Ecclesiæ S. Rocchi, & pro divinis explendis, proque substentatione unius Archipresbyteri, & duodecim Canonicorum, utpote ex fundationis jure fuere per præfatum summum Pontificem unitæ, & jus patronatus Regium, seu feudale ex fundatione, & dotatione, neutiquam vero ex gratia, in præfata Bulla declaratum.

Negat vero Aprutinus Episcopus, asseritque elici nequaquam posse ex Bulla prædicta concessas fuisse Archipresbytero hujusmodi præeminentias, multoque minus jurisdictionem quasi Episcopalem, nec Ecclesiam Collegiatam S. Rocchi, ceterasque Ecclesias, & beneficia sibi unitas, esse nullius Diœcesis, neque habere territorium separatum; verum esse illas non solum in Diœcesibus, sed de Diœcesibus Aprutina, & Pennensi; instituendos propterea esse Archipresbyterum, & Canonicos per ipsummet Episcopum, licet ad præsentationem Comitis Montorii, approbandosque esse pariter Vicarios, seu Capellanos Ecclesiarum Comitatus Montorii per loci Diœcesanum; ceteroquin curam animarum in præcitatis Ecclesiis Parochialibus unitis exercere minime eos posse. Subjungitque in hac quasi possessione ipsum ab ævo longinquo reperiri.

In hac enim concertatione aliter fuit decretum per præclarissimum Dominum Regium Consiliarium Judicem datum per S. R. M. in appellationis gradu propositæ per Rever. Epi-

Episcopnm Aprutinum (cui appellationi postea inhæsere Archipresbyter & Capitulum), quam decisum extiterat prius per commendatissimum, laudatumque virum Dominum Regium Consiliarium tunc Curiæ Rev. Regii Capellani Majoris Consultorem. At cum mihi per eamdem Regiam, pientissimamque Majestatem demandata sit ejusdem concertationis cognitio, atque decisio in alio appellationis judicio petitæ per Archipresbyterum, & Capitulum; idcirco, ut causa sedulo, & ut par est, per vera juris principia discutiatur, decidaturque, ne quid detrimenti Regium jus patronatus capiat, necessarium propterea esse duco, ut prius in antecessum exponatur quidnam statutum fuerit per Paulum Papam IV. in prælaudata Bulla; quid inde juris ab ea in præsenti contentione derivetur, deducaturque. Et ut rite, recteque hæc omnia serventur, ipsiusmet Bullæ verba, quæ ad rem faciunt, hic in medium proferre, necessarium arbitror.

Summus Pontifex igitur Paullus IV. sua Bulla data Romæ septimo Kalendas Junii anni Incarnationis Dominicæ quingentesimi quinquagesiminoni supra millesimum, Pontificatus sui anno quinto, mensibus videlicet quatuor antequam mense Septembris mortem obiret, Ecclesiam S. Rocchi Terræ Montorii (quæ antea de Regio jure patronatus erat, tunc vero juris patronatus feudalis) in Collegiatam evexit, erexitque, eique univit aliquas Ecclesias Parochiales, *suppressis in eis nomine, & titulo Rectoris*, ut Pontifex ait, annuixitque plures alias Ecclesias, beneficiaque, quæ in Bulla sigillatim enumerantur, & præsertim beneficium, sive Ecclesiam *S. Bartholomæi de Fajeto*, quarum plerasque dictum fuit, fuisse de Diœcesi Pennensi. Quæ quidem erectio Collegiatæ Ecclesiæ, & unio factæ fuere, *ut Ecclesia S. Rocchi* (verba sunt Pontificis), *& Terra prædicta per amplius decorarentur, & animarum cura diligentius exerceretur, ac in ipsa Ecclesia S. Rocchi, divinus cultus, & Ministrorum Ecclesiasticorum numerus incrementum susciperet .... motu proprio, non ad Joannis Ducis, & Comitis Montorii, ac Universitatis, ac hominum prædictorum, seu alicujus eorum, vel alterius, seu alio-*

aliorum pro eis nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate ad Omnipotentis Dei laudem, & fidei Catholicæ exaltationem, Ecclesiam S. Rocchi prædictam ..... (dummodo ipsius Joannis Ducis, & Comitis, & patroni ad hoc, & infrascripta accedat assensus) erigimus in Parochialem, & Collegiatam Ecclesiam cum Sacrario, Cœmeterio, & fontibus Baptismalibus, necnon sigillo, & arca, sive capsa communibus, ac mensa Capitulari, aliisque Parochialibus, & Collegiatis insignibus, & in illa unum Archipresbyteratum dignitate principalem pro uno Archipresbytero, qui inibi caput existat, & præeminentiam, jurisdictionem, & superioritatem in Capitulum, & Canonicos ipsius Ecclesiæ S. Rochi, ac Clerum & personas Ecclesiasticas tam Ecclesiæ, quam Comitatus prædictorum habeat, illosque visitet, corrigat, & puniat, ac etiam curam animarum dilectorum filiorum Parochianorum dictarum Ecclesiarum Parochialium, & omnium aliarum personarum dicti Comitatus per se, vel Vicarios, seu Capellanos ab eo ad nutum suum ponendos, & amovendos, exerceat, fol. 22. ad 23.

Prosequitur deinde Pontifex in erigendo, ac instituendo duodecim Canonicatus cum duodecim Præbendis, uniendo propterea prælaudatæ Ecclesiæ Collegiatæ prædictas Parochias, Ecclesiasque ceteras, ac beneficia totius Comitatus, nedum quoad temporalia, verum etiam quoad spiritualia plenissimo jure. En Pontificis verba statuentia unionem temporalium rerum: *Itaque liceat pro tempore existentibus Archipresbytero, & Canonicis ejusdem Ecclesiæ S. Rochi, cedentibus, vel decedentibus singulis modernis Parochialium, & aliarum sine cura Ecclesiarum Rectoribus, ac Monasterii hujusmodi Abbate, vel Commendatario, aut illas, vel illa quomodolibet dimittentibus, vel amittentibus, seu in hoc expresse consentientibus, illorum omnium, & singulorum, ac bonorum, & jurium suorum quomodocunque corporalem, realem, & actualem possessionem per se, vel per alium, seu alios propria auctoritate libere apprehendere, ac perpetuo retinere, ac eorum fructus, reditus, & proventus in suos, & Ecclesiæ S. Rochi, necnon Mensæ hujusmodi usus, & utilitatem convertere.* Huc usque unio quoad tempo-

poralia, accipe modo unionem quoad spiritualia: *Necnon curam animarum dilectorum filiorum Parochianorum earumdem Parochialium Ecclesiarum per Capellanum, seu Capellanos ad eorum nutum ponendos, & amovendos exercere Diœcesani loci, vel cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita, ejusdem Joannis Ducis, & Comitis, ac patroni ad hoc etiam accedente consensu auctoritate Apostolica, & tenore præmissis perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus. Necnon ipsi Joanni Duci, & pro tempore existenti Comiti Montorii jus patronatus, & præsentandi ad Archipresbyteratum dicto Capitulo ad singulos vero Canonicatus, & singulas Præbendas hujusmodi etiam, ac prima vice ad eorum primæva erectione, & successive quoties illos, etiam apud Sedem eamdem vacare contingerit pro tempore existenti Archipresbytero ipsius Ecclesiæ S. Rochi personas idoneas in Archipresbyterum per Capitulum in Canonicos vero ejusdem Ecclesiæ per Archipresbyterum ad præsentationem hujusmodi instituendos eisdem auctoritate, & tenore similiter perpetuo reservamus, & concedimus; decernentes jus patronatus Joanni Duci, & pro tempore existenti Comiti hujusmodi ex fundatione, & dotatione, & non ex privilegio competere, fol. 13. a t., & 14.*

Pergit porro Pontifex abolere, irritumque declarare quicquid contra prædicta quomodolibet in posterum fieret: en ipsa Pontificis verba: *ac collationes, & provisiones, necnon quascumque alias dispositiones de Archipresbyteratu, ac Canonicatibus, & Præbendis præfatis etiam per Nos; aut Sedem eamdem absque Joannis Ducis, & pro tempore existentis Comitis hujusmodi pro tempore factas nullas, & invalidas, & nullius roboris, vel momenti fore . . . . . ac per Venerabiles Fratres nostros modernos, & pro tempore existentes Aprutinos, & Pennenses Episcopos, ceterosque quorum interest inviolabiliter observari; ac tam illas, quam easdem præsentes ex quavis etiam juridica causa, etiam ad ipsorum Episcoporum, seu aliorum Ordinariorum instantiam, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio defectu notari non posse, dict. fol. 14.*

Postquam igitur Pontifex pleno, immo plenissimo jure

 uni-

univit, annexuitque temporalia, ac ſpiritualia omnium Eccleſiarum Terræ Montorii, & totius Comitatus Archipresbyteratui, & Capitulo Collegiatæ Eccleſiæ S. Rochi, ceteraſque ampliſſimas poteſtates Archipresbytero contulit, ac Clerum, & populum ejuſdem Comitatus, quoad ſpiritualia eidem Archipresbytero curandum tradidit apertiſſime oſtendit ſe erexiſſe, & creaſſe Prælatum inferiorem jurisdictione quaſi Epiſcopali præditum, atque auctoratum, prout ex ſequenti forma comperitur: *necnon omnibus, & ſingulis aliis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, præeminentiis, gratiis, favoribus, & indultis aliis partium illarum Collegiatis Eccleſiis earumque Prælatis, & perſonis in genere, vel in ſpecie, aut alias quomodolibet conceſſis, ac quibus illæ, vel earum Prælati, Capitula, & perſonæ hujuſmodi utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere potuerunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere libere, ac etiam licite valeant eiſdem auctoritate, & tenore indulgemus, fol. 14. a t.*

Miſſa facimus cetera, quæ ad dignitatem, poteſtatemque Archipresbyteri Ecclæſiæque Collegiatæ S. Rochi augendam, pleno calamo in ſupradicta Bulla deſcribi ſtatuit Pontifex. Fuit deinde hæc eadem Bulla munita, ac roborata Regio placito, ſeu *exequatur* die decimaquinta menſis Januarii anni 1560., cui præceſſit die undecima ejuſdem menſis relatio Curiæ Rev. Capellani Majoris aſſidente pro Conſultore præclariſſimo Viro tunc Regio Conſiliario Joanne Andrea de Curtis, & adnotari merentur ejuſdem relationis ſequentia verba: *So de voto alla ditta Univerſità (di Montorio) doverſi concedere il ditto Regio exequatur, ut petitur per eſecutione di eſſa Bulla, atteſo detti beneficj ſo de jure patronato Regio, & in detta Bulla ſi fa menzione, come in ditta eſentione, & unione concorre l'aſſenſo del ditto Conte, fol. 16. a t.*

Hæc enim ſtatuit Pontifex in prælaudata Bulla, in qua licet alia multa legantur, quæ ad oſtendendam Archipresbyteri dignitatem, poteſtatemque exprimuntur; attamen ne prolixior ſim, conſulto ea omnia omitto. His igitur præmiſſis deveniendum nunc eſt ad enarrationem, explicationemque

juris,

juris, ac potestatis, quæ in Archipresbyterum jam dictum fuere per Pontificem demandatæ: & ut hoc facillime perspicueque quantum mihi datum est, exequar, operæ pretium esse existimo adnotare eum eisdem propemodum verbis nunquam satis laudatissimi Viri maximique Pontificis Benedicti XIV., ut ceteros taceam, tres adesse Prælatorum inferiorum species, sive, ut alii dicunt, classes.

Prima est eorum, qui certo præsunt generi, seu melius, speciei personarum existentium intra septa alicujus Ecclesiæ, Monasterii, seu Conventus, cum passiva exemptione ab Episcopi jurisdictione, ejuscemodi, namque sunt nonnulli Regulares Superiores, aliique Prælati Sæculares, qui una cum Ecclesia, Clericis, administrisque ejusdem Ecclesiæ, quibus præsunt, subjiciuntur immediate Romano Pontifici. Hæc enim prima species jure merito, ut mea fert opinio, dici potest infima Prælatorum inferiorum classis.

Secunda Prælatorum inferiorum species est illorum, qui habent, exercentque activam jurisdictionem in Clerum populumque certi loci, qui vero locus est intra Episcopi Diœcesim, ab eaque definitus, ac prope circumscriptus. Hi enim Prælati inferiores, improprie, & lato quodam loquendi modo, dicuntur esse *nullius Diœcesis*. Hæc namque, ni fallor, appellari potest media Prælatorum inferiorum classis.

Tertia demum species inferiorum Prælatorum est illorum, qui jurisdictionem activam habent in Clerum, populumque alicujus loci, seu Oppidi, aut plurium locorum, & oppidorum, quæ omnino avulsa, & separata sunt a cujuslibet Episcopi Diœcesi; dicunturque propterea constituere quasi quamdam Diœcesim, ubi Prælatus, iis exceptis, quæ ordinis sunt Episcopalis, omnia exercet, quæ ceteroquin ad jurisdictionem Episcopalem pertinerent. Et tertia hæc Prælatorum classis nobilissima, & suprema fas est, ut appelletur inter Prælatos inferiores; proindeque vere, & proprie dicuntur *nullius Diœcesis*. Ita igitur distinguit, describitque Prælatos inferiores præclarissimus, doctissimusque ille Pontifex, sæculique sui decus Benedictus XIV. in suo perce-

M 2 lebri,

lebri, eruditiſſimoque Opere de *Synodo Diœceſana cap. II. n. 2. 3. & 4.* uti ante eum monuere *Clemens de Aroſtegui in concordia Paſtorali ſuper jure Diœceſano inter Epiſcopos, & Prælatos inferiores part. I. cap. 4. n. 64. & ſeq.*, & Cardinalis Petra ad *Conſtitut. 4. Calliſti III. ſect. I. tom. 5.*

Adjiciendum inſuper eſt, quotidem plæclariſſimus Pontifex Summus diſſeruit, ſtatuitque ſua *Conſtitutione, ſeu Epiſtola decretali ſeptuageſima ſexta tomi primi ſuarum Conſtitutionum*, exarata pridie Idus Martii anno Incarnationis Dominicæ ſeptingenteſimo quadrageſimo ſecundo ſupra milleſimum, ad profligandam vetuſtam contentionem vertentem inter Epiſcopum Converſanenſem, & Hieroſolymitanam Religionem aſſerentem ſibi Ordinariam juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in Oppido Putiniani circumſcripto, & conterminato ab Converſanenſi Diœceſi. Edixit enim inibi Summus Pontifex, poſſe Prælatum inferiorem juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & Ordinariam exercere in aliquo Oppido, vel, ut hoc verbo utar, Metrocomia majori, aliiſque vicis ab ea dependentibus, duobus modis, privilegio Pontificio nempe, & immemorabili præſcriptione; rejecta per laudatum Pontificem quadragenaria titulo colorato, ut dicitur, adjuncta, licet per quamplurimos Scriptores, Tribunaliumque deciſiones aliquoties hæc quadragenaria præſcriptio cum titulo colorato unita ad exercitium hujuſce juriſdictionis viſa ſit ſatis.

Et quamquam Hieroſolymitana Religio affirmaret, ac tueretur juriſdictionem prædictam ſibi fuiſſe conceſſam per Joannem XXII. Papam anno 1317., quo Monaſterium S. Stephani Ordinis S. Benedicti ipſimet Religioni fuit unitum hiſce clauſulis, formuliſque: *Cum Eccleſiis, Capellis, membris, Caſtris, Caſalibus, granciis, territoriis, olivetis, poſſeſſionibus, juribus, juriſdictionibus, libertatibus, privilegiis, & exemptionibus, ac omnibus bonis, juribus, & pertinentiis ſuis;* attamen jure merito Maximus Benedictus XIV. parvifecit, ſprevitque Hieroſolymitanæ Religionis prætenſionem, cum ex formulis illis unico Monaſterii tantummodo, quoad tempo-

poralia, secus vero, quoad spiritualia arguebatur; aitque propterea Summus Pontifex *tenore præfatæ Constitutionis (Joannis XXII.) minime ex ea evincitur in Magnum Magistrum, ejusque Commendatarios translatam fuisse plenam, & omnimodam jurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem, non solum in Ecclesias, & loca, verum etiam in Clerum, & populum, quemadmodum necessarium est, ut Prælatus inferior suum peculiare habeat territorium, a reliqua Episcopi Diœcesi separatum*, §. 6. *dict. Const.*

Additque Summus Pontifex minime censeri verisimile traslatam fuisse in dictam Religionem jurisdictionem quasi Episcopalem ex supra transcriptis, aliisque Joanninæ Constitutionis formulis; quia ut verbis propriis Benedictinis utar: *nullum verbum de Oppido populoso, soluto, ut prætenditur, a lege Diœcesana, & avulso a jurisdictione Episcopali: nullum de personis spirituali regimini in posterum præficiendis: nullum de finibus apte designandis: nullum denique de cura gregis, & vigilantia Pastoris in dicta Constitutione adjecisset, si revera id facere providus Pontifex in animo habuisset. Ibidem* §. 8.

Existimat igitur, definitque Summus Pontifex, censeri translatam jurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem in Prælatum inferiorem, quoties per unionem Ecclesiarum præcipue curam animarum habentium fiat verbum de Oppido populoso, & de cura animarum ejusdem: inducitur territorium separatum, & a Diœcesi Episcopi divulsum, cum Pontifex in concessione conferat Prælato inferiori potestatem præficiendi personas spirituali regimini grecis Metrocomiæ, Vicorumque sibi subjectorum finibusque designatorum; præcipue cum transferat, concedatque jurisdictionem activam, quoad spiritualia exercendam in Clerum, & populum itidemque Clerum, & personas Ecclesiasticas Metrocomiæ, ceterorumque Vicorum, seu totius Comitatus visitare, corrigere, atque punire. His igitur præeminentiis Prælato inferiori concessis, jure hic dicitur Prælatus tertiæ speciei, seu classis, qui omnia exercere potest, valetque exceptis iis, quæ ordinis Episcopalis sunt, videlicet Confirmatione, & Sa-

Sacrorum Ordinum collatione, eſt nullius Diœceſis, habetque territorium ſeparatum, & quaſi Diœceſim avulſam a reliqua Epiſcopi Diœceſi.

His modo adnotatis obſervandum eſt ecquidnam Paulus Papa IV. prælaudato ſuo Diplomate conceſſit Eccleſiæ S. Rochi Terræ, ſeu Oppidi Montorii? erexit primo illam in Parochialem, & Collegiatam regendam, gubernandamque per unum Archipresbyterum, duodecimque Canonicos, *ut tam Eccleſia, quam terra prædictæ per amplius decorarentur, & animarum cura diligentius exerceretur, & divinus cultus, & Miniſtrorum numerus incrementum ſuſciperet, Archipresbyterum dignitate principalium munivit, ut inibi caput exiſteret, & præeminentiæ juriſdictionem, & ſuperioritatem in Capitulum, & Canonicos ipſius Eccleſiæ S. Rochi, ac Clerum, & perſonas Eccleſiaſticas, tam Eccleſiæ, quam Comitatus prædictorum* (Metrocomiæ nempe, & Vicorum ei ſubjectorum finibus deſignatorum) *haberet, illoſque viſitaret, corrigeret, & puniret, ac etiam exerceret, curam animarum, dilectorum filiorum Parochianorum dictarum Eccleſiarum Parochialium, & omnium aliarum perſonarum dicti Comitatus per ſe, vel per Vicarios, ſeu Capellanos ad nutum ſuum ponendos, & amovendos Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita.*

En juriſdictio Eccleſiaſtica, & ſpiritualis, quæ exigitur per Conſtitutionem Benedectinam ad efformandum, creandumque Prælatum inferiorem tertiæ claſſis; fuit namque hæc eadem translata per Pontificem Paulum IV. in Archipresbyterum, per eumdemque exercenda in Clerum, & populum non ſolum Eccleſiarum Parochialium, verum etiam totius Montorii Comitatus. En perſonæ, Vicarii videlicet, ſeu Capellani, qui per Archipresbyterum præficiuntur in poſterum ſpirituali regimini Oppidi popuioſi Montorii, atque Comitatus ejuſdem. En cura animarum habitualis apud Archipresbyterum, vigilantiæ cujus committitur *ponere*, vel *dimittere* ad ſuum libitum Vicarios, ſeu Capellanos pro exercitio curæ actualis totius populi Metrocomiæ, ſeu Oppidi Montorii, & omnium Vicorum ejuſdem, ſeu Comitatus; & quod

& quod maxime notandum est, en potestas Archipresbytero collata *ponendi*, *amovendique* ad suum nutum Vicarios prædictos pro cura spirituali totius populi Montorii, & Comitatus, *Diœcesani loci*, *vel cujusvis alterius licentia minime requisita*. Non secus ac ipsæ Episcopus in sua propria Diœcesi pro instituendis Vicariis curam animarum exercentibus a nemine licentiam, & approbationem expetere, neque requirere debet. En demum Terra Montorii, & totus Comitatus avulsi a Diœcesibus Aprutina, & Pennensi, quarum Clerus, & populus tamquam de territorio separato fuerunt submissi spirituali regimini Archipresbyteri exercendo per se, vel per Vicarios ad suum nutum ponendos, & amovendos; & Canonicos, & omnes personas Ecclesiasticas hujusce Territorii *visitare*, *corrigere*, & *punire*, sicut ipsi Episcopi Aprutinus, & Pennensis in propriis Diœcesibus Clerum, & personas Ecclesiasticas visitant, corrigunt, & puniunt. Et quamquam punitio, & correctio ambiguam pati possint interpetrationem, & cumulative, videlicet Prælato inferiori, & Diœcesano, non autem privative eidem Prælato concessæ aliquoties dici possint, ut voluit Van-Espen in *jur. Ecclesiastic. part.* 3. *tit.* 12. *cap.* 5. *n.* 22. attamen *visitatio* unius jurisdictionis ordinariæ tantum est Diœcesani loci; ita namque definitum legitur ævo posteriori, & per novam Ecclesiæ disciplinam per Innocentium III. in *Cap. cum venerabilis* 21. *de censibus*, *exactionibus*, & *procurationibus*, ubi legitur: *Episcopum ratione Episcopalis jurisdictionis*, *quam habet* (in Ecclesiis) *teneri causa correctionis*, *visitare eas*; quo etiam tempore audiri cœpit, visitationis exercitium impræscriptibile esse, etiam per tempus immemorabile, utpote ipse Innocentius III. rescripsit in *Cap. cum ex officii* 16. *de sentent.* & *rei judicat.*; notatque inter ceteros Franciscus Florens in *Cap. auditis de præscriptionib. cap.* 4 quicquid in primæva Ecclesiæ disciplina actum sit circa visitationis exercitium tribus primis sæculis, innovatumque sit posterioribus, de qua re videndus est Thomassinus *de veter.*, & *nov. Eccles. discip. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 77. & *seq.*, cui adjungendus est eruditissimus Boeh-

Boehmerus in suo *jure Ecclesiastico lib.* 3. *tit.* 39., qui satis accurate docuit §. 18. rem secus se haberi cœpisse sæculo IV., quo *Imperii sacri fulcra quodamodo in potentioribus Ecclesiis jacta fuerunt, ita quoque jus visitandi Ecclesias illi* (sacro Imperio) *primario adscriptum*; additque §. 41.: *Ac facta mutatione, audita est vulgata sententia; visitationem esse actum Episcopalis jurisdictionis, hoc est Imperii sacri*. De qua enim visitatione, jure ne, an injuria sese abstinuere Summæ Potestates ab adjungendo Episcopis missos Dominicos, seu Regios per eosque visitare ipsos Episcopos, hic loqui missum facio, & ad rem deveniendo, dico, negari hodie nefas esse, visitationem proprie esse actum Episcopalis jurisdictionis exequendæ intra suæ Diœceseos fines; nam *visitationis jus*, ut ait laudatus Boehmerus §. 62., *ex jurisdictione Ecclesiasticæ visceribus petitur*; propterea *non amplius, ut olim, & ab initio in iis per modum doctrinæ, & functionis Pastoralis, seu Doctoris proceditur, sed pro Imperio, secundum regulas jurisdictionis Ecclesiasticæ; ut passim &c*; immo, ut docet Vir ceteroquin eruditus Abasverus Fritschius in suo Tractatu, *de jure visitandi Ecclesiastico cap.* 3. *num.* 1. & 2., *ita visitandi jus adnexum infixumque esse Ecclesiasticæ jurisdictioni, ut nonnisi eam habendi competere, in confesso est apud omnes, Cap. si Episcopus, ubi Glos. &c. . . . Ideoque visitationis actum exercens in loco aliquo, superior esse, & jus Episcopale habere præsumitur, per ea, quæ tradit &c.* iisdemque verbis, eademque sententia antea hoc idem edocuit Theodorus Reinkingkius *de regimine Sæculari, & Ecclesiastico, lib.* 3. *clas.* 1. *cap.* 7. *n.* 13. Et ita passim Rota Romana pro explorato habuit *decis.* 192. *n.* 2. *par.* 2. *diversor.* & *decis.* 394. apud Farinacium; docuitque post ceteros Erasmus a Cochokier Vir doctus Leodiensis in suo Tractatu *de jurisdiction. Ordinarii in exemptos, tom.* 1. *part.* 5. *qu.* 52. *n.* 3. Archipresbytero enim Collegiatæ Montorii non solum fuit expresse concessa correctionis, punitionis, & præcipue *visitationis* potestas Canonicorum, & Cleri ejusdem Terræ, & personarum omnium Ecclesiasticarum, & quoad spiritualia omnis populi totius Comitatus; sed fuit ipse idem Ar-

Archipresbyter in Paulino Diplomate paulo ante transcripto constitutus, creatusque *caput*, *cum praeeminentia*, *jurisdictione*, *& superioritate in Capitulum*, *& Canonicos Ecclesiæ S. Rochi*, *ac Clerum*, *& personas Ecclesiasticas tam Ecclesiæ*, *quam Comitatus*, & cum hac præeminentia, jurisdictione, & superioritate tamquam caput Ecclesiæ S. Rochi, & Comitatus, optimo quidem jure privativo, corrigit, punit, *visitatque* omnes de Ecclesiis Terræ Montorii, Comitatusque.

Eo magis ex prælaudato Paulino Diplomate, vel si mavis dicere, Bulla elicitur Archipresbyterum Montorii describendum esse in albo Prælatorum inferiorum tertiæ speciei, sive classis, docte eruditeque per Benedictum XIV. definitorum; quia translata, atque concessa fuit ei potestas instituendi Canonicos per Patronum feudalem præsentandos; & ut ab omni Episcopi Aprutini subjectione prorsus eximeretur, subtrahereturque, Canonicis Ecclesiæ S. Rochi mandata fuit potestas ad præsentationem ejusdem feudalis Patroni, instituendi Archipresbyterum; subtrahere, namque, seu eximere ab institutione Episcopi Archipresbyterum, qui caput existat, præeminentiam, jurisdictionem, & superioritatem exerceat in Capitulum, omnesque de Territorio Montorii, ejusque Comitatus, illosque corrigat, puniat, visitetque, atque curam animarum, sive per se, sive per Vicarios ad nutum constituendos, dimittendosque in eodem Territorio exerceat Diœcesani loci, vel alterius licentia minime requisita, nihil aliud profecto est, quam constituere Prælatum inferiorem nobilissimum tertiæ classis, qui jure appellari mereatur *nullius Diœcesis*, ut sæpius, laudatus Summus Pontifex Benedictus XIV. statuit, aliique docuere.

Ex his eisdem præeminentia, jurisdictione, & superioritate adstruitur, frustra, immo contradictorie adscribi Episcopo Aprutino, sive institutionem Archipresbyteri Canonicorumque Ecclesiæ Collegiatæ S. Rochi, sive eorum approbationem; directe enim hæc adscriptio destruit Bullam Paulinam, quæ derogat potestatem Episcopo Aprutino instituendi, sive Archipresbyterum, sive Canonicos, ut ex transcrip-

tis verbis liquido eruitur. Immo idem Pontifex declarat nullum, invalidum, nulliusque roboris, quicquid contra prædicta per Aprutinum Pennensemque Episcopos in posterum moliretur, en verba Pontificis: *ac collationes, & provisiones, necnon quascumque alias dispositiones de Archipresbyteratu, ac Canonicatibus, & Præbendis præfatis etiam per Nos, aut Sedem Apostolicam, absque Joannis Ducis, & pro tempore existentis Comitis assensu hujusmodi pro tempore factas nullas, & invalidas, & nullius roboris, vel momenti fore; necnon unionem, annexionem, & incorporationem, ac alia præmissa ... per Venerabiles Fratres nostros modernos, & pro tempore existentes Aprutinos, ac Pennenses Episcopos ceterosque quorum interest inviolabiliter observari, fol. 14.*

Perperam enim, & contra juris principia reservaretur Episcopo adprobatio personarum per alium ad curam animarum instituendarum; ejus namque est adprobatio personæ ad curam animarum, cujus ejusdem personæ est institutio ad animarum curam, præcipue cum qui instituit, potestatem habet dein institutum corrigendi, puniendi, ac visitandi. Et licet (nescitur, quibus sane disciplinæ principiis) ex Concilio Lateranensi in posterum duæ species institutionis inventæ sint, una nempe, quæ collativa tituli appellitatur, altera autorizabilis qua missio ad curam animarum transferri dicitur; attamen cum is, qui potestatem habet corrigendi, puniendi, ac visitandi (quæ est de Ordinaria jurisdictione Prælati loci) instituat personam per quemcumque Patronum eoque libentius per Patronum Regem, seu ejus loco per Patronum feudalem præsentatam, institutione autorizabili eam instituit, numquam vero collativa tituli, quia conferre in tali casu titulum, de Patrono dicitur, secundum dictam novam inventam disciplinam. Sed de hoc alibi per me fuit dictum, explanandumque fortasse in causa graviori erit.

At ut magis hoc axioma in propatulo sit, pateatque Aprutino scilicet Episcopo nullum jus competere, sive instituendi, sive approbandi Archipresbyterum, Canonicosque, eoque minus tam eidem Episcopo, quam Pennensi licere, ap-

approbare Vicarios ad nutum Archipresbyteri designandos, atque dimittendos, observandum est Paulum IV. prælaudata Bulla non solum erexisse Ecclesiam S. Rochi in Collegiatam, & Parochialem, verum etiam eidem uniisse Ecclesias Parochiales, ceterasque tam Terræ Montorii, quam totius Comitatus.

Hac autem unione jam existente disquirendum sane est, quænam unionis species illa fuerit? Autumant juris peritiores tres esse unionis species; unam nempe, quæ fit quoad temporalia tantum; alteram, quæ dicitur fieri pleno jure, tertiam demum, quæ plenissimo jure sæpius fieri contingit, ut optime edisserit Joannes Philippus Slevogtius in suis Opusculis juris Ecclesiastici *de unione Ecclesiarum, & beneficior. section.* 3. *cap.* 1. §. 9. & 10., licet ceteri duas tantummodo unionis species statuant, quoad temporalia videlicet unam; & pleno jure alteram, ut inter alios docet Ludovicus Engel in Opuscolo *de privilegiis, & juribus Monasteriorum privileg.* 46., quodque Opusculum præmissum visitur *tomo primo Collegii universi Juris Canonici* ejusdem Auctoris.

Dicitur autem fieri unio quoad temporalia tantum, quando una, vel pleræque Ecclesiæ Parochiales uniuntur alicui Monasterio, vel Cathedralis, sive Collegialis Ecclesiæ Capitulo, quoad bona, redditusque tantum, cum jure præsentandi Parochum, seu Rectorem, ab Episcopo tamen instituendum, ut asserit prælaudatus Engel *loc. cit. De unione quoad temporalia num.* 1. quamquam Slevogtius *loc. cit.* §. 10. putet, hujusmodi unionem quoad temporalia fieri, cum una Ecclesia, vel existens, vel collapsa, in qua seorsim antea sacra administrabantur, cum juribus suis, ac bonis omnibus ita alteri uniatur, ut pro una eademque censeatur.

Existimat ulterius idem clarissimus Vir supracitato §. 9. fieri unionem pleno jure, cum jus, redditus, ac temporalia percipiendi competat Abbati, vel Prælato sæculari, cum jure pariter investiendi, ac instituendi Vicarium sine tamen cura animarum, quæ solummodo ab Episcopo concedatur: propterea que Vicarius is, in iis, quæ ad curam animarum

N 2 per-

pertinent, ab Epifcopo non autem a Prælato inferiori approbari debeat, illique de cura prædicta refpondeat, ejufque jurifdictioni, ac *vifitationi*, una cum populo, five Parochianis fubjectus fit.

Fit demum pleniffimo jure unio, cum non folum jus percipiendi redditus, ac temporalia Prælato inferiori, vel Capitulo, feu Monafterio transfertur; verum etiam facrorum adminiftratio, ac animarum cura, quæ per fe, vel per Vicarium exercenda committitur, etiam abfque inveftitura, feu inftitutione; qui vero Vicarius fic pofitus, defignatufque appellatur temporalis, & ad nutum Prælati amovibilis, nam cura habitualis penes Prælatum refidet, actualis quidem, quæ & provifotia adminiftratio prælaudato Slevogtio, loco, quo fupra, dicitur, ad Vicarium, five Capellanum pertinet. Habetque hoc cafu Prælatus inferior, vel fi placet dici, Paftor primitivus jus vifitandi Clerum, & Populum fuæ Ecclefiæ, ceterarumque unitarum, poteftatemque corrigendi, puniendi, inftituendi, deponendique, ceteraque jura, quæ jurifdictionis quidem Epifcopalis funt, non autem Ordinis. Ita fane diftinguunt prælaudati Slevogtius *de unione Ecclefiar. cap.* 3. §. 9. & Engel *loc. cit.*, cui hæc unio dicitur *pleno jure*, & fortaffe non abs re, cum & ita pariter appellari placuit Innocentio III. in *Cap. cum inter vos* 13. *de fentent. & re judicat.*

Neque abnuit præclariffimus Van-Efpen, poft Abbatem Panormitanum, & doctiffimum Profperum Fagnani in explanatione Canonis IX. Concilii Lateranenfis III. fub Alexandro III. congregati, & per S. Raymundum de Pennafort interpolati in *Cap. cum & plantare, de privilegiis &c.*, docet enim inibi laudatiffimus Van-Efpen, locum minime fibi vindicare Lateranenfem Canonem ad Templariorum avaritiam, exceffufque reprimendos, coercendofque prolatum, quoties Ecclefiæ pleno jure fint Prælato inferiori addictæ unitæque; hoc eft cum cura animarum populi fit commiffa, populufque ipfe fubjectus eidem Prælato inferiori; tunc enim ifte efficitur Ordinarius cum Territorio feparato a quacumque Diœcefi,

cesi, diciturque hoc Territorium *nullius Diœcesos*, institutionem non solum collativam tituli, verum etiam auctorizabilem Prælatum ipsum habere.

His igitur de unionis effectu, atque efficacia prænotatis, pro comperto habetur ex privilegio Paulino unionem Ecclesiarum Parochialium, aliarumque, tam Metrocomiæ Montorii, quam ceterorum ejusdem Vicorum, seu Comitatus, pleno, sive mavis, plenissimo jure factam fuisse Collegiatæ Ecclesiæ Montorii: nam potestas Archipresbytero collata fuit instituendi Canonicos, iisque pariter illum: caput idem Archipresbyter constitutus fuit cum jurisdictione corrigendi, puniendi, immo & visitandi quascumque personas Ecclesiasticas populumque Montorii, & totius Comitatus, eique etiam fuit contradicta cura animarum, exercendo, sive per se, sive per Vicarios, Capellanosque ad nutum suum amovibiles: quæ cura, provisoria, administratio dicitur supralaudatis Auctoribus, cum habitu sit penes Archipresbyterum, actu vero penes Vicarios prædictos; quæ tamen omnia per Archipresbyterum exercenda finuntur, Diœcesani loci, vel cujusque alterius licentia minime requisita: utpote quæ exercentur per Archipresbyterum in proprio separato territorio, atque in nullius Diœcesi.

Infertur pariter ex eisdem supra explanatis, non obstare prorsus *caput decimum octavum sessionis vigesimæ quartæ de reformatione Tridentini Concilii*, multoque minus Bullam S. Pii V. *ad exequendum*, quorum sanctione statuitur, etiam Vicarios (quibus cura animarum Ecclesiarum Parochialium Monasteriis, Collegiis Capitulorum, & cuicumque alteri unitarum concredita sit) esse quidem per Episcopum approbandos, per Prælatum vero inferiorem nominandos, seu præsentandos. Primo enim tam Tridentinum, quam Bulla Piana loquuntur de Vicariis perpetuis, qui sunt veri Rectores Curati, habentque curam animarum habitualem, actualemque, non vero provisoriam administrationem, teneturque ipsi de cura prædicta Episcopo, non autem inferiori Prælato respondere: secus vero accidit in Vicariis, seu Capel-

pellanis ad nutum ejusdem Prælati inferioris amovibilibus, ut optimo jure notat laudatus Engel *loc. cit. privilegio* 46. *de unione pleno jure num.* 1. *& seqq.*, advertitque etiam dictus Slevogtius §. 9.

Minusque etiam obstare videntur sanctiones prædictæ, quia in sæpius laudata Paulina Bulla expresse animarum cura omnium personarum, & universi Populi Montorii, & Comitatus committitur Archipresbytero, exercenda ad sui libitum per se, vel per Vicarios per ipsum constituendos, & dimittendos, removendosque, nulla licentia Diœcesani, sive alterius cujusque requisita; cum ex adverso Tridentina, & Piana sanctiones loquantur de Vicariis perpetuis, minime de removendis inconsulto Episcopo; & utpote qui curam exercent animarum Populi eidem Episcopo subjecti, atque correctioni, punitioni spirituali, & quod magis est, ejusdem *visitationi* submissi; quodque prorsus alienum est a causa præsenti, cum Populus Montorii ejusque Comitatus, & cura animarum ejusdemet Populi sit commissa Archipresbytero ejusque correctioni, punitioni, & visitationi, exclusis omnimodo Episcopis Aprutino, & Pennensi.

Demum officere nequaquam potest, nec debet Tridentinum juribus Archipresbyteri Montorii, ejusque Comitatus; non tam ipse, quam Ecclesia Collegiata S. Rochi Montorii est juris Regii patronatus ex fundatione, & dotatione, neutiquam vero ex privilegio, seu gratia, ut expresse declaratur in prædicta Bulla Papæ Pauli IV., & quod magis ad rem facit, in Regio *exequatur*, expresse advertitur, caveturque Ecclesias prædictas, atque beneficia juris esse Regii patronatus, ut ex utriusque verbis jam supra transcriptis liquido constat; & cum leges, præeminentiæ, prærogativæ, juraque demum omnia in limine fundationis juris Regii patronatus apposita, constitutaque, utpote publici juris, ut ait clarissimus Franciscus de Roye in *prolegom. ad tit. de jure patron. cap.* 15., neque a Pontifice, neque a quocumque alio aboleri, derogari, neque quoquo modo lædi possunt; nec etiam ab ipso Principe Patrono, quia officium Patroni est curare, ut maneat pa-

tro-

tronatus in primæva institutione, ut solide docet Georgius Cabedus in perraro Opusculo *de patron. Regiæ Coronæ cap.12. n. 8.*, propterea neque ex Tridentino Concilio, neque ex Piana Constitutione detrimentum quantumlibet minimum Regium jus patronatus capere potuit; ut dicere supersedeam, quod in patronatibus Regiis non simplex præsentatio inest, verum etiam collatio pleno jure, qua etiam institutio auctorizabilis continetur, de qua re tamen hic nunc differere, missum facio. Igitur frustra, & in detrimentum, eversionemque juris Regii adducitur supradictum *caput 18. sess. 24. de Reformat.*

Ultraquamquod, quisnam in præclarissimo, augustoque Neapolitano Foro adeo hospes, & hebes est, qui nesciat, Tridentinum, quatenus disciplinam, politiamque exteriorem respicit, ex quo præcipue jura Regia, Regiaque patronatus jura detrimentum capiant, in hoc Regno receptum minime fuisse? cuinam non innotescit serenissimum augustumque Philippum II. rescripsisse die 17. Julii anni millesimi quingentesimi sexagesimi quarti Duci Alcalà tunc Regni moderatori, eumque deteruisse, ne pateretur publicari, vel exequi in hoc Regno, ceterisque suis Provinciis illa ex Tridentino Concilio capita, quæ quomodolibet lædere possent Regalia sua jura, & præsertim Regios patronatus? quis denique ignorat, cujusmodi Concilii capitibus (quæ inter cetera notata fuere per quondam spectabilem, laudatissimumque Virum Regentem Collateralis Consilii Franciscum Antonium Villani) in hoc Regno executionem prorsus firmiterque fuisse denegatam?

Igitur si quæ ex Tridentina Synodo præjudicium, sive detrimentum inferunt juribus Regalibus Regiisque patronatibus, supremæque Principis jurisdictioni, recepta minime fuere, immo profligata, ablegataque extitere; nefas in præsentia est illa in perniciem supremæ Principis Regaliæ in medium proferre, allegare. Eo magis, quia certissimi juris est, penesque Catholicos Scriptores exploratum, minime obligare quempiam, quæ ex Tridentina Synodo recepta non fuere. Mitto quæ in hanc sententiam leguntur in dissertatione super

per receptione Concilii Tridentini Gallico idiomate exarata, quæque prostat in fine libri, cui titulus est: *Notes sur le Concile du Trente*, editionis Coloniæ 1706., taceo, quæ edisserit clarissimus Van-Espen in libello *de promulgatione legum Ecclesiasticarum*: & Petrus Stokmans in libello *de Belgarum jure*, ceterique, quæque hic recensere supervacanei foret laboris.

Sed temperare mihi non possum, quin moneam, quæ docuit Martinus Navarrus *conf.* 1. *quæst.* 8. *de constitut.*, quemque prosequitur supralaudatus Erasmus a Chokier Leodiensis in Tractatu *de jurisdictione Ordinarii* in exemptos *tom.* 1. *part.* 1. *qu.* 50. *n.* 22., *& seqq.*, videlicet Synodum Tridentinam per ea, quæ mores disciplinamque respiciunt, non obligare, ne in foro quidem interiori, quotiescumque illa recepta minime fuere. Idcirco cum prædicta Tridentina capita & præsertim præfatum *cap.* 18. adversentur, derogentque juri Regii patronatus ejusque præeminentiis, prærogativis, & juribus omnibus per Pontificem Paulum IV. in fundationis, & dotationis limine statutis, atque concessis, & Regio placito, seu *exequatur* confirmatis; in eorumdem jurium Regalium eversionem Tridentinam declarationem proferri, absonum omnino est, Regioque Magistratu indignum.

Verum enim vero silentio prætereundum haud puto, in Diplomate duodecim Ecclesiæ Romanæ Cardinalium, quo indulgentiæ concessæ fuere Ecclesiæ S. Rochi, appellari Ecclesiam prælaudatam, *nullius Diœceseos*, ut manifesto legitur ex Diplomate prædicto præseferente epocham diei vigesimæ primæ mensis Novembris anni millesimi quingentesimi sexagesimi quinti, Pontificatus Pii Papæ quarti anni sexti, hoc est tribus annis post Synodum Tridentinam Romæ publicatam exactis, ut ex Diplomate in actis exhibito post latum decretum præclarissimi Domini Reverendæ Curiæ Consultoris *fol.* 129. videre est.

Neque demum magni facienda est, immo ab albo expungenda, atque proscribenda prorsus est jactata per Reverendum Episcopum quasi possessio instituendi Archipresbyterum,

rum, Canonicosque per Montorii Comites præsentatos, approbandique Vicarios, seu Capellanos: nam etiam ipsi Epistolarum Decretalium assertores advertunt minime posse eosdem exemptos Prælatos in alterius præjudicium propriæ exemptioni renunciare, præsertim cum adsit titulus expressus, & non præsumptus, vel, uti dicunt, coloratus, ut post Panormitanum scribit laudatus Engel in *Collegio universi juris Canonici lib.* 5. *tit.* 33. §. 3. *n.* 18. Multo minus afferre præjudicium, læsionemque juribus Archipresbyteri Montorii posset prætensa quasi possessio instituendi Archipresbyterum, Canonicosque per Episcopum Aprutinum opposita, etiamsi Archipresbyter Canonici, & ipsi pro tempore feudales Patroni consensissent; læderentur enim jura Regalia, & inde caperet detrimentum Regius patronatus, qui quacumque immemorabili adversa possessione, nequaquam præjudicari, vel minui quomodolibet potest; propterea docet laudatus Georgius Cabedus *de Patronatibus Regiæ Coronæ cap.* 10. *n.* 7. & 8. nullos esse consensus, renunciationesque per Rectores Ecclesiarum Regii juris patronatus factas: proindeque collationes, seu institutiones per Episcopum per centum, vel quodcumque aliud tempus exercitas, nullas, irritasque executive fuisse declaratas, spreta quacumque possessione per Episcopum opposita; quodque etiam affirmat Michael de Cortiada *decis.* 253. *n.* 58.

Immo, ut nuper dictum est, jus patronatus Regium nec etiam ab ipso Principe præjudicari, neque renunciari potest, utpote quod est ex juribus Majoribus Regiæ Coronæ, Regiæque dignitati annexum, ex qua divelli, separarique minime potest, non secus ac de ceteris Majestatis juribus supremis, atque majoribus evenit, atque statuitur, ut optime docent Joannes Solorzanus *de jur. Indiarum tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 22. & 23. & in Politica *lib.* 4. *cap.* 3. & laudatus Cortiada *loc. cit. n.* 59. ceterique.

Hinc infertur, quod etiamsi Patronus feudalis consensisset institutionibus Archipresbyteri, sive approbationibus Vicariorum, seu Capellanorum per Aprutinos Episcopos pera-

ctis; nullum nihilosecius præjudicium, nullamque læsionem afferre potuit juribus Regii patronatus consensus prædicti feudalis Patroni, quia proprietas, ut ita dicam, juris Regii patronatus, sive ipsum jus patronatus annexum, infixumque est Regiæ Coronæ, ipsique supremæ Regiæ dignitati, & exercitium tantummodo hujus juris est penes Comites Montorii; propterea ex qualicumque consensu, vel potius longa oscitantia Montorii Comitum nullum, ne minimum quidem detrimentum Regium jus patronatus capere potuit, quin reintegretur in primævam ejus institutionem, omnesque præeminentias, prærogativas, atque jurisdictionem in limine fundationis per Pontificem concessas, pactas, conventasque. Immo jure potest, debetque Regiæ Coronæ Fiscus, sive Advocatus cogere, atque compellere Montorii Comites, ut utantur Regio jure patronatus secundum fundationis legem, quocumque præjudicio sive per ipsos, sive per alios prorsus remoto, atque eliminato; non secus ac ex explorato jure potest Fiscus feudatarium cogere, ne feudo, ejusque juribus damnum inferat, aut inferre patiatur.

His igitur in facto, atque in jure sedulo, matureque diu perpensis atque examinatis, sic censendum, definiendumque esse duco: *Ecclesiam Collegiatam S. Rochi Terræ Montorii, proque ea Archipresbyterum, Capitulumque ejusdem, manutenendos, & quatenus opus, reintegrandos esse in omnibus juribus, dignitatibus, præeminentiis eisdem per Paulum Papam IV. in sæpius laudata Bulla concessis; & signanter Archipresbyterum prædictum manutenendum esse in jure instituendi Canonicos numero duodecim, hosque etiam manutenendos esse in jure instituendi Archipresbyterum per Comites Montorii præsentandum; pariterque manutenendum, & si opus fuerit, reintegrandum in exercenda cura animarum tam in Terra Montorii, quam in toto Comitatu ejusdem, cum potestate, & jurisdictione quasi Episcopali Clerum, & Populum prædictæ Terræ Montorii, ejusque Comitatus corrigendi, puniendi, atque visitandi, Capellanos, seu Vicarios inibi ponendos, & ad libitum amovendos pro cura prædicta exercenda, Diœcesani loci, vel cujusvis alterius licentia minime requisita, sed tan-*

tantummodo per eumdem Archipresbyterum pro tempore approbandos; declarando propterea Terram Montorii, Comitatumque ipsius nullius esse Diœcesis, sed territorium habere separatum & avulsum a Diœcesibus Aprutina, & Pennensi; esseque Archipresbyterum præfatum Prælatum inferiorem tertiæ classis, seu speciei, illiusque præsertim, quam apprime describit, definitque maximus, eximiusque Pontifex Benedictus XIV. in locis supra laudatis, munitum propterea, atque auctoratum jurisdictione quasi Episcopali pro plena cura animarum in toto territorio Oppidi Montorii, ejusque integri Comitatus, exceptis tantummodo his, quæ Ordinis sunt Episcopalis, videlicet Confirmatione, & Ordinatione.

Reintegrandam demum esse censeo, prout reintegrari definio, atque mando Ecclesiam S. Bartholomæi de Fajeto, una cum omnibus suis juribus, & bonis, & integro statu in beneficium præfatæ Collegiatæ Ecclesiæ S. Rochi, utpote quæ de Regio patronatu feudali est, describiturque in supradicta Bulla Paulina, proindeque injuria divulsam fuisse a præfata Ecclesia S. Rochi, & ab Episcopis Aprutinis occupatam, usurpatamque. Et ita &c.

BASILIUS PALMIERI.

In causa Promotoris Fiscalis Regalis Coronæ cum Monasteriis Ordinis Carthusiani super eorumdem redintegratione ad Regium patronatum. Die 30. *Martii* 1780.

Promotor Fiscalis Regalis Coronæ in Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris rite petiit, ut Carthusiani Ordinis Monasteria S. Stephani de Bosco in Calabria ulteriori, S. Martini prope Neapolim, S. Laurentii de Padula, Divi Jacobi in Insula Caprearum, & S. Nicolai de Valle Claromontana in citeriori Calabria, restituerentur Regio patronatui cum omnibus suis Ecclesiis, Granciis, bonis, juribus, feudis, jurisdictionibus, & aliis pertinentiis. Petiit quoque, ut Rex Neapolitanus redintegraretur in jus eligendi Priores prædictorum Monasteriorum, quoties ii eligendi forent, & in reliqua

Jus patronatus tacite in fundatione inest, atque summo jure debetur, etiamsi non reservatum.

Nisi expressa renunciatione jus patronatus fundator remiserit, remissum præsumi nequit ex quavis generali formula, in Ecclesiæ dotatione adhibita:

liqua jura, quæ in Conventuales Ecclesias Principi patrono competunt. Petitionem vero suam firmavit productis documentis, quæ dubitari non sinunt, prædicta Monasteria, aut a Neapolitanis Principibus fundata esse, aut certe bonis ad Fiscum pertinentibus fuisse dotata.

Ad judicium rite ordinandum denunciata lis fuit omnibus prædictorum Cœnobiorum Prioribus; citationibus quoque per edictum expeditis, idem factum cum reliquis generatim omnibus, qui controversiam institutam sua interesse putarent. Elapsis igitur terminis præstitutis, Curia ad examen documentorum processit, quibus Promotor Fiscalis intentionem suam firmarat. Ex allegatis autem instrumentis Curia hæc comperit.

Quod ad Monasterium S. Stephani de Bosco, ex Diplomate Rogerii anni 1090. liquet, ex Gallia per id temporis in Calabriam adventasse Brunonem, & Lanuinum, cum Sodalibus suis, homines sanctimonia celebres, qui sæculo derelicto, Deo se omnino mancipaverant; prædictum vero Rogerium Siciliæ, & Calabriæ Comitem, eos exorasse, ut in Comitatu suo sibi deligerent locum idoneum, in quo & Deo servirent, & virtutem suam exercerent. Sane Rogerii precibus expugnati in solitudine permansuri locum sibi elegerunt inter spatium illud dictitari solitum *Arenam*, ac *Stilum*. Ita Rogerius ipsis, eorumque successoribus, qui Deo ibidem se addicturi forent, concessit prædictum locum *cum tota sylva, & terra, & aqua, & monte in spatium unius leucæ in omni parte adjacente*. Id quoque addidit, ut prædictum locum possiderent ab omni onere immunem; ejusque nomine ab eis neque servitium, neque angaria, neque alia præstatio exigeretur. Neque ita multo post ab eodem Rogerio Calabriæ Siciliæque Comite, alia suo Diplomate mense Majo anni 1093. eadem narratio repetita fuit, ac sigillatim memorata fuit prædictæ leucæ concessio, quæ Brunoni, Lanuino, eorumque Sodalibus donata fuerat. Ut vero in posterum dissidiorum præcideretur occasio, idem Rogerius limites designavit, quibus illius leucæ spatium comprehensum in-

id, quod potissimum obtinet in jure patronatus Regio.

Successor ejus, qui Ecclesiam extruxit, dotavitque, jus patronatus remittere nequit, præsertim Regium; cum hoc inter Regalia adnumeretur, quæ nulla ex parte alienari possunt.

Dotatio Ecclesiæ ex bonis feudalibus, impetrato Regio assensu, facta jus patronatus immediatū Baroni, mediatum vero ipsi Regi tribuit: quare bonis feudatariis publicatis, omnibusque ipsius juribus, feudo annexis, ad Regem delatis; immediatū cum mediato jure patronatus consolidatur, atque inter Majestatis jura locum sibi vindicat. Monasterium privati juris, cui aliud unitur, quod a Principe extructum est, Regio juri patronatus obnoxium fit.

Dos e Regio patrimonio, rebusque ad Principatum pertinentibus Monasterio data, Regium jus patronatus constituit, licet ab alio Monasteriū extructum fuerit.

intelligi oporteret. Ne qua vero ea de concessione controversia porro fieret, alius Rogerius filius Ducis Guiscardi fratris prædicti Rogerii Comitis alio Diplomate suo anni 1094. & ipse ratam haberi jussit prædictam donationem a patruo suo factam.

Ex Regio jure patronatus in Monasterium illud consequens est, ut in Prioris electiõe partes suas Princeps interponat: quod privato patrono denegatur.

Neque tamen hic substitit Nortmannorum Principum liberalitas. Nimirum in Brunonis Eremo Ecclesia costructa jam fuerat. Idem igitur Rogerius Calabriæ & Siciliæ Comes eam dedicandam curavit a Panormi Archiepiscopo, & ab Episcopis Mileti, Tropeæ, Nicastri, Catinensi, & Scylacæi. Ut autem liquet ex ipsius Diplomate anni 1094., in ea dedicatione concessit Brunoni Magistro Eremi, ejusque successoribus, Monasterium Arsafiæ cum omnibus bonis, & pertinentiis suis, ab omni servitio immune. Illud quoque in Diplomate addidit, se bona isthæc Brunoni dare, Ecclesiæ de Eremo seu de Bosco dotandæ causa, cum consilio uxoris suæ Adelaidis, & Goffredi & Malgerii filiorum suorum consensu. Ut autem in futurum constaret, quæ fuisset liberalitas sua, accurate descripsit, qui fines essent Monasterii Arsafiæ, iisque contineri jussit *S. Andreæ*, & *Roseti* pagos. Eadem de causa Brunoni concessit locum *Apostolos* dictitari solitum cum pagis duobus, *Bingi* scilicet, & *Bubungi*, finibus designatis, quibus prædictus locus concluderetur. Neque liberalitatis hic finis. Nam eidem Brunoni concessit Ecclesiam S. Fantini exemtam a jurisdictione Jeracensis Episcopi, in territorio Grotteriensi sitam, cum omnibus pertinentiis suis in Diplomate Rogeriano descriptis. Eidem quoque concessit *Arunci* Pagum in Territorio Scylacæi positum, eodem jure, quo in eum usum jam fuerat prædictum Arsafiæ Monasterium.

His ita transactis, paucis post annis ejusdem Rogerii Comitis liberalitas in prædictum Monasterium omnem supergressa est modum. Nam alio Diplomate suo anno 1099. primo enarravit beneficium a Deo O. M. in se collatum ob Brunonis preces, quibus edixit se proditorum hominum conjurationem effugisse in obsidione Capuæ; ea de re se dormien-

mientem per insomnia monitum, ac statim somno excitum exercitum instruxisse. Eodem in Diplomate addidit, se proditoribus profligatis, & Capua capta, Scylacæum rediisse, ibi cum Brunone statim congressum, ei insomnia sua patefecisse, gratiis actis, quod in suis precibus sui licet absentis sollicitudinem caperet: sibi vero Brunonem humiliter affirmasse, non Brunonem ipsum, sed Dei Angelum, qui Principibus adforet belli tempore, ei per insomnia apparuisse. Ibidem narravit Rogerius Comes, se summo studio Brunonem orasse, ut sibi adjici pateretur uberrimos reditus, quos in Scylacæo ei destinaverat: eos obfirmate recusasse Brunonem eo sub obtentu, quod neglectis sæculi divitiis Deo prorsus se mancipaverat: Rogerium tandem vix exorasse Brunonem, ut acceptaret pauxillum munusculum in bonis, quæ prædicto Diplomate describuntur. Itaque Brunoni, ejusque successoribus donavit *Monasterium Divi Jacobi Montauri cum castro sub eodem Monasterio posito: castrum aliud situm in vertice montis, qui Belvederius appellabatur: Pagum S. Mariæ ad radices prædicti montis: domum cum vinea, quæ pertinuerat ad Robertum Guiscardum, sibique donatam a Duce Rogerio fratris sui filio: vicos Montabrum, Olivianum, & Gasparinam cum pertinentiis suis, ac vasallis omnibus, qui eos incolerent*. Descriptis autem prædictorum vicorum spatiis late patentibus, præscripsit, ne intra ea spatia privatorum quispiam sibi alicujus prædii proprietatem adrogaret, quia eorum dominis ipsorum consensu tantumdem jam dederat in prædiis, aut pecunia. His quoque idem Rogerius addidit *donationem horti S. Nicolai, hereditatis Calogerici villani sui, pistrini, & battinderii sub Scylacæo, cum facultate Brunoni concessa percipiendi ex aqua fluminum quem usum vellet, & jure pabulatum ducendi animalia Monasterii per prædia & loca finitima, & glandes legendi ex omnibus Rogerii lucis*. Denique idem Rogerius Brunoni quoque donavit duodecim supra centum servorum ac villanorum lineas ea lege, ut cum ipsi, tum eorum filii, ubicumque agerent, Monasterii perpetui servi forent. Eam conditionem se illis imponere declaravit, quia in Capuæ proditione inter conjuratos

tos hi fuerant; eos diversis necis generibus se occidere decrevisse, intercedente vero Brunone de severitate sua se remisisse.

Hæc summa sunt capita Rogerianæ liberalitatis erga controversum Monasterium. Qui sequuti sunt Principes eam & confirmarunt, & auxerunt. Primo enim Rex Guilelmus II. Diplomate suo mens. Februar. ann. 1173. sigillatim enumeratis privilegiis Comitis Rogerii proavi sui ei Monasterio concessis, ea de re interpellatus ab Eremi magistro, & ea privilegia confirmavit, & veteribus donationibus addidit Pagum, qui *de Comite* appellabatur, in territorio Scylacæi. Deinde eadem privilegia confirmavit Fridericus II. Diplomate suo anni 1224. Ut autem & ipse munificentiam suam cum Monasterio exerceret, præter veteres concessiones ei jurisdictionem competere jussit in villanos Monasterii omnes, ubi ubi sibi incolatum deligerent.

Hæc summa ferme instrumentorum est, quæ a Promotore Fiscali sunt allegata. Eadem ipsa in diversis controversiis suis ab ipso Monasterio in judicio sunt producta. Proinde & eorum auctoritatem Monasterium in præsenti causa debet agnoscere, & de ipsorum ingenuitate controversiam instituere nequit. Ex prædictis autem documentis aperte constitit Monasterium S. Stephani de Bosco, ubi Carthusiani Ordinis Institutor domicilium sibi delegit, fundatum, ac dotatum fuisse a Rogerio Siciliæ & Calabriæ Comite, qui per ea loca jus Majestatis habuit. Si qui enim alii Neapolitani Principes prædicto Monasterio aliquid contulerunt, ejus tantum dotem auxerunt liberalitate sua. Nimirum interpellante Rogerio prædictum Monasterium in ulteriori Calabria fuit extructum. Is constructionis causa non nudum solum Brunoni dedit, sed & immensa prædia, quæque per ipsum leucæ spatium patebant. Id a Rogerio factum, ut ex eorum reditibus, & ædificationis onera sustineri possent, & Monachis alimenta suppeterent. Ipse Ecclesiam dedicandam curavit, & amplam constituit Monasterio dotem bonis Fiscalibus ferme constantem. Nam præter Arsaphiæ Monasterium, & Eccle-

clesiam S. Fantini, & quæ ad ea pertinebant bona, ei donavit Pagos S. Andreæ, Rofeti, Bingi, Bubungi, Arunci, cum pertinentiis suis, qui habitatorum frequentia mox inclaruerunt. Præterea eidem donavit locum *Apostolos* dictitari solitum, in quo hodie Monasterii Grancia enitet. Quinquennio vero post Monasterii dotem auxit quatuor aliis Pagis, ad illud pertinere jussis, cum pertinentiis suis, S. Mariæ scilicet, Montabri, Oliviani, & Gasparinæ, duobus quoque Castris, aliisque bonis quamplurimis descriptis in Diplomate anni 1099., præter illa bona, quæ a Guilelmo II. anno 1173., & a Friderico II. anno 1224. eidem Monasterio collata fuerunt, & quorum supra mentionem injecimus.

Quæ hactenus recensuimus dubitari non sinunt de patronatu, qui ad primum fundatorem pertinuit, & jure ab eo transmisso ad successores in Regno Neapolitano pertinet. Perperam vero regeret fortasse quispiam, patronatum in fundationis tabulis sibi non servasse Rogerium. Frequenter enim ipsi Romani Pontifices definierunt sola fundatione jus patronatus acquiri, licet illud in constructione fundator sibi non reservarit. Instar omnium sit rescriptum Clementis III. in *cap. Nobis de jur. patron.*; sic enim ibi Pontifex definit controversiam sibi propositam, an aliquis efficiatur sola constructione patronus: *Inquisitioni tuæ tale damus responsum, quod si quis Ecclesiam cum assensu Diœcesani construxit, ex eo jus patronatus acquirit*. Cum Pontificum definitionibus consonat Tridentina Synodus *sess.*14. *cap.*12. *de Refor.* Ibi enim ab ea cautum, *ut quicumque Ecclesiam de novo fundaverit, & construxerit, seu jam erectam, quæ tamen sine sufficiente dote fuerit, de suis propriis & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, jus patronatus impetrare, & obtinere possit, aut debeat*. Id autem recte placuit, & in ipsius fundationis consequentiam. Nimirum quæ moris & consuetudinis sunt perinde haberi debent quasi in contractu promissa fuerint *L.* 31. §. *quia assidua ff. de ædil. edict.* Ubi primum Ecclesias Christiani fundare cœperunt, in fundatas Ecclesias jus sibi patronatus reservabant. Ita paulatim invaluit, ut in re dubia præsumendum esset, fundatorem

rem jus patronatus sibi reservasse, neque oporteret, ut disertis verbis in fundationis tabulis id patronus sibi stipularetur. His ita constitutis, patronatus exceptio, reservatio, tacite in fundatione inest, eaque omnino continetur. Ut autem passim adnotant ad *L.* 3. *ff. de reb. cred.*, haberi pro cauto, & convento debet, quod natura sua in actu & negotio continetur, non secus ac si lingua nuncupatum esset.

His accedit, quod patronatus fundatori competit *summo jure*. Sane Ecclesia ab ipsarum fundationum initiis patronatum censuit competere *ordine juris*, *Can.* 2. *Concil. Tolet.* 9. Alibi etiam legere est, jus patronatus *rationis ordini convenire*, *Can. Rationis Caus.* 16. *qu.* 7. Ipsi Pontifices etiam ediXerunt, illud Ecclesiam *semper sustinuisse cap.* 3. *de jur. patron.* Censuerunt etiam Pontificii juris interpretes, fundatoribus patronatum jure naturali competere. Eo enim inspecto, qui beneficium ab alio accipit, illud grato animo suo pensare debet, & donatori pro virili satisfacere. Inficias autem nemo iverit, per fundationem a fundatore beneficium Ecclesiæ conferri.

Quoad Monasterium S. Martini prope Neapolim, liquet ex monumentis exhibitis a Promotore Fiscali, Carolum Illustrem Calabriæ Ducem Regis Roberti filium unigenitum, ejusque in Regno Vicarium, Diplomate suo 4. Maji anni 1325. consilium suum patefecisse, quo decrevisse narrat extruere Monasterium in Monte Divi Erasmi prope Neapolim, Carthusianis Monachis inhabitandum. Eam ob rem in prædicto Diplomate jussit, Notarium Martucium Sericum Patria Neapolitanum, Judicem appellationum Vicariæ, & M. C., accipere & asservare pecuniam, quam ei numerari præcepisset ejus operis perficiendi causa. Id quoque ei datum in mandatis fuit, ut eam expenderet in calcem, lapides, lapillos, ferrum, trabes, & id genus alia, quæ ad ædificationem sunt necessaria. Indidem desumi jussit mercedes artificum secundum præscriptum Abbatis Divi Severini, & Joannis de Aja Ciambellani Regis parentis sui, & Vicariæ Regentis. Iis enim curatio prædicti operis demandata fuerat,

cum interventu tamen trium aliorum artificum, qui constructionem moderarentur. Ab eodem Carolo in Diplomate cautum, ut ejus operis causa accepti & expensi rationes redderentur coram Auditore eam ob rem destinando.

Mortuo Carolo Illustri, Rex Robertus ejus parens Diplomate suo 3. Julii anni 1329. ad Joannem de Aja Vicariæ Regentem, ejus operis perficiendi causa confirmavit mandata omnia, quæ a filio suo Carolo Calabriæ Duce data jam fuerant. Inter opus interea obiit unus artificum, qui ei dirigendo præfecti fuerant. Idem igitur Robertus alio Diplomate suo 11. Julii anni 1336. ad Martutium Sericum pecuniæ accipiendæ & expendendæ electum, in artificis defuncti locum sufficit Athanasium Primarium Neapolitanum. Ibidem Robertus edixit, ut eo audito expenderetur pecunia, quæ operi absolvendo necessaria foret.

Interea & ipse Robertus supremum diem obiit an. 1343., postquam tamen opus absolutum jam fuerat; ac Regnum per manus traditum Reginæ Joannæ I. ejusdem Roberti nepti. Ea igitur Diplomate suo prædicti anni 13. Junii rationes pecuniæ in opus jam perfectum expensæ a Martuccio Serico reddi jussit coram duobus Rationalibus a se destinatis. Id ab ea factum, ut literæ *quietantiæ*, quam vocant, eidem Martucio expedirentur. Ita alio Diplomate suo 27. Augusti ejusdem anni prædictas literas Martucio dedit. Mirum autem videri non debet, quod in eo Diplomate dicitur, auri uncias tantum 1134. ejus operis causa fuisse expensas. Primo enim eæ ducatos sex singulæ complectebantur, ut pro ratione temporum ea pecunia sat multa videri posset. Deinde ibi tantum agitur de pecunia, quæ ab anno 1339. usque ad ann. 1345., fuerat expensa. Ob pecuniam enim acceptam, & expensam ab initio operis, aliæ quietantiæ literæ pro eodem Serico expeditæ fuerant eodem anno 1339.

Porro eadem Joanna I. longo suo Diplomate 15. Julii anni 1347. primo edixit, Carolum Illustrem Calabriæ Ducem patrem suum testamento suo jussisse, Monasterium extrui Carthusiani Ordinis in Monte S. Erasmi sub titulo Divi Martini:

tini: eumdem quoque caviſſe, ut dos ei conſtitueretur quanta neceſſaria foret fratribus duodecim ibi victuris ſub obſervantia Ordinis, eorumque famulis. Ibidem addit, avum ſuum Robertum ejus voluntatis exequendæ cauſa deſtinaſſe annuas uncias biſcentum, quibus prædia quotannis coemerentur, unde Monaſterium alimenta perciperet: poſt mortem Roberti Regis ſe quoque juſſiſſe, ut prædictæ unciæ biſcentum annuæ ea de cauſa collocarentur, donec Monaſterii reditus ad annuas uncias biſcentum pertingerent. His ſubdit eadem Regina, pecunia quotannis ita collocata, Priorem, & Divi Martini Cœnobium prædia jam emiſſe, unde redibant annuæ unciæ centum ſexaginta quinque, ac tarena vigintinovem; acquirendas ſupereſſe annuas uncias trigintaquatuor, ac tarenum unum; ad eas parandas pro re nata factum iri emptiones, eaque de cauſa præſto futuram pecuniam a Roberto deſtinatam. Antequam tamen *de inſtitutione, ac dotatione prædicti Monaſterii opportuna privilegia expedita forent*, ejus pater, & avus obierant. Id igitur exequutura Joanna I., prædicto ſuo Diplomate Ordini Carthuſiano dedit prædictum Monaſterium cum omnibus ædificiis ſuis, & utenſilibus in ipſius uſum paratis, eique dotem conſtituit prædictas annuas uncias biſcentum, declarans id facere, *tamquam clara paterni nominis & aviti heres, atque poſteritas*.

Temporibus mox inſequutis eadem Joanna I. Diplomate ſuo 16. Auguſti anni 1370. declaravit, ſe Neapoli in regione vulgo *delle Corregge* conſtrui curaſſe Hoſpitale pauperum cum officinis ei neceſſariis, & Eccleſiam ſub titulo Coronæ Spineæ Jeſu Chriſti, eique Hoſpitali & Eccleſiæ in pluribus bonis a ſe coemtis dotem conſtituiſſe. In eodem Diplomate accurate recenſuit, quæ pietatis opera in prædicto Hoſpitali & Eccleſia exequenda forent, præſtituto numero perſonarum, quæ utrique inſervituræ eſſent, & quæ ab unoquoque officia præſtanda forent. Ibidem cavit, ut Hoſpitale, & Eccleſia, eiſque miniſterium præſtare juſſi, ſubeſſent Priori, & Monaſterio Divi Martini Carthuſiani Ordinis. Mox in eodem Diplomate inſeritur longa ſeries

prædiorum, annuorum redituum, & bonorum etiam feudalium, in quibus prædicto Hospitali & Ecclesiæ a se constituta dos fuerat: eo etiam addito, quod alii floreni viginti mille supererant collocandi, ad dotis destinatæ modum.

Eadem vero Joanna alio suo Diplomate 14. Maji anni 1375. ita incipiens orationem sua: *Ad Venerab. Monasterium S. Martini Ordinis Carthusiani supra Neapolim, opus quidem manuum Regiæ domus nostræ, dirigentes specialis devotionis affectum, ipsiusque commodum, quantum honeste possumus, perquirentes*, edixit, ut animalia prædicti Monasterii omne genus pascua decerpere possent in omnibus Regni locis ad Regium demanium pertinentibus, neque fidæ, diffidæ, bajulatui, aliisque vectigalibus, juribusque subessent.

Insequuti Neapolitani Reges suam quoque munificentiam cum Divi Martini Cœnobio exercuerunt. Primo enim Rex Ladislaus Diplomate suo 31. Octobris anni 1399. commemorata liberalitate Caroli III. parentis sui cum prædicto Monasterio, quod appellavit, *opus manuum claræ memoriæ progenitorum nostrorum*, ei confirmavit annuam præstationem quinquaginta modiorum salis a Regina Joanna I. præscriptam, & solvi jussam ex vectigali salis in Principatu Campaniæ in sustentationem Monachorum, eorumque, qui in ipsorum ministerio forent.

Deinde Rex Renatus Diplomate suo 10. Martii anni 1441. sub Regiam tutelam recepit prædictum Monasterium, bona ipsius omnia, Priorem, Monachos. Sic enim ibi Renatus: *Sub nostra protectione recipimus, & sub Regii nostri favoris, defensionis, & prosequutionis præsidio amplexamur*. Id ab eo factum, cum ne Monachis a laicis molestia crearetur, tum quod in Diplomate diserte dicitur, *quod Monasterium ipsum Divorum progenitorum nostrorum opus insigne fore dignoscitur*. Ibidem a Renato cautum, ut prædicto Monasterio possessio conservaretur suorum bonorum, ac jurium; si quid secus fieret, ei promte, & sine figura judicii a Magistratibus omnibus jus redderetur: in exportatione etiam, aut importatione fructuum, ac specierum, seu a propriis prædiis percepta-

ceptarum, seu aliunde emtarum, donatarumve, vectigalium ac reliquarum publicarum functionum gratia prorsus immunes essent; si quis vero aliquid, aut a Monasterio, aut a Monachis contenderet sibi dare oportere, ejus rei cognitio unice ad ipsum Principem pertineret.

Denique Ferdinandus etiam I. Monasterio Divi Martini ostendit benevolentiam suam. Nam is quidem Diplomate suo 18. Novembris anni 1464. prædicto Monasterio confirmavit privilegium a decessoribus suis ei concessum, quo cavebatur, ut res omnes, quæ in ejus, aut Monachorum usum emerentur, cujusvis vectigalis, ac reliquorum publicorum onerum essent immunes. Alphonsus etiam II. Diplomate suo 18. Maji anni 1494. eidem Monasterio confirmavit privilegia, & elargitiones omnes per superiores Principes ei concessa. In eo autem sigillatim commemoravit solutionem annuam unciarum 22., & tarenorum duorum, quæ quotannis Monasterio solvebantur a Dohana Stabiarum ad complementum constitutæ dotis, & annuorum ducatorum triginta, qui ex Dohanali pecunia Tarentina præstandi erant.

Superioribus monumentis expensis omnino patuit, Monasterium Divi Martini supra Neapolim Regiæ fundationis esse, eamque a Carolo Illustri, ejusque patre Roberto Rege potissimum repetendam esse. Eorum enim munificentiæ principium prosequutio, ac finis ejus fundationis, accepta referri debent. Diplomata enim superius memorata, & pro extruendo prædicto Monasterio sollicitudinem eorum testantur, & pro eo dotando liberalitatem exhibent. Extant etiam certissima monumenta Ecclesiæ & Hospitalis sub titulo Coronæ Spineæ, quæ & Monasterio subesse sunt jussa, & quorum reditus eidem sunt addicta per unionem. De Regio igitur in prædictum Monasterium patronatu, ultra qnam satis est, liquet. Ad acquirendum scilicet patronatum in Ecclesiam, aut Monasterium nil ultra requiritur, quam constructio. Id aperte inculcat *Cap. Nobis de jure patron.* & *Can. Filiis caus.* 16. *qu.* 7. Hinc & patroni vocabulo designatur nudus Monasterii extructor *loc. cit. in Can. Monasterium.* Id ita

ita placuit jure Chriſtianorum primævo; oportebat enim, ut eam vicem iis retribueret Eccleſia, qui & ad Dei gloriam, & ad ejus religionem ampliandam de ſuo Eccleſiam extruerent, licet eis dotem non conſtituiſſent. Igitur potiori jure patronatus fundatori competit, ſi cum conſtructionis titulo dotis quoque conſtitutio concurrat.

Perperam vero adverſus hæc excipitur, Reginam Joannam I. patronatum ſibi abdicaſſe, quia in Monaſterio Ordini Carthuſiano tradendo, & in bonorum translatione dotis conſtituendæ cauſa eidem facta, in Diplomate edicit: *Nihil Nobis, ſeu heredibus, ac ſucceſſoribus noſtris jure proprietatis, poſſeſſionis, dominii, ſeu poteſtatis, vel quaſi, quocumque nomine cenſeantur, vel cenſeri poſſent in præfato Monaſterio, poſſeſſionibus, bonis, juribus, reditibus ejus, præfatiſque omnibus aliis, & ſingulis, ac infraſcriptis, niſi orationes, & alia ſuffragia, & beneficia ſpiritualia .... quomodolibet retinentes, ſeu etiam reſervantes.* Verba enim iſthæc eam ſententiam habent, ut quamvis Monaſterium ære Regio eſſet extructum, ejuſque bona dotalia Regia pecunia coemta forent; ea tamen omnia transferebantur quoad plenum dominium, proprietatem, & poſſeſſionem, uti Religio ſuadebat, in erectione ſacræ Domus, Templique Deo dicati: nullam igitur partem proprietatis, poſſeſſionis, dominii, ſeu poteſtatis, profeſſa eſt Regina ſe retinere ſuper bonis donatis, nullumque pro iis ſibi reſervavit homagium, præſtationem, ſervitium; eo tantum contenta, ut precibus ſuis Fratres apud Deum pro ea intercederent. Nuſquam ibi patronatus mentio. Is enim neque *dominii*, *neque poſſeſſionis*, *aut poteſtatis in bona donata*, quæ verba in Diplomate occurrunt, vocabulo continetur. Sane jus patronatus a fundatione repetendum eſt, neque quicquam cum dominio, aut poteſtate commune habet.

Aliunde, quoties de ipſis privatis agitur, quum patronatus a fundatione neceſſario promanet, expreſſa tantum renunciatione is remitti poteſt. Ad ejus remiſſionem non ſufficit præſumta renunciatio: multo minus igitur generales formulæ ejus renunciationem inducunt, præſertim ſi ex alio referri

ferri debeant. Ipsa Rota Romana, privatis vix favens adversus libertatem Ecclesiarum, pluries ita pronunciavit, præsertim vero *part*. 7. *Rec. decis*. 133. *n*. 11., illis verbis: *Nec sufficiet præsumta, & obscura renunciatio juris patronatus, sed requiritur expressa*: & rursus *part*. 5. *tom*. 1. *decis*. 377. *n*. 3. & *part*. 18. *tom*. 2. *decis*. 771. *n*. 7. Idem passim inculcant juris Pontificii celebriores interpretes. Ita Franciscus de Roye *in Prolegom. de jur. patron. cap*. 15.: *Quum constat aliquem fundasse Ecclesiam, satis probatur, eum esse illius patronum, & expressa renunciatione opus est, ut eo jure submoveatur*. Et inter vetustiores Lambertinus *de jur. patron. part*. 1. *lib*. 1. *qu*. 2. *art*. 4. Rochus de Curte verb. & *Ecclesiam fundavit*, *qu*. 8. *nu*. 12. Garzias *de benefic. part*. 5. *cap*. 9. *n*. 62.

Jam vero si patronatus privatorum hominum neque præsumtis renunciationibus, neque formulis generalibus & obscuris remissi intelliguntur; respectu patronatuum Regibus competentium, multo minus id perferendum. Ea in specie scilicet jus patronatus inter jura Majestatis referri debet, neque a Regia Corona divelli potest, & ut reliqua Majestatis jura, neque alienationi, neque præscriptioni subest. Id quidem repetendum est e jure publico; pari enim modo in Christianis Provinciis observatur, ut passim tradunt Scriptores exteri. Id de Hispania testatur Solorzanus *de jur. Indiar. lib*. 3. *cap*. 3. *n*. 22. Ibi enim docuit primum, Coronæ Principis Regios patronatus hærere, statimque hæc addidit: *Quo fit, ut nullo modo etiam ex voluntate, & concessione expressa ipsorum Regum in alium transferri, vel alienari possit in totum, nec pro parte, non magis, quam reliqua alia bona, quæ ad eamdem Regiam Coronam spectant, & de Regalibus dicuntur, & ideo inalienabilia esse censentur, saltem ultra tempus, quo ipse alienans vixerit*. Idem de Gallia tradit Choppinus *de deman. Gallic. lib*. 2. *t*. 1. *n*. 2. Ejus autem juris rationem inde repetit, *quod sicut lege Julia dos est a marito inalienabilis, ita Regium Coronæ patrimonium individua Reipublicæ dos*. Idem de Lusitania scribit Cabedus *decis*. 65. *n*. 3., ubi præfatus Regios patronatus præscribi non posse, hæc subdit: *Et ratio*, *ob*

ob quam in patronatibus id judicatur, ea est, non quod patronatus proxime accedunt ad jurisdictionem, sed quia in nostro Regno regulantur tamquam bona alia Regiæ Coronæ. Id ipsum & in Regno Neapolitano servatur, ejusque juris observantiam complura rescripta Augustissimi Ferdinandi inculcarunt.

Hactenus dictis illud accedit, controversum patronatum ab ipsa Regina Joanna I. originem suam non habuisse, quasi præsumi possit, illum ab ea remissum fuisse in fundatione, dotatione. Ut enim supra vidimus, Monasterii Divomartinensis fundatio & dotatio, partim Carolo Illustri Joannæ patri, partim ejus avo Roberto accepta referri debet. Sane ipsamet declaravit in Diplomate suo, Carolum Illustrem testamento cavisse, ut construeretur, & dotaretur prædictum Monasterium, ut ab ipso inchoatum jam fuerat ab anno 1326. Eodem in Diplomate declaravit, post mortem Caroli patris sui Regem Robertum ejus voluntatis exequendæ gratia annuas uncias biscentum in prædiorum emtiones collocari jussisse, ut inde dos Monasterio constitueretur; ex factis emtionibus jam uncias centum sexagintaquinque & tarena vigintinovem percipi, acquirendas tantum superesse uncias trigintaquatuor cum tareno uno, eaque de causa pecuniam præsto esse. Aliunde constat per Roberti obitum anno 1343. ad Joannam Regno delato, eodem anno a Martucio Serico eam rationes reddi jussisse omnis pecuniæ ob Monasterii constructionem expensæ, cique literas quietantiæ expedisse. Hæc omnia apprime evincunt, æque ab ipsa Joanna Monasterium fundatum, aut dotatum esse, & sub Roberti Regno Monasterium extructum, & dotatum fuisse: dos enim constituta fuit pecunia, quæ eam in rem ab ipso Roberto destinata jam fuerat. Id ex ipso constat Joannæ Diplomate, ibi enim edicit, propter rerum humanarum vices factum, ut pater, & avus prius vita decederent, *quam de institutione, & dotatione Monasterii opportuna privilegia contigisset habere*. Diploma quoque ea de re scriptum expedire se declaravit, *tamquam clara paterni nominis & aviti heres, atque posteritas*. Nullus igitur relinquitur dubitandi locus, fundationis & dota-

tationis intuitu patronatum in Monasterium ad ipsum Carolum, ejusque parentem Robertum pertinuisse; Diplomate vero suo Joannam memoriæ tantum causa declarasse quid per parentes suos ea in re factum esset.

Quod hactenus diximus argumentis etiam ex medio jure civili desumtis facile evinci potest. Nimirum jus civile cavet, uno ex coheredibus ad monumenti extructionem damnato, heredis damnati proprium monumentum non esse; id potius hereditarium censeri oportere; pertinere igitur ad coheredes omnes, eaque de causa ab heredibus omnibus heredem gravatum conveniri posse, ut monumentum extruat. Id diserte jubetur in *L.* 18. *His consequenter* §. 1. *D. famil. ercisc*, Sic enim ibi Jurisconsultus: *Sed & cum monumentum jussit testator fieri, familiæ ercifcundæ agent, ut fiat. Idem tamen tentat, quia heredum interest, quos jus monumenti sequitur, præscriptis verbis posse eos experiri, ut monumentum fiat*. Argumentum igitur inde desumtum omnino probat, Ecclesiæ fundatione & dotatione a testatore præscripta, heredis proprium patronatum non esse, sed ad ipsam hereditatem pertinere. Ita eam speciem definivit doctissimus Covarruvias *Variar. Resol. lib.* 2. *&* 18. *num.* 10., sic enim ibi: *Si testator, institutis tribus heredibus, uni eorum jusserit propriis ipsius heredis impensis Ecclesiam construere, eaque fuerit consensu Episcopi constructa mortuo testatore ab uno ex pluribus heredibus, in hoc patronatus acquiritur non tantum heredi Ecclesiam ædificanti, sed & omnibus testatoris heredibus*. Convenit cum eo Baldus in *rubr. C. res inter alios acta*. Sic enim ibi gravissimus Doctor: *Cum heres nomine testatoris, & ejus jussu ac mandato Ecclesiam construxerit, ejus hereditati jus patronatus acquisitum censebitur*.

Si igitur in controversum Monasterium patronatus ab ipsa Regina Joanna primum acquisitus non fuit, sed pridem pertinuerat ad Robertum ipsum, cujus pecunia extructum, ac dotatum id fuerat, perperam asseritur, generalibus illis verbis Joannam patronatum remittere voluisse. Si enim ea fuisset Reginæ voluntas, oportebat aboleri, destrui patronatum, qui ipsi Roberto delatus jam fuerat. Id ipsum ta-

men in arbitrio Joannæ non erat; postquam enim patronatus tam eximius Coronæ acquisitus jam fuit tanto Roberti, Regnique dispendio, inter jura Majestatis eum referri oportebat. Jura autem Majestatis, ut supra ostendimus, ulla ex parte alienari nequeunt.

De Monasterio vero Divi Laurentii prope Padulam hæc ferme constant ex monumentis, quæ Promotor Fiscalis exhibuit. Primo liquet, Thomam Sanseverinum Marsici Comitem decrevisse fundare novum Monasterium Carthusiani Ordinis in Diœcesi Caputaquensi: ea de causa egisse cum Abbate, & Monasterio Montis Virginis, ut sibi cederetur locus *Divi Laurentii de Padula* dictitari solitus, cum domibus, vineis, hortis, terris, pistrinis, aquis, aquarumque decursibus, ac reliquis pertinentiis, quæ in Padulæ territorio prædictum Montis Virginis Monasterium possidebat; ejusdem vero Monasterii indemnis servandi causa ei permutationis titulo obtulisse quasdam *startias*, quas vocant, ac prædia, quæ is habebat in feudo Sanseverini. Conditio Abbati, ac Monasterio placuit. Ita anno 1305. 14. Octobris de tota re instrumentum rite scriptum Aversæ fuit; in eo a Monasterio Montis Virginis per Procuratorem speciali mandato constitutum cessus fuit Thomæ Sanseverini prædictus locus Divi Laurentii de Padula cum omnibus pertinentiis suis. Thomas vero Sanseverinus permutationis titulo in Monasterium transtulit Startiam Divi Angeli, Startiam de Marsiculis, prædium de Ramario, & de Carrara, cum pertinentiis suis, quæ ad eumdem Thomam pertinebant in Sanseverini Feudo.

Liquet etiam ex Diplomate Caroli II. Andegavensis diei 27. Aprilis anni 1305., Thomam Comitem Regi patefecisse bonorum permutationem cum Monasterio Montis Virginis factam; Regi eumdem exposuisse, se bona omnia per eam permutationem quæsita donasse Carthusiano Ordini, ut inde ejus Instituti Monachi alimenta perciperent in Monasterio, quod ædificandum susceperat sub Regula prædicti Ordinis prope Ecclesiam Divi Laurentii; his addidisse præter enunciata bona, eumdem Comitem ad Monachos exhibendos eidem Mo-

Monasterio donasse startiam ingentem in Territorio Padulæ in regione *Aquæ sparta*, quæ dicebatur, ac decimam tam Bajulatus Padulæ, & Saulæ, cum redituum omnium, vinearum, hortorum, arborum, ac pistrinorum demanii sui, atque animalium omnium, quæ ipse habebat, aut idem ejusque heredes habituri forent in Padulæ, aut Saulæ Territorio, jus quoque piscandi in fluminibus, & aquis vallis Diani, & dimidium decimæ, quæ ei solvebatur ex piscibus, & piscatione in Civitate Policastri, præterea decem *quarantinos* annuos olei optimi ex oliveto Caparrotæ in Territorio Castri Fasanellæ, & exemptionem fidæ respectu animalium ad Monasterium pertinentium, ac pascentium in quibuscumque prædiis demanii sui, & immunitatem a platheatico respectu rerum, quæ a Monasterio venderentur, aut emerentur, tantum reservato feudali servitio Regiæ Curiæ solvendo ex terris ejusdem Comitis. His enarratis, addit in Diplomate suo Carolus, prædictum Marsici Comitem assensum, ac Regiam confirmationem postulasse, cum prædictæ permutationis causa, tum donationum, quas Monasterio fecerat. Eodem igitur in Diplomate Carolus ea omnia rata haberi jubet ea sub clausula: *Feudali servitio pro dictis Terris dicti Comitis nostræ Curiæ debito, juribusque nostris aliis, & cujuslibet alterius semper salvis.*

Præterea liquet, eumdem Comitem Thomam diei 28. Januarii 1308. primo declarasse, a se constructam novam Domum Divi Laurentii de Padula Carthusiani Ordinis, deinde in ejus favorem renovasse concessionem cum bonorum, quæ ex prædicta permutatione obvenerunt, tum aliorum bonorum eidem Monasterio donatorum, prout enunciata fuerant in prædicto Diplomate Caroli II., insequenti cum additamento: *Addentes, ac etiam attestantes, quod supradicta bona omnia & singula dedimus, & damus prædictis Priori, & Fratribus burgensatica, & libera, exempta, & immunia, atque absoluta ab omni onere, atque servitio feudali, pro quo feudali servitio Nos, nostrosque successores, & heredes Curiæ Regiæ obligamus, & promittimus respondere. Petimus propterea, & cum instantia postulamus, quod dicta permutatio, necnon concessiones, & dona-*

tiones superius nominatæ eisdem Religiosis , & Domui per Sacram Regiam Majestatem absolute & libere confirmentur.

At vero alius Thomas Sanseverinus Marsici Comes prædicti primi fundatoris heres, ineunte sæculo XV. adversus Ladislaum Regem conjurationem cœptavit, ejusque pœnas capite luit. Ita bona ipsius omnia, jura, feuda Fisco delata, ut late enarrant Angelus Constantius in *Hist. Regn. lib.XI.*, ac Summontius *lib.V.* Duplici igitur titulo Regius patronatus in Monasterium Divi Laurentii de Padula ad Principem pertinet. Primo enim dotatum fuit bonis feudalibus, in quæ dominium directum Principi competit. Deinde bonis & juribus Thomæ Sanseverini ad Fiscum delatis ob Majestatis crimen, cum reliquis juribus patronatum etiam in prædictum Monasterium ad Fiscum deferri oportuit. Ita intelliges, cur Regina Joanna II. anno 1416. & Rex Ferdinandus anno 1459. in Regiam tutelam suam prædictum Divi Laurentii Monasterium receperint, eique sua privilegia confirmarint, cum possessione bonorum, quæ ei donata fuerant.

Præterea ex aliis quoque monumentis constat, ann. 1451. per Bullam Nicolai V. prædicto Divi Laurentii Monasterio unitum fuisse vetus aliud Monasterium sub titulo S. Mariæ de Pisticio cum bonis ad ipsum pertinentibus, quæ quidem bona in præsenti ob prædictam unionem possidet Monasterium Divi Laurentii de Padula. Prædictum autem Monasterium S. Mariæ de Pisticio Regii juris patronatus fuisse exploratissima monumenta probant. Constat scilicet ex productis monumentis, Radulfum Maccabæum ex vetustis Nortmannorum Principibus, & ipsius Rogerii Comitis Siciliæ & Calabriæ generum, Civitatis Severianæ dominum, Pisticii, & aliarum regionum, Diplomate suo anno 1087. declarasse cum Emma uxore sua prædicto Rogerio prognata, se absolvisse novam fundationem Monasterii prope Pisticii Castrum in honorem B. Virginis; advocasse Abbatem Nicolaum Tarenti commorantem, ut cum suis Monachis ibi degeret sub Regula S. Benedicti; acceptata per Abbatem conditione, Radulfum ei dedisse prædictum Monasterium cum Ecclesia Divi

Divi Joannis de Pisticio cum omnibus juribus, & pertinentiis suis; eidem Abbati concessisse Castrum Franculi, ubi extructum Monasterium fuerat, & Castrum Pilosi cum vicinis prædiis, Iscam Basenti quoque, atque inclitas Salandræ Terras, ac tenimentum Montis cum Ecclesia S. Andreæ, finibus bonorum, ac prædiorum omnium designatis. Monasterio concessit etiam facultatem agrorum colendorum in toto Pisticii Territorio, cum exemptione a quacumque decima, terratico, aliove tributo. Per idem territorium quoque eadem immunitate uti jussit, seu Monasterium, seu ejus vassallos, quod ad ligna, aquas, pascua. Neque hic substitit Radulfi Maccabæi liberalitas erga Pisticii Monasterium. Alio enim Diplomate anni 1095. prædicti Monasterii Abbati, ejusque successoribus concessit, ut exinde *tenerent, & dominarentur libere, secure, & absolute civitates, possessiones, territoria, villas, terras cultas, & incultas, cellas quoque, & obedientias prædictæ S. Mariæ Cœnobio pertinentes;* homines vero in eorum ministerio positi immunes forent a publicis functionibus, servitio, angaria, platheatico in Regionibus ac Vicis ad se pertinentibus. Anno quoque 1097. rursus Monasterio confirmavit Basenti Iscam, & Salandræ Terram. Anno etiam 1100. eidem concessit Ecclesiam Divi Michaelis Archangeli prope flumen Basenti positam cum proximo pago, cum latissimis pertinentiis suis. Denique anno 1107. rursus ei concessit tenimentum Montis, & Ecclesiam S. Andreæ.

Præterea constat, Rogerium Regem Diplomate suo anno 1133. mense Decembri confirmasse Monasterio S. Mariæ de Pisticio Ecclesiam S. Michaelis Archangeli cum suo pago, & Monasterium Sanctissimæ Trinitatis Montis Janesii, & Ecclesiam S. Angeli de Barco cum omnibus pertinentiis suis, prout edicebatur in privilegiis Radulfi Maccabæi, prohibendo molestias, quæ in possessionibus dictarum Ecclesiarum ei a Regni Baronibus creabantur. Alio quoque Diplomate eidem confirmavit Ecclesiam Divi Basilii in Appii territorio positam juxta concessionem pridem factam ab ipsius sorore Emma Civitatis Severianæ Comite, & ejusdem Radulfi uxore. Con-

Constat denique, Monasterium S. Mariæ de Pisticio omnium ferme opulentissimum, ob solitas Monasteriorum vices, commendatum fuisse anno 1304. Idem, postquam diversos Commendatarios fuit expertum, pervenit tandem in manus Andreæ de Agnesio, isque aliquot post annos Monasterii commendationem resignavit. Per eam occasionem Nicolaus V. Bulla sua anno 1451., de Regio patronatu nullam mentionem injiciens, dignitatem Abbatialem, & Benedictinum Ordinem in eo Monasterio aboleri jussit; ejusdem vero cum pertinentiis suis unionem fecit in favorem S. Laurentii de Padula.

Jam vero quum hactenus dicta indubiis monumentis firmarit Promotor Fiscalis, exploratum Curiæ videbatur, omnino constare de Regio patronatu in Monasterium Divi Laurentii de Padula, seu primæva ejus fundatio spectetur, seu respiciatur fundatio Monasterii S. Mariæ de Pisticio, quod Monasterio Divi Laurentii fuit unitum. Nimirum, ut supra fuit ostensum, Divi Laurentii Monasterium a Thoma Sanseverino Marsici Comite ab initio suo fuit extructum: ab eodem in ipsa fundatione dotatum fuit ex bonis feudalibus cum servitio feudali sibi concessis. Dos igitur ab initio suo ad Regalia pertinebat. Proinde per ipsam fundationem & dotationem prædicto Marsici Comiti jus patronatus immediatum quæsitum fuit. Statim igitur veluti per consequentiam patronatus mediatus acquisitus fuit & Regi, qui jura Regia sibi reservando assensum dotationi præstitit. Tractu temporis bona Thomæ Sanseverini Comitis Marsici publicata fuerunt. Per publicationem bonorum jura ipsius omnia feudis annexa sunt Regi delata. Ipsum igitur jus patronatus immediatum in prædictum Monasterium a Thoma Sanseverino quæsitum, in persona Principis cum patronatu mediato consolidatum fuit, & exinde ad jura Majestatis pertinere cœpit. Ita quidem constitui debet, si primæva Divi Laurentii de Padula fundatio, dotatio respiciatur. Eodem res redibit, si unio Monasterii S. Mariæ de Pisticio ei facta spectetur. Nimirum, ut supra vidimus, id constructum, & dotatum fuit a Ra-

Radulfo Maccabæo, qui per eas Regiones jure summi Imperii utebatur. Ab eodem Radulfo idem Monasterium dotem accepit in feudis, aliisque bonis ad Regalia pertinentibus. In prædictum igitur Monasterium jus patronatus semel Radulfo quæsitum Regni successoribus delatum fuit, idque hodie Principi denegari non debet. Ejus Monasterii cum bonis suis unio facta fuit Monasterio Divi Laurentii. Proinde ejus quoque unionis titulo in Monasterium Divi Laurentii de Padula patronatus Principi competit.

Quod ad Monasterium Divi Jacobi in Insula Capreارum, ea de re Promotor Fiscalis exhibuit Diploma Reginæ Joannæ I. expeditum ad preces Jacobi Acunzi Capreensis civis, ejusdem Reginæ Consiliarii ac familiaris, anno 1371. mense Majo. In eo declarat Regina, prædictum Jacobum ædificandum suscepisse in Caprearum Insula in loco *Sama* dictitari solito Monasterium Carthusiani Ordinis sub titulo S. Jacobi Apostoli; eumdem eam rogasse, ut religiosum desiderium suum Regali sua clementia adjuvaret, ministrando alimenta Fratribus, qui inibi Deo inservituri forent. Ibidem Regina addit se quoque religione sua in tam pium opus proclivem fuisse. Proinde, ut in prædicto Diplomate dicitur, donavit *eidem Monasterio per dictum Jacobum taliter construendo, ac construi jam incœpto, pro dote ipsius Monasterii, ac pro vita, ac substentatione Fratrum ipsorum, & aliarum personarum degentium, & inservientium in eodem, & præsertim, ut Fratres ipsius Ordinis habentes in illo continuatis temporibus residere ad famulandum Deo, & ad Divinum ibi cultum jugiter celebrandum, commodius substententur, & vivant*, omnia bona stabilia demanialia, quæ Regia Curia possidebat in Caprearum Insula, ejusque territorio, domus scilicet, terras cultas, incultas, præterea annuam solutionem unciarum sex solvendarum ex Bajulatu Civitatis, & aliam præstationem annuam unciarum quinquaginta solvendarum ex reditu Tinctoriæ Neapolitanæ, annuas quoque uncias duodecim ex Dohana majoris fundaci Neapolitani præstandas; quæ quidem terræ, & præstationes prædicto Jacobo ad certum tempus concessæ fuerunt, ea vero

ro de causa libere Reginæ resignatæ fuerant. Ulterius tamen excurrit Reginæ liberalitas. Eidem enim Monasterio pro dote, ac pro vita, & substentatione Fratrum ipsius, donavit proventus, ac jura Bajulatus Caprearum, licet ad manus mortuas perventura forent, ac modios salis annuos triginta; facultatem eidem dedit cædendi ligna in luco Schifatensi, & immunitatem cujuscumque oneris Dohanalis, Bajulatus, passus, platheatici; denique & exemptionem a vectigalibus respectu specierum omnium, quæ in usum Fratrum emerentur, & immunitatem ab omni servitio, subsidio, angaria, & complura alia privilegia, quæ brevitatis causa hic omittimus.

His ita præstitutis, de Regio in prædictum Monasterium patronatu dubitari non potest. Id quidem ab alio fuit extructum, a Regina tamen Joanna dotem accepit ex patrimonio Regio, & de bonis, quæ pertinebant ad Principatum. Proinde secundum præscripta Canonum jus patronatus acquisitum Reginæ fuit. Canones enim per solam Ecclesiæ dotationem jus patronatus acquiri jubent. Id disert· cavet *Can. Filiis caus.* 16. *q.* 7., & Concilium Tridentinum *sess.*14. *cap.*12. *de reformat.* Id ipsum Justinianus edixit in *Nov* 17. Sic enim ex ejus Novellæ sententia defertur jus patronatus: ***Si quis ædificans Ecclesiam, aut etiam aliter in ea ministrantibus alimenta expendens &c.*** Quum igitur omnia jura Regia ex Joanna I. ad Regni successores redierint, Curia pro explorato habuit, jus patronatus in Monasterium Divi Jacobi a Joanna I. quæsitum, hodie ad Principem pertinere.

Denique quod ad Monasterium S. Nicolai de Claromonte, de ejus quoque Regio patronatu dubitari nequit ob documentorum fidem, quæ Promotor Fiscalis exhibuit. Nimirum inde constat, sæculo XIV. vertente, Vinceslaum Sanseverinum Venusii & Tricarici Ducem, & Claromontis Comitem, extruere volentem Monasterium Carthusiani Ordinis sub titulo S. Nicolai de Valle, pluribus instrumentis ea de re sententiam suam ostendisse. In iis primo cum consensu generalis Procuratoris Carthusiani Ordinis designavit locum, in quo Monasterium ædificandum esset, in S. Helania scilicet

in

in territorio Claromontano posita. Deinde se obstrinxit ad inchoandam constructionem suis impensis, neque eam se intermissurum, donec absoluta foret Monasterii ædificatio cum Ecclesia, clausura, claustris, officinis, pistrinis, aliisque commoditatibus: illud quoque promisit, se non minus Monasterium, quam Ecclesiam instructurum utensilibus, & suppellectili necessaria. *Et quia parum esset concedere Monasteria, & Oratoria, nisi orantes ipsi, & servitores Dei haberent necessaria alimenta, & alia necessaria quotidie opportuna*, idem cum consensu Rogerii Sanseverini Comitis Claromontii & Coriolani, sui filii natu majoris, in anteceffum donavit Monasterio ædificando quingenta terræ modia in toto Claromontii territorio, per Priorem futurum eligenda, & agriculturæ usui inservitura; tot quoque vineas jam fructum ferentes, ut inde possent percipi vini cadi sexcenti; prædictas vero terras & vineas ab omni onere liberas per Monasterium possidendas edixit. Ne vero Monasterio deessent annui reditus cum ad alimenta Fratrum, tum ad stipes pauperibus erogandas, ad alia quoque cum Monasterio, tum Ecclesiæ necessaria; ei donavit annuas uncias centum eidem solvendas ex Bajulatu S. Martini de Ripario, Castrinovi, Claromontii, Senisii. Quum tamen prædicta prædia reditusque feudalia forent, concessionem Regii assensus in se recepit, ne qua controversia in posterum Monasterio fieret. Hinc Rex Ludovicus II. Diplomate suo anno 1397. mensis Junii Regio assensu suo ratas esse jussit concessiones in prædictis instrumentis comprehensas, ea tamen sub clausula: *fidelitate nostra, feudali quoque servitio pro dicto Castro Claromontis, & bonis feudalibus illius, per eumdem Ducem Venusii, & suos jam dictos successores, nostræ Curiæ debito, nostris aliis juribus, & cujuslibet alterius semper salvis.*

Constat etiam, Regem Ladislaum Diplomate suo 15. Martii anni 1404. ad preces Prioris prædicti Monasterii jam extructi confirmasse donationes ei factas a Vinceslao Sanseverino, ac concessionem quoque Pagi *Rubius* dictitati. His suam etiam liberalitatem addidit. Prædicto enim Monasterio

præstari perpetuo jussit salis modios triginta ex salinis Altomontii. Respectu vero prædicti Pagi, ac rerum donatarum intuitu, Monasterium exemit non solum a feudali servitio, sed etiam a solutione fidæ, & ceteris juribus, quæ ad Fiscum pertinent.

His ita transactis, idem Vinces'aus Sanseverinus Venusii Dux, ac Monasterii fundator, sub initia sæculi decimiquinti sub eodem Ladislao, ob majestatis crimen & ipse capite punitus fuit, ut Regni Historici passim tradunt. Ita ejus bona, & jura omnia redierunt ad Fiscum. Proinde secundum quæ supra diximus, immediatum in prædictum Monasterium jus patronatus Regiæ Coronæ delatum fuit.

Ex hactenus dictis aperte liquet de patronatu Principis in Carthusiana Cœnobia. Quod superest igitur, videamus oportet de Promotoris Fiscalis petitione, quod ad facultatem eligendi Prioris, quoties Prioratus vacare contigerit. Ea in re, prætermissa vetustiori Ecclesiæ disciplina, qua Regalia Monasteria ab ipso Principe Abbatem accipere cogebantur, controversiam definiemus illis potissimum Canonum collectionibus, quæ jus commune Canonicum complectuntur, & in Christianis Provinciis juris communis vocabulo designari solent. Eæ quidem collectiones non e solo Principum fundatorum arbitrio Abbatum electiones pendere jubent; ea in re tamen omnino Principes excludi vetant. Nam electionis negotium non minus Monachorum; quam Principum quoque fundatorum consensu expediendum edicunt. Celeberrimus est in eam sententiam Canon apud Gratianum in *caus.* 18. *qu.*2. *Can.* 4., sic enim ibi: *Abbatem in Monasterio illum volumus ordinari, quem sibi de sua Congregatione, & Monachorum electio, & possessionis Dominus, & quod magis observandum est, ordo vitæ, ac meritum poposcerit ordinari*. Complures quidem existimarunt, jus ibi patrono delatum privatis fundatoribus communicari non oportere, nemo unus tamen in animum induxit suum, id patrono Principi denegandum esse. Eo sane referri debet rescriptum Clementis III. in *Can. Nobis* 25. *de jure patron.*, sic enim ibi Pontifex: *Ceterum in Conventuali Ec-*

Ecclesia non electioni Prælati faciendæ, sed jam factæ, honestius patroni postulatur assensus, nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tradendæ. Eam vero sententiam, & ipsa verba exceptionis inculcant, & doctissimi quique Decretalium Interpretes sunt amplexi.

Sane earum Interpretes celeberrimi docuerunt prædictæ Decretalis exceptionem eos patronos respicere, qui summo imperio in Regionem utantur, licet idem juris privatis fundatoribus deferendum negent. Atque ea quidem in re inter privatos fundatores, & Principes discrimen constitui debet. Id ipsum autem ex juribus Majestatis est repetendum. Nimirum in Monasteria, & Ecclesias Principi jus tuitionis, & Regia custodia competit. Eo si jus fundationis accedat, ea sane in specie Princeps & in Abbatis, & cujuscumque Prælati electione, partes suas recte interponit. Ejus vero discriminis inter privatos fundatores, & Principem, ipsi Tridentini Patres videntur auctores fuisse, cum edixerunt Principes ipsos cum privatis fundatoribus confundi non oportere. Quum enim jura patronorum varie coercuissent, ac reformassent, in generalibus illis regulis statim exceperunt patronatus, qui pertinerent ad Imperatorem, Reges, atque alios Principes, qui jus summi imperii exercerent.

Quod vero diximus, eam Principibus facultatem ipsum Pontificem detulisse in *dict. Can. Nobis de jure patron.*, ejus quidem sententiæ doctissimi quique Decretalium Interpretes auctores fuerunt. Primum enim Janus a Costa, inter interpretes id genus facile princeps, hæc adlinit ad prædictum Decretalium caput: *Quæro, quid iis verbis intelligat Pontifex, nisi aliter de sua jurisdictione obtineat. Id omnino videtur accipiendum de patrono laico Rege, vel Principe, ut & glossa tandem fatetur . . . . . Sic igitur hæc exceptio mihi explicanda videtur, ut hoc deferatur Regibus, & Principibus ratione jurisdictionis suæ, ideoque summæ potestatis, propter quam, ut initio hujus tituli diximus, dicuntur habere custodiam Ecclesiarum.*

Franciscus quoque de Roye gravissimus & ipse Decretalium interpres cum Jano a Costa ea in re convenit: sic enim

R 2 is

is ſcribit ad *d. Can. 25. de jur. patron.: Sed excipit Pontifex in hoc capite 25., niſi aliter de ſua juriſdictione obtineat, ut partes ſuas interponere debeat electioni tractandæ. De ſua juriſdictione, id eſt pro imperio, pro ſumma poteſtate ſua. Sic enim juriſdictio latiſſime ſumpta pro majoritate, & poteſtate accipitur apud Rodericum Toletanum, Trithemium &c. Quaſi diceret Pontifex, niſi patronus ſit Rex, Dux, aut Comes ejus Provinciæ, in qua conſtituta eſt ea Conventualis Eccleſia.*

Ab horum ſententia haud abludit Joſephus d'Avezan in *Diſſert. de jurepatr. apud Meermann.* Sic enim ibi vir doctiſſimus: *Quamvis autem patronus laicus partes ſuas interponere non poſſit electioni tractandæ, niſi in caſu propoſito, excipitur tamen Rex, vel Princeps, qui jus patronatus habet in Eccleſia Conventuali; & de eo omnino accipiendum videtur, quod eſt in d. Can. 25. de jurepatr., niſi aliter de ſua juriſdictione obtineat: quæ verba notant quoddam jus ſingulare Regum, ſive Principum.* Memorata autem prædicta Concilii Tridentini diſtinctione inter privatos fundatores, & Principes, ſtatim hæc ſubdit *loc. cit. . . . . Sic ergo exceptio propoſita in d. Can. 25. mibi explicanda videtur, ut hoc deferatur Regibus, & Principibus ratione juriſdictionis ſuæ, id eſt ſummæ poteſtatis, per quam habere dicuntur cuſtodiam Eccleſiarum.* Id ipſum docuit celeberrimus Hericurtius juris canonici ſententia & uſu peritiſſimus; nam is in Opere ſuo *Loix Eccleſiaſt. chap. du droit du patronag.* generatim quidem edicit patronos in electionibus Eccleſiarum Conventualium partes ſuas interponere prohiberi, ſtatim tamen perſonas excipit, *quarum ſingularis qualitas aliud juris expoſcat*. Qua quidem in exceptione vir doctus Reges, & Principes fundatores reſpexit. Eamdemque ſententiam aperte ſequitur Durandus de Maillane in Lexico ſuo Canonico in verb. *Patron.*

Neque vero concordia iſthæc inter Principem, & Monaſterium in Abbatis electione a Clemente III. primum præſcripta fuit. Eadem enim pluribus ante ſæculis & conveniens, & opportuna viſa Gregorio Magno juris Eccleſiaſtici vindici conſtantiſſimo. Is enim diſerte cavit, ut in Monaſterio Au-

gu-

gustodunensi a Rege simul & Monachis eligeretur Abbas *lib.I. epist.* 8. Sic enim ibi : *Obeunte Abbate, non alius ibi quavis obreptionis astutia ordinetur, nisi quem Rex ejusdem Provinciæ cum consensu Monachorum secundum timorem Dei elegerit, ac providerit ordinandum*.

His rite perpensis, quum exploratum sit Regium jus patronatus in Monasteria Carthusiani Ordinis, Curiæ visum, Regiam Coronam in illud redintegrandam esse, & in patronatus veluti consequentiam, Regis consensu expediendas Priorum electiones; eas autem fieri oportere præsentibus personis destinandis a Principe, quæ vice sacra in electionibus partes suas interponant; ita autem expeditas electiones firmitatem suam non obtinere, nisi Regio quoque assensu firmatæ fuerint. Hinc ita pronunciavit: *Monasteria Carthusiani Ordinis hujus Regni, nimirum S. Stephani de Bosco in Calabria ulteriori, S. Martini supra Neapolim, S. Laurentii de Padula in Lucania, S. Jacobi in Insula Caprearum, & S. Nicolai Vallis Claromontanæ in Calabria citeriori fuisse & esse Regii juris patronatus. Ac proinde Regalis Corona redintegretur in dictum jus patronatus tam super prædicta Monasteria, quam in Grancias, Ecclesias, pertinentias, bona, jura, privilegia veteris status sui, ea lege, ut Princeps partes suas interponat in electione Priorum, quoties ii sint eligendi. Eapropter in electionibus faciendis Regius consensus obtineatur, eæque expediantur conventualiter in Monasteriis suis præsente persona a Principe destinanda, quæ vice Regia partes suas in electionibus interponat; ita autem expeditæ electiones firmitatem suam tandem obtineant, ubi Regio assensu firmatæ fuerint. Nequando autem in posterum Regia jura detrimentum patiantur, prædicta Monasteria referantur in libros Curiæ inter alias Ecclesias, Abbatias, & Monasteria Regii patronatus*.

In

In caussa Regii Fisci pro declaratione Regii patronatus in Monasterium S. Mariæ Insulæ Tremitanæ, & Abbatiam S. Mariæ de Calena. Die 2. Junii 1780.

Dotatio de bonis, quæ ad Principem spectant, Regium patronatum constituit.

PRomotor Fiscalis Regiæ Coronæ petiit in Curia Capellani Majoris, ut Regalis Corona redintegraretur in patronatum, qui Principi competit tum in Monasterium Divæ Mariæ Tremitanæ, cum in Abbatiam Divæ Mariæ de Calena. Eam ob controversiam auditis D. Ferdinando de Leon Fisci Patrono, eaque de caussa speciatim a Principe delegato, atque Abbate Monasterii Divæ Mariæ Tremitensis, ac dato termino ad probandum, ex parte Fisci complura sunt exhibita documenta, quæ ejus caussam justam ostenderunt. Solemnibus vero judicii rite expletis, prædictus Fisci Patronus ita institit: *Fiscus instat per Rev. Curiam Capellani Majoris declarari, Monasterium S. Mariæ Tremitanæ Insulæ, & Abbatiam S. Mariæ de Calena, fuisse, & esse Regii juris patronatus, ideoque ambo reintegranda esse optimo jure Regiæ Coronæ, cum omnibus ipsorum bonis, feudis, jurisdictionibus, juribus, pertinentiis, & integro statu, juxta primævam ipsorum naturam, & cum omnibus & quibuscumque juribus Principi Patrono competentibus; & ad hunc effectum prædictum Monasterium Tremitanum, & Abbatiam Calenæ describi inter alias Ecclesias, Abbatias, & Monasteria, quæ in Regno hoc optimo jure Regi nostro pertinent, & spectant.*

Actione ita instituta, ex allegatis monumentis constitit, sub initia sæculi XI. constructo Monasterio S. Mariæ Tremitanæ, certatim ei dotem constituisse diversos Dynastas genere Longobardos. In eum sane censum referri debent Termuli Comites, Comites quoque Theatenses, eorum fratres, aliique de ipsorum prosapia. Ii quidem de genere summorum Imperantium, Beneventi scilicet, & Salerni Principum, in territorium quisque suum jus summi imperii exercuerunt, ut ex historicis monumentis liquet. Iidem quoque ex veteri Longobardorum jure Principatum suum in solos liberos natu majores non transmittebant, sed eum inter singu-

gulos liberos dividebant. Id quidem Longobardorum exitium maturavit: neque enim ratio Principatus aliter constare potest, quam si ab uno regatur. Ita ab ipsis Monasterio donata bona ad Principatum pertinuerunt. Ejusmodi saltem fuerunt Castra Righi Armarii, Planasi, Acquavivæ, Sparpaliæ, Senellæ, Linari, atque alia, quæ partem non modicam Termulani, & Theatensis Comitatus constituebant. Prædicta autem Castra in Monasterium collata fuerunt cum pertinentiis, ac prædiis, quæ ipsorum ambitu continebantur. Ex ipsarum vero donationum inspectione constat, prædia ad singula Castra pertinentia per immensa spatia patuisse, ac modiorum viginti millia fuisse complexa. Prædictæ etiam concessiones factæ fuerunt cum Ecclesiis in memoratis Castris extructis, cum aquis, aquarumque decursibus, aliisque juribus, quæ ad jura Majestatis pertinebant. Si cujus vero Castri principatus inter plures fratres divisus foret, partem quisque suam donavit.

Jam vero prædictæ concessiones liberalitate Longobardorum Principum Monasterio factæ in jure controverso positæ videri poterant. Nam per id temporis contendebant Occidentis Imperatores, Neapolitanas Provincias, ac reliquam Italiam, supremo Majestatis jure ad se pertinere. Inde intelligitur, cur ii in nostras Regiones frequentissime adventarent, ut Longobardos Principes inter se diffidentes conciliarent, ac pro lubito de ipsorum Principatu statuerent. Inde factum, ut in adventu Conradi in Italiam anno 1038., & Henrici III. anno 1054. ab his Principibus Monasterium prædictarum donationum nedum confirmationem, sed & novam concessionem obtinere curavit. Novam autem concessionem Monasterio fuisse factam ostendit Conradi privilegium, sic enim ibi: *Per hanc præceptalem auctoritatem concedimus, donamus, atque largimur, insuper confirmamus, atque corroboramus*. Formula haud absimilis occurrit in privilegio Henrici, sic enim ibi Imperator: *Per hanc præceptalem auctoritatem concedimus, donamus, insuper confirmamus*. His ita præstitutis, aperte liquet, a prima origine sua Monasterium bonis Princi-

ci-

cipatus dotatum fuisse: id ipsum vero ex præscripto Canonum Regii patronatus fundamentum est.

Prædicta quidem ratio dubitari non patitur jus patronatus in controversum Monasterium ad Principem pertinere. In re tamen, de qua agitur, clarior occurrit patronatus significatio. Conradus enim, & Henricus, ne quis relinqueretur dubitandi locus, quisque concessione sua, in Monasterium Regia liberalitate dotatum jus patronatus sibi reservarunt. Nimirum ita edicunt in Diplomate Principes: *Volumus etiam atque statuimus, ut deinceps sit sub nostro regimine, & nulli nisi nobis respondeat*. Ea vero formula non tantum jus patronatus Principibus reservatum fuit, sed Tremitanum Monasterium ad qualitatem Imperialem pervenit. Id ex veteri politia eo pertinebat, ut Monasterium, & sub Imperatoris regimine foret, & ab ejus numine prorsus penderet. Inde factum, ut posterius Nortmanni Principes, quos vellent, renunciarent Abbates, eosque pro lubitu gradu suo dejicerent. Indidem factum, ut in Andegavenses translato rerum arbitrio, Regio Diplomate suo Carolus II. Andegavensis milites per Monasterium ali jusserit, & ad defendendam Tremitanam insulam ab eodem munimenta fieri.

Ex dictis hactenus Curiæ visum, Regium in Tremitanum Monasterium patronatum in dubium revocari non posse, ac redintegrationem a Fisco petitam ei denegandam non esse.

Quod ad Abbatiam S. Mariæ de Calena, a Promotore Fiscali exhibitum fuit exemplum Diplomatis Riccardi Principis Capuæ, expediti anno 1059. in Urbe Melphi. Inde liquet, per id temporis sub auspiciis Nicolai II. habitum fuisse Concilium Melphitanum, ibique plura proposita, quæ ad æternam salutem proficerent, præsente Riccardo Principe: ea occasione excitatum fuisse Riccardum, ut aliquid cœptaret, & Deo gratum, & saluti suæ profuturum. Ita, Romano Pontifice in Consilium adhibito, Abbate Casinensi Desiderio, qui Concilio intererat, ad se vocato, eum investivit Abbatia S. Mariæ in Calena in finibus Apuliæ posita inter Montem Garganum, & mare Adriaticum, secus Castrum

ſtrum cognomento *Veſtim*. In prædictæ autem inveſtituræ Diplomate ita edicit: *Præfati Caſinenſis Cœnobii S. Benedicti ditioni ſubjicimus prædictam Abbatiam S. Mariæ cum integris omnibus Caſtellis, Villis, vicis, cellis, domibus, territoriis, prædiis, ſylvis, arbuſtis, vineis, olivetis, pratis, aquis, molendinis, piſcariis, aliiſque omnibus rebus mobilibus, & immobilibus ad præſens quocumque modo præfatæ Abbatiæ pertinentibus.*

Præfulgebat Abbatia iſthæc multorum Caſtrorum, Vicorumque dominio cum pertinentiis ſuis, multarum Eccleſiarum numero, earumque reditibus. Ad eam pertinebant quoque poſſeſſiones non paucæ, prædia, jura. In eorum cenſum referri debet & decima piſcationis Lacus Varani, quam hodiedum Abbatia poſſidet. Sed ea de re plura deſino, nam ingens illa bonorum copia ad Abbatiam pertinentium extat in confirmationis privilegio per Guilelmum II. expedito anno 1179.: Ea autem Guilelmi confirmatio alterius confirmationis adprobandæ cauſa conceſſa fuit, quam prædictæ Abbatiæ indulſerat Rex Rogerius ejuſdem Guilelmi avus non multo poſtquam ex conceſſione Riccardi Principis prædicta Abbatia Monaſterio Caſinenſi fuerat addicta, ut evincunt acta *fol.* 71.

His ita præſtitutis in dubium revocari nequit, ad Regem utriuſque Siciliæ in Abbatiam pertinere hodie eadem jura, quæ ad Riccardum Principem pertinuerunt olim. Inficias autem nemo iverit, ad Riccardum Principem jus patronatus in eam pertinuiſſe. Is ſcilicet de prædicta Abbatia pro arbitrio ſuo ſtatuit, tamquam de re ad ſe pertinente, idque coram Pontifice, ejuſque conſilio adhibito. Si alia argumenta deeſſent, libera iſthæc diſpoſitio evinceret, patronatum in controverſam Abbatiam exploratiſſimum fuiſſe habitum. Id ipſum tamen apertius liquet ex natura bonorum, unde ea dotata fuerat. Caſtra enim, Vici, & jura Majeſtatis ei conceſſa a ſolis Principibus donari potuerunt.

Liquet ex actis quidem, prædictam Abbatiam anno 1445. juſſu Eugenii IV. a Monaſterio Caſinenſi, ad quod per plura ſæcula pertinuerat ſecundum conceſſionem Riccardi Prin-

cipis, fuisse divulsam, & concessam Monasterio S. Mariæ Tremitanæ, suppressa dignitate Abbatiali, & Benedictino Ordine. Id tamen cœptatum a Pontifice fuit neque jubente, neque assentiente Patrono Principe. Igitur divulsio isthæc facta per potestatis abusum, ac nulla ratione Principis Patroni habita, imminuere non potuit Regia patronatus jura. Ea vero in hodiernum Regem Neapolitanum migrarunt.

Hactenus allatis pro Principis patronatu cum in Monasterium Tremitanum, tum in Abbatiam de Calena, accedit, Abbatem in judicium rite vocatum, adversus Fisci petitionem, ac patronatus redintegrationem nil allegasse. Quin Promotor Fisci inter alia documenta produxit libellos anno 1611. per Generalem Canonicorum Regularium, & S. Mariæ Tremitanæ Abbatem porrectos Regi Philippo II. In iis vero prædicti Antistites ingenue confitentur, *multos Imperatores, Reges, ac Principes tanta veneratione prædictum Monasterium prosequutos, ut illud ditarint terris, castris, prædiis, eique plurima privilegia concesserint*. Per ipsam igitur adversæ partis confessionem de factis liquet, unde secundum præscripta legum patronatus promanat. Proinde, his, aliisque perpensis, Curia Ill. & Rev. Domini Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Monasterium S. Mariæ Tremitanæ Insulæ, & Abbatiam S. Mariæ de Calena, fuisse, & esse Regii juris patronatus; proinde in utriusque possessionem Regiam Coronam redintegrandam esse, quo jure, quaque conditione fuerunt a fundationis initio, cum omnibus ipsorum bonis, feudis, jurisdictionibus, pertinentiis, & integro suo primævo statu, ac juribus generatim omnibus, quæ Principi Patrono competunt. Ad hunc autem effectum prædictum Monasterium, & Abbatiam referenda censet inter alias Ecclesias, Abbatias, & Monasteria Regii juris patronatus, ne quando in posterum ea de re controversia instituatur.*

In

In causa Regii patronatus in Ecclesiam Cathedralem Scylacienſem, Die 14. Novembris 1780.

PAulus Caſſadonte Cathedralis Scylacienſis Canonicus Regi denunciavit, Scylacii Epiſcopalem Eccleſiam Regii patronatus eſſe, idque aperte liquere ex vetuſtis monumentis, quæ in prædictæ Eccleſiæ Archivio aſſervabantur. Iis conquiſitis, atque ad Curiam Ill. & Rev. Domini Capellani Majoris tranſmiſſis, idem Canonicus petiit, ut de Regio patronatu in judicio decerneretur; inſpecta vero productorum monumentorum certitudine, Regia Corona in eum redintegraretur, *via exequutiva*, quam vocant. His initiis Regiis litteris cautum, ut prædicta Curia auditis, quos oporteret, controverſiæ fata componeret, prout leges, & in Regno recepti mores expoſcerent. Ita inſtituta actio nunciata fuit hodierno Epiſcopo Scylacienſi; citationibus etiam per edictum judicio adeſſe ſunt juſſi generatim omnes, quorum controverſia intereſſe poſſet. Incuſatis autem contumaciis, Coronæ Patronus petiit libello ſuo per Curiam declarari Scylacienſem Epiſcopalem Eccleſiam a Rogerio Comite Calabriæ, & Siciliæ, dotatam, fuiſſe, & eſſe de Regio patronatu; eam igitur ad jura Majeſtatis redire oportere, cum omnibus bonis ſuis, feudis, juribus, ejuſque pertinentiis, cum jure quoque nominandi Epiſcopi, quaqua de cauſa in poſterum ea Sedes vacaret. Judicio ita ordinato, ad eam actionem expediendam ad productorum monumentorum examen Curia rite proceſſit.

Fundatio, & dotatio Eccleſiæ jus patronatus præſeferunt, etiamſi non reſervatum; reſervatum vero intelligitur, cum Princeps fundator in ipſa Eccleſiæ fundatione ejus Epiſcopum delegerit.

Ex veteribus monumentis liquet, anno 1096. Rogerium Calabriæ & Siciliæ Comitem ſuo Diplomate declaraſſe, poſt extructas diverſas Eccleſias Epiſcopales, quibus inſerviebant Canonici ad divinarum laudum miniſterium addicti, ſe ſummo dolore fuiſſe affectum ob ruinas, & infelicem Eccleſiæ Scylacienſis ſtatum. Namque in tam nobili Civitate, quam tot Chriſtiani incolerent, & in quam tot Nortmanni confluxerant, nondum extructa foret Latina Epiſcopalis Eccleſia. Suam igitur veluti incuriam emendaturus, ob quam Scy-

 lacii

lacii Ecclesia *sic muta erat*, *sic inutilis erat*, *sic sine patre*, *sine consilio*, & *opibus*, *sic a laudibus divinis tacita*, plurium Episcoporum consilio, & consensu adhibito, prædictæ Ecclesiæ Episcopum destinavit Joannem Nicephorum Mileti Decanum, Ecclesia dotata, *quot*, & *quantis sibi placuit beneficiis*, ac in fundationis tabulis præstitutis Ecclesiæ Scylaciensis limitibus. Hinc in prædicto Diplomate primo declaravit loca, quæ ad Diœcesim Scylacii pertinerent, atque ab ea pendere jussit Scylacium ipsum, Tabernam, Stilum, Antistilum, S. Catharinam, Badolatum, Satrianum, Castrum Cuculum, Castrum Mainardum, Lumatæ dimidium, Catanzarium, ejusque Collem, Saliam, Barbatum, ac Tiriolum. Descripsit inde Abbatias, & Ecclesias, quas eidem Episcopali Ecclesiæ univerat, nimirum Abbatias S. Mariæ de Roccella, S. Juliani, S. Senatoris, S. Gregorii, S. Basilii, S. Nicolai Meliotæ, S. Lucæ, S. Petri, S. Mariæ de Butadio, S. Helenæ, S. Martiæ, S. Marinæ; Ecclesias vero S. Fantini, S. Nicolai de Potamo, S. Constantinæ, S. Anastasiæ, cum suis divisionibus, & vineis, S. Nicolai ad Balneum, ac S. Matthæi cum Villanis, & locis cultis in territorio S. Eliæ, Abbatiam S. Joannis Stilensis, Abbatiam S. Leontini, Ecclesiam S. Nicolai de Lato, cum S. Maria, & S. Nicolao de Travocatis.

Ea enumeratione præposita, descripsit bona, quæ prædictæ Ecclesiæ donaverat, ejusque dotis constituendæ causa rursus donare volebat. Primo igitur ei donavit Castrum Alare cum pertinentiis suis, idque hodie & in Scylaciensis Ecclesiæ bonis est, & potissimam partem dotis ejusdem constituit; facultatem recipiendi, & habendi in territorio Ecclesiæ villanos exteros; decimam rerum omnium, quæ pervenirent ab animalibus, frugibus, auro, & argento omnium Civitatum, & Castrorum, quorum supra mentio fuit injecta; facultatem construendorum pistrinorum in quocumque Ecclesiæ prædio; numerum villanorum ingentem, cum ipsorum filiis, qui fuerunt nominatim descripti. Tandem Episcopo, ejusque successoribus eadem privilegia concessit, quæ Mi-

Milesio, & Messinensi Episcopo liberalitate sua concessa fuerant, facultatem scilicet jurisdictionis exercendæ juxta Canonum, ac Patrum scita inter Clericos Latinos, & Græcos, qui in ejus Diœcesis territorio forent. Anno etiam 1098. alio Diplomate suo rursus prædicto Episcopo confirmavit Castri Alaris concessionem, ejusque amplum territorium speciatim descripsit.

Constat etiam, Rogerium Regem Comitis Rogerii filium Diplomate suo anno 1110. donasse eidem sedi Ecclesiam S. Mariæ de Roccella cum omnibus pertinentiis suis, in quibus erat Bonosinemus, cum multis prædiis, juxta limites descriptos in Rogeriano Diplomate, & juxta concessionem, quæ de eodem nemore facta fuerat memoratæ Ecclesiæ S. Mariæ de Roccella a patre suo Comite Rogerio ab ipso anno 1094. Anno autem 1145. idem Rex Rogerius confirmavit Sicaltio Episcopo Scylacensi tam dotationem suæ Ecclesiæ factam a Comite patre suo anno 1096., quam dotem a se constitutam anno 1110.

Exploratum est quoque, Regem Guilelmum eidem Cathedrali dedisse Baldumi feudum, pistrinum, aliaque prædia: Reginam vero Constantiam Regis Rogerii filiam Diplomate suo anno 1196. confirmasse dotationem Ecclesiæ Scylacii a Comite Rogerio ejus avo, & a Rege Guilelmo patruo factam, & Scylacensem Episcoporum jurisdictionem ampliasse.

Denique rerum præteritarum memoriæ passim ostendunt, in controversiis prædictæ Cathedralis, quæ subortæ fuerunt ob Castrum Alare, aut ingens territorium S. Mariæ de Roccella, aut alia bona veteris suæ dotationis, Episcopos se defendisse prolato titulo dictarum antiquarum concessionum, earum vero vigore a Regiis Magistratibus Episcopis fuisse servatam prædictorum bonorum possessionem.

Jam vero, quæ ex memoratis monumentis liquent, dubitare non sinunt de Neapolitanorum Principum patronatu in Scylacensem Ecclesiam. Primo enim exploratissima est fundatio, ac dotatio veterum Neapolitanorum Principum bonis ipsius Principatus facta. Deinde constat, dotem olim Ec-

Ecclesiæ Scylacienſi collatam eam ipſam eſſe, qua hodie Scylacienſes Epiſcopi ſe ſuſtentant. Tralatitium vero eſt inter Doctores, dotationem, & fundationem Ecclesiæ jus patronatus deferre. Id aperte jus civile cavet in *L. Si quis C. de ſacroſ. Eccleſ.*, in *Nov.* 77. *cap.* 2. in *Nov.* 123. *cap.* 18.: Cum jure civili in ea re convenit jus Canonicum in *Can.* 31. *cauſ.* 16. *qu.* 1. cum concordantibus, idque confirmatum plurium Conciliorum ſcitis, ac præſertim in Tridentina Synodo *ſeſſ.* 14. *de Reformat. cap.* 12.

Sed in præſenti articulo argumentis haud opus, res enim ipſa demonſtrat, cujuſmodi jus fundatio fundatori dederit. Comes enim Rogerius in ipſo fundationis articulo Epiſcopum elegit Ecclesiæ præfuturum, ac jus ei præſtituit in ſua Eccleſia exercendum. Neque excipi hic poteſt, quaſi Rogerius patronatum ſibi non reſervarit. Primo enim ad patronatus acquiſitionem reſervatio neceſſaria videri non debet ex *Cap. Nobis* 25. *de jure patronat.* Deinde reipſa Rogerius in Scylacienſem Eccleſiam patronatum ſibi reſervavit; in ipſo enim fundationis actu Epiſcopum delegit, qui ei præeſſet. Patronatus igitur jure quam optimo exercitus per Neapolitanos Principes, Regiæ Coronæ reſtitui debet. Hinc Curia, cum voto Domini Regii Conſiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Conſultoris ejuſdem, ita definivit: *Scylacii Eccleſiam fundatam dotatam per Rogerium Calabriæ, & Siciliæ Comitem, ac per ſucceſſores Neapolitanos Reges opibus auctam, fuiſſe, & eſſe de Regio patronatu; proinde prædictam Eccleſiam, cum omnibus ſuis bonis, feudis, juribus, juriſdictionibus, prærogativis, pertinentiis, ac nominatione Epiſcopi in vacationibus quibuſcumque, ad jura Regiæ Coronæ redire oportere; ipſam vero Eccleſiam in libros Curiæ referendam inter alias Eccleſias, in quas jus patronatus Principi competit.*

In

In causa Regii patronatus in Ecclesiam Episcopalem Melphiensem. Die 14. *Novembris* 1780.

Sola dotatione jus patronatus acquiritur.

Promotor Fiscalis Regiæ Coronæ petiit libello suo in Curia Ill: & Rev. Capellani Majoris, ut Melphitana Episcopalis Ecclesia, utpote a Neapolitanis Principibus opulenter dotata, ad Regium patronatum pertinere declararetur, cum omnibus bonis, & pertinentiis suis. Quæ autem monumentis a se exhibitis certitudo inerat, id quoque petiit, ut in prædictum patronatum Regia Corona redintegraretur *via exequutiva*, quam vocant. Ita Curia præcepit, ut ejus petitionis certior fieret Ferdinandus de Vicariis Melphitanus Episcopus, per edictum quoque citarentur omnes, quorum fortasse lis interesset. His ita transactis, a prædicto Promotore Fiscali petitum, ut in judicio rite decerneretur de quibusdam veteribus monumentis, quæ in prædicta Cathedrali Ecclesia prostabant, quæque ad firmandum Regium patronatum produci possent. Hinc ejusdem Curiæ jussu ad prædictorum monumentorum recognitionem processum. Ita instructo processu documentis exhibitis, atque veterum monumentorum agnitione, ab eodem Promotore Fiscali in judicio postulatum, ut de lite pronunciaretur. Interea temporis tamen Melphitanus Episcopus fato cessit. Proinde ne quid vitii objiceretur sententiæ per Curiam proferendæ, Curia rursus per edictum citationes expediri jussit, ut se judicio sisterent si qui alii controversiam sua interesse crederent. Incusatis igitur contumaciis, Curia propositæ actionis examen instituit.

Primum omnium ex documentis exhibitis liquet, Ducem Rogerium Ducis Roberti filium, *intervenientibus Comitibus, atque Magnatibus suis, necnon Archiepiscopo Sipontino, & Episcopo Trojano*, Ecclesiæ S. Mariæ Melphiensi dotem constituisse. Is sane apertis verbis declaravit, dotem ei se constituere, pro certo habens, se rem facere Deo gratissimam, *si venerabilibus locis, eorumque Ministris, & Custodibus necessaria adhiberet, & præstaret alimenta*. Dotis autem constituendæ causa, Ecclesiæ Mel-

Melphiensi concessit *Castrum Salsulæ cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, & territoriis, cum omnibus rusticis, qui modo ibi sunt, vel futuri sunt, sic ut non sint tributarii Ducis: item omnes Judæos, & Monasterium S. Joannis de Iliceto de Balneo.* Eidem Ecclesiæ confirmavit bona generatim omnia, quæ aut a se, aut a patre suo Roberto S. Mariæ Melphiensi concessa forent.

Præterea constat, anno 1097. eumdem Ducem Rogerium alio suo Diplomate eidem Ecclesiæ Melphiensi concessisse Ecclesiam S. Michaelis Archangeli, & Vicum Gaudianum, *cum omnibus vassallis, & juribus, & pertinentiis suis.* Ex rebus autem ita concessis ullas publicas functiones præstari vetuit.

Constat quoque, anno 1102. Pontificem Paschalem II. Bulla sua Guilelmo Episcopo Melphiensi directa testari de prædicta donatione a Duce Rogerio prædictæ Cathedrali facta; ea enim in Bulla Ecclesiæ Melphiensis primo subjecit Oppidum Lavellanum: mox ita addidit: *Præterea Villam Salsulæ, Gaudianum, possessiones S. Joannis de Iliceto, ita semper in possessione propria Melphiensis Ecclesiæ permanere censemus, sicut a filio nostro Duce Rogerio suis temporibus traditæ, & chyrographo confirmatæ sunt, hoc ipsum Judæorum censu, Balneorum reditu, villanorum vectigalibus, molendinis, vineis, agris, ceterisque rebus, quas intra vel extra Civitatem Melphiæ idem Dux Ecclesiæ vestræ contulit.*

Exploratum est etiam, anno 1296. Regem Carolum II. Andegavensem Cathedrali Melphiensi confirmasse Vicum Gaudianum, & Castrum Salsulæ, secundum Diplomata Ducis Rogerii, quæ in privilegio Caroli II. de verbo ad verbum fuerunt inserta. Anno autem 1324. Rex Robertus Diplomata isthæc observantiam suam habere jussit. Eorum enim exequendorum causa diserte cavit, ut Melphiensis Ecclesia ab omni servitio feudali prorsus immunis esset cum respectu Vici Gaudiani, tum respectu Castri Salsulæ. Præterea constat, anno 1409. Regem Ladislaum Diplomate suo ad Justitiarium Lucaniæ misso restitui jussisse Ecclesiæ Melphiensi pos-

possessionem Vici Gaudiani, quæ ab Herricono stipendiario suo occupata fuerat. Caussam restitutionis affert, quia *Gaudiani Vicus, cum turri, juribus, & pertinentiis suis omnibus, fuit & est dos præcipua, & patrimonium proprium ipsius Melphiensis Ecclesiæ, & de cujus fructibus, reditibus, & proventibus consueverunt dictæ Ecclesiæ Præsides sustentari*.

Denique ex recognitionibus Curiæ jussu susceptis ab Officiali Provincialis Audientiæ liquet, ex scripturis Archivii Ecclesiæ Melphiensis decimam redituum Bayulationis Civitatis Melphii. Indidem quoque constat, regificam Turrim Campanariam ejusdem Ecclesiæ anno 1153. extructam fuisse Regis Rogerii sumptibus, ejusque rei fidem facit vetus inscriptio, quæ in prædicta Turri adhuc extat. Testes quoque rite rogati fidem fecerunt, Melphienses Episcopos ex reditibus Salsulæ, & Gaudiani, atque aliis veteris dotationis corporibus, hodiedum percipere quolibet anno summam sat ingentem ducatorum quindecim mille.

Superioribus monumentis accurate perpensis, Curiæ visum, de Promotoris Fiscalis actione dubitari non oportere. Ejus intentionem plene confirmant cum dos ingens, quæ Neapolitanorum Principum largitate ad Ecclesiam Melphiensem pervenit, tum vetera monumenta, quæ omnem suppositionis suspicionem arcent. Constat quoque, prædictam dotem bonis Principatus fuisse constitutam, atque ea hodie Melphienses Episcopos dignitatem tueri suam. Exploratum est autem, sola dotatione jus patronatus acquiri. Id & aperte Justinianus edixit in *Novell.* 57. *cap.* 7. in *Novell.* 123. *cap.* 18., & ipsi Romani Pontifices in Decretalibus confirmarunt. Eam vetustissimam Ecclesiæ disciplinam inculcant & probant ipsi Tridentini Patres *Sess.* 14. *de Reform. cap.* 12. Certum igitur videri debet, Neapolitano Regi, ejusque in Regno successoribus optimo jure Regium patronatum competere in Melphiensem Ecclesiam. Proinde Curia, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ejusdem, ita de controversia pronunciandum censuit: *Episcopalem Ecclesiam Melphiensem a Neapolitanis Principibus opulenter do-*

tatam, fuisse & esse de Regio patronatu; ac preinde prædictam Ecclesiam cum bonis suis omnibus, feudis, juribus, privilegiis, jurisdictionibus, prærogativis, ac pertinentiis, ejusque patronatu ad Regiam Coronam redire oportere, cum jure nominandi Episcopum, quacumque de causa Melphiensis Episcopatus vacaverit, & cum reliquis juribus, quæ Principi patrono competunt; ea vero de causa prædictam Ecclesiam referendam esse in libros Curiæ, atque inter alias Ecclesias, in quas jus patronatus Principi competit.

In causa Regii patronatus in Monasterium Divi Laurentii Civitatis Aversæ. Die 12. *Decembris* 1780.

Fundatione, ac dotatione jus patronatus acquiritur. Regii juris patronatus proprium est, ut Abbatis electio a Principe confirmetur saltem.

IN Regali Camera S. Claræ contendebat Thomas Morellius adversus Cœnobium Divi Laurentii Aversani, locationem quorumdam prædiorum, cum eo a se initam, perpetuam factam videri ob novissimas Regni leges. Eam ob rem disceptatum inter litigantes fuit, utrum prædictum Cœnobium Regiæ fundationis esset, atque ad patronatum Principis pertineret. Ejus enim disceptationis definitio institutæ de locatione controversiæ præjudicium facere videbatur. Proinde ejusdem Regalis Cameræ consultatione prævia, Regi optimo visum Regiis suis litteris die 14. Novembris ann. 1778., ut Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, audito eodem Morellio, aliisque, quos expediret, de Regio patronatu pronunciaret, quod in prædictum Divi Laurentii Cœnobium Principi fortasse competeret.

Judicio igitur adesse jussis Thoma Morellio, ac Monasterio Divi Laurentii, adfuit quoque Promotor Fiscalis Regalis Coronæ. Is vero, ad probationem Regii patronatus pluribus monumentis exhibitis, petiit libello suo, ut in tanta eorum certitudine, & perspicuitate, Regius in prædictum Monasterium patronatus declararetur *via exequutiva*, quam vocant. Denique Regiæ quoque Coronæ Advocatus petiit libello suo, *per Curiam Rev. Capellani Majoris exequutive declarari, Monasterium S. Laurentii de Aversa Ordinis Casinensis fuisse, & esse*

& esse Regii juris patronatus, ac proinde redintegrari juribus Majestatis, cum omnibus bonis, feudis, jurisdictionibus, & pertinentiis suis, & cum omnibus, singulis, & quibuscumque aliis juribus quomodocumque, & qualitercumque ad Principem Patronum spectantibus, & describi inter Ecclesias, & Monasteria Regii juris patronatus.

Productis autem monumentis inspectis, Curia comperit, quod ad controversi Monasterii fundationem, ipsum Imperatorem Fridericum II. professum esse, illud a Principibus decessoribus suis extructum fuisse. Id aperte suadent, quæ in ejus Diplomate occurrunt anni 1223.; sic enim ibi Fridericus: *Nos igitur attendentes, quod prædictum Monasterium felicium Principum, atque Regum prædecessorum structura extitit specialis, & ab eis longe lateque ditatum pariter, & dotatum &c.* Cum Friderico convenit Mabillonius. Is enim prædicti Monasterii fundationem asserit Riccardo I. genere Nortmanno Aversæ Comiti, qui ad Capuæ Principatum pervenit. Id ipsum vel inde liquet, quod idem Riccardus anno 1055., eo Monasterio jam constructo, ejusque regimen obtinente Abbate Gualterio, ei donavit Ecclesiam, ac Monasterium S. Michaelis Archangeli in Territorio Neapolitano positum, cum obedientiis, ac cellis suis, aliisque pertinentiis, vicis scilicet, prædiis cultis, & incultis, pascuis, oliveris, castanetis, sylvis, villanis, aliisque reditibus.

Hactenus quidem exposita Regiam extructionem prædicti Monasterii sat videntur evincere. Verum Regiæ dotationis fidem certiorem faciunt per Promotorem Fiscalem monumenta producta. Inde enim constat, anno 1070. Jordanum Capuæ Principem, Riccardo prognatum, Monasterio, sub Abbate Rainaldo, concessisse startiam *de Ceraso* dictitari solitam, atque hortos ad Aversæ mœnia: Abbatibus quoque concessisse in prædictos hortos concire homines, inibi eis domus extruere, ac pro eorum arbitrio Judices constituere, qui inter eos jus dicerent. Ipsi etiam Monasterio præstari jussit servitia, census, proventus, excadentias, ac jura quælibet, quæ publicarum functionum nomine a prædictis homi-

mihibus præstari oportuisset. Præterea Monasterio concessit hortum prope forum Aversæ Sabatinum, & jura quædam in Patriæ lacum; Monasterium etiam Divi Blasii prope Cœnobium Divi Laurentii, cum hominibus, & pertinentiis suis. Alio autem Diplomate in prædicti Monasterii favorem extendit jura, quæ ei donata fuerant, quod ad piscationem in Patriæ lacum; & ad lites præcavendas, ea distinxit a juribus concessis Aversano Episcopo, cui quoque ejus rei concessio facta fuerat. Denique alio Diplomate mense Martii ann. 1082. eidem Monasterio concessit prædia quatuor late patentia, eorumque fines accurate descripsit.

Præterea constat, eodem anno 1082. dictum Jordanum Principem, ejusque filium Principem Riccardum Monasterio Divi Laurentii Aversano aliud concessisse Monasterium Capuæ positum, celebre illud quidem, ac ejusdem Divi Laurentii titulo præfulgens, cum omnibus bonis, & pertinentiis suis, ac juribus, quæ concessionis tempore ei competebant. Id Monasterium Capuæ fuerat ædificatum præcedenti sæculo per Aloaram Principem, ejusque filium Landenulfum Monachorum gratia, qui Capuam petierunt postquam Monasterium Divi Vincentii ad Vulturnum destructum fuerat. Archiepiscopus autem Adenulfus Diplomate suo ad prædictos Principes ejusmodi concessionem fecerat, *ut Ecclesia, quam tu Domina Aloara Serenissima Principissa, & prædictus Dominus Landenulfus magn. Princeps filius tuus vocabulo S. Laurentii Levitæ & Martyris, intus istam Capuanam Civitatem a novo fundamento constituistis pro redemptione animarum vestrarum, & Domini Pandolfi Principis . . . . in qua etiam Cœnobium servorum Dei prævordinastis, sit absolute libera amodo, & deinceps ab omni conditione Archiepiscopalis dominationis cum omnibus rebus, & pertinentiis suis*. At vero præter prædictum Monasterium, prædicti Principes Jordanus, & Riccardus memorato Diplomate Monasterio Divi Laurentii Aversano itidem concesserunt Ecclesiam S. Reparatæ, & Divi Blasii cum pertinentiis suis; Ecclesiam S. Andreæ apud Golinum, aliam S. Andreæ Ecclesiam apud Sinuessam, cum bonis, quæ ad eas pertinebant,

Mo-

Monasterium S. Crucis in Territorio Calatino, vicum Martiani frigidi, Ecclesiam S. Martini Magdalunensis, Ecclesiam S. Mariæ de Juliano, Ecclesiam S. Mariæ de Spelunca, Ecclesiam S. Salvatoris de Vallo, Ecclesiam S. Mariæ de Domicella, ac S. Angeli de Lauro cum pertinentiis suis, Nucerii decimam ex annona, vino, fructibus, animalibus percipi solitam, Villam Casollæ, Ecclesiam S. Mariæ antea ei concessam ab eodem Jordano Principe, Monasterium S. Vincentii, pistrina duo apud Pontemsilicem, aliaque bona non pauca.

Insuper ex prædictis monumentis liquet, anno 1097. memoratum Riccardum II. Jordani filium alio Diplomate suo confirmasse Monasterio Divi Laurentii Aversano omnes prædictas concessiones; veteribus etiam donationibus addidisse prædiorum, aliorumque bonorum concessiones: anno autem 1109. Robertum Capuæ Principem prædicti Riccardi fratris sui successorem, & memoratas concessiones denuo confirmasse, ac novas etiam de suo donationes fecisse.

Constat quoque, anno 1172. Regem Guilelmum non solum concessisse, confirmasse bona omnia memoratis concessionibus comprehensa, Monasterio Divi Laurentii Aversano donata; verum etiam in concessione sua complexum esse plura alia, & bona, & jura, quæ magnum Monasterio commodum allatura erant. In sua vero concessione speciatim expressit, *Casale Nulliti: Villanos, & Terram de Centora: Startiam, & Villanos, qui dicuntur li Zaccarelli, qui sunt in Frignano majore: Villanos de Frignano piccolo, & homines de Ficara cum tenimentis eorum: Terras etiam, & Villanos, qui sunt in Villa Piponis cum decimatione totius feudi, tam de terris cultis, & incultis, quam de nemore, & fusario: unum molendinum, quod est ad Calaprichitum: duo molendina, quorum unus vocatur sculona laccu, & aliud sibi contiguum in loco ubi dicitur Trifiscum: in Sylva, quæ vocatur Guarana pro domibus reparandis, & pro utilitate foci ligna accipere: decimam Casalis Novi: Casale S. Petri in Balneo: Casale S. Mariæ de Ulivola, cum omnibus hominibus, trappetis, molendinis, olivetis, vineis, & Ecclesiis sibi sub-*

ſubditis. Caſale Baleſiniani, & Caſale de Lamacupa cum eorum pertinentiis: Abbatiam S. Mariæ de Curonoſejo cum Eccleſiis ſibi ſubditis in Valle Seniſii, videlicet S. Scolaſtica, S. Maria, S. Bartholomæo, & Eccleſiis aliis, cum eorum pertinentiis: Eccleſiam S. Joannis de Troja, quæ eſt ſita in Monte Capitonis, & ipſum Montem ſecundum fines in eo ipſo privilegio memoratos. Eadem in Guilelmi charta eidem Monaſterio mox donantur aliæ Eccleſiæ ferme ſeptuaginta in variis Regni partibus, cum earum bonis, territoriis, vicis, hominibus, olivetis, ſylvis, & pertinentiis quibuſcumque. In eodem privilegio id quoque additur: *ut Monachi, & univerſi Monaſterii homines ubicumque fuerint, libere poſſint emere, & vendere quæcumque voluerint, & nullum jus, dationem, ſeu platheaticum ſolvant.*

Conſtat denique, anno 1223. Fridericum II. Imperatorem confirmaſſe, renovaſſe controverſo Monaſterio ingentem aliam donationem per Ducem Rogerium Roberti filium ei factam: generatim etiam ratas haberi juſſiſſe donationes in Averſanum Monaſterium per prædeceſſores ſuos collatas. Ipſe autem ſe id facere declaravit, ut ſuperius dictum eſt, *quod prædictum Monaſterium felicium Principum, atque Regum prædeceſſorum noſtrorum ſtructura extitit ſpecialis, & ab eis longe lateque ditatum pariter, & dotatum.*

His ita præſtitutis, nemo inficias iverit, Monaſterii Divi Laurentii Averſani indubia extare monumenta cum fundationis, tum dotationis factæ per Principes, qui jure ſummi Imperii in Regnum Neapolitanum ſunt uſi. Proinde Curiæ viſum, hodierno Regi Neapolitano, ejuſque in Regno ſucceſſoribus, in prædictum Monaſterium jus patronatus denegari non oportere. Nimirum vulgata juris eſt regula, per fundationem, ac dotationem jus patronatus acquiri. Id non ſemel edicitur cum in jure civili *L. Si quis C. de Sacroſ. Eccleſ.*, *Novell.* 57. *cap.* 2., *Novell.* 123. *cap.* 18., cum in Pontificio *Can.* 51. *cauſ.* 16. *qu.* 1., *Can. Nemo, de conſecr. diſt.* 1., *Can. Rationis, cauſ.* 16. *qu.* 7. Id ipſum aperte definitum in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 12. *de Reformat.* Exploratum etiam in jure eſt, ob ſolam fundationem jus patronatus compe-

petere, licet id juris in fundatione sibi fundator non reservarit, *cap. 25. de jure patron.* Id advertit ipsa Glossa ad *Can. 9. distinct. 1. de consecrat.* Nemo igitur addubitarit, Regiam Coronam in controversi Monasterii patronatum redintegrari oportere, cum omnibus juribus, quæ ex patronatu pendent. Id eo magis decerni debet, quia Monasterium nullam adversus prædictam redintegrationem contradictionem instituit, quin ei potius assentitur ingenue fatendo suam existentiam Neapolitanorum Principum munificentiæ acceptam referendam esse.

Quod autem ad Abbatis electionem, constat anno 1515. Regem Ferdinandum Catholicum assensu suo Regio passum, ut Monasterium Divi Laurentii Aversanum uniretur cum Congregatione Casinensi, quæ Divæ Justinæ appellitatur. Ea autem Congregatio inter institutionis leges id singulare habet, ut Abbates a singulis Monasteriis non eligantur, sed ab omnibus Monasteriorum Abbatibus in unum convenientibus, cum ordinis generali Præside. Ejusmodi institutum, & quietem Monasteriorum fovit, & regularis observantiæ disciplinam juvit. Ex actis autem constat, Patres Divi Laurentii Aversani præsentem observantiam Principi exposuisse, eumque per libellos rogasse, ne ob Regii patronatus redintegrationem solitus Abbatum eligendorum ritus immutaretur. Apparet etiam, Regem pientissimum Regiis suis litteris ad Curiam Capellani Majoris missis cavisse, ut in controversiæ decisione ratio haberetur rerum, quas prædicti Patres Regi exposuerant, earumque usus fieret, quem oporteret. Hinc Curiæ visum, in eo rerum habitu circa Abbatis electionem nihil innovandum: ne quid præjudicii tamen Regia jura patiantur, Abbates in posterum Regio Numine confirmandos, neque munus suum cœptare posse, nisi confirmationem electionis a Principe obtinuerint. Hinc Curia, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza, ejusdem ordinarii Consultoris, ita pronunciavit: *Monasterium Divi Laurentii Aversanum Benedictini Ordinis fundatum, atque opulenter dotatum a Neapolitanis Principibus fuisse, & esse de Regio patro-*

tronatu. Proinde Regalis Corona redintegretur tam in patronatum prædicti Monasterii, quam Granciarum, feudorum, vicorum, Ecclesiarum, bonorum, jurium ad idem pertinentium, secundum ejus primævam naturam, & integrum statum, cum facultate confirmandorum Abbatum in singulis electionibus, itaut eorum electio firmitatem non habeat, nisi per Principem confirmetur; atque in alia jura, quæ Principi Patrono competunt. Ne quando autem jura Regia imminutionem patiantur, Monasterium prædictum referatur in libros Curiæ inter alias Ecclesias, & Monasteria Regii patronatus.

In causa Regii Fisci pro declaratione Regii patronatus super Monasterium S. Mariæ Insulæ Tremitanæ, & Abbatiam S. Mariæ in Calena. Die 15. Januarii 1781.

Cum nulla fundationis, dotationisque memoria supersit, a Principibus, in quorum territorio sunt, Ecclesiæ fundatæ præsumuntur; atque hinc Regio patronatui subjectæ.

Ex Regio jure patronatus illud consequitur, ut ad Principem spectet Abbatis, Prælatique electio.

AB sententia dicta atque pronunciata die secunda mensis Junii proxime lapsi anni 1780. per Rev. Curiam præclarissimi Capellani Majoris, ejusque laudatissimum, doctissimumque Dominum Consultorem, qua declaratum fuit, *Monasterium S. Mariæ Insulæ Tremitanæ, & Abbatiam S. Mariæ de Calena ipsi jampridem unitam, fuisse, & esse Regii juris patronatus; redintegrandam propterea Regiam Coronam esse in possessionem utriusque, quo jure, quaque conditione fuerunt a fundationis initio, cum omnibus ipsorum bonis, feudis, jurisdictionibus, pertinentiis, & integro suo primævo statu, ac juribus generatim omnibus, quæ Principi Patrono competunt, fol.* 133. & 134. *proc. cui titulus est: Atti originali ad istanza del Regio Fisco, o sia del Promotor Fiscale della Corona sulla dichiarazione del Regio padronato del Monistero di S. Maria di Tremiti, coll' annessa Badia di S. Maria in Calena*: provocavit Tremitense Monasterium, appellavitque ad Judicem designandum per clementissimum Regem nostrum, cui preces exposuit, ut Judicem appellationis judicii pro modo dicta causa ei concederet. Piissimus Rex benigne Judicem appellationis dedit, mihique munus hoc mandavit per suum Regale rescriptum diei vigesimæ secundæ mensis Julii hujusmet anni, *fol.* 141.

Fuit

Fuit igitur terminus impartitus in judicio appellationis jam expletus; ea propter ad causæ decisionem deveniendum est. At ut hoc rite recteque fieri valeat; operæ pretium esse duxi explanare statum concertationis, quæ inter Promotorem jurium Regalis Coronæ, & Tremitense Monasterium vertitur.

Rescripto Suæ Regiæ Majestatis diei decimæ nonæ mensis Novembris anni 1779. lato per primam Regalem Secretariam Status, Regiæque domus, mandatum fuit Curiæ modo dicti Rev. Capellani Majoris, ut ipsa disquireret, investigaretque de existentia Regii patronatus Monasterii Tremitensis, seu Insulæ Diomedis, audito Domino Fisci Patrono Regalis Patrimonii D. Ferdinando de Leon viro disertissimo, in hac causa per S. R. M. peculiariter designato ad tuenda jura Regiæ Coronæ; auditoque pariter Abbate supradicti Monasterii, *fol.* 1. *dict. proc.*

Deinde Promotor Regalis Coronæ, ejusque jurium Regalium exactor sollertissimus D. Sebastianus Albanus die 11. mensis Decembris ejusdem anni institit in modo dicta Rev. Curia, exposuitque, dubio procul esse Monasterium Tremitense, eique annexam, atque in antecessum unitam Abbatiam S. Mariæ in Calena esse Regii juris patronatus, utpote illud dotatum ditatumque per hujusce Regni Principes prædecessores; ea propter declarari executive Monasterium prædictum, una cum eadem Abbatia S. Mariæ in Calena, fuisse, & esse juris Regii patronatus, redintegrandaque porro esse in beneficium Regiæ Coronæ, una cum omnibus bonis, feudis, jurisdictionibus, Regaliis, Granciis, & cum omnibus pertinentiis eorumdem Monasterii, & Abbatiæ, & præcipue cum jure eligendi per S. R. M. Abbatem ipsiusmet Monasterii, quotiescumque electio prædicta fieri debeat; instititque etiam interim sequestranda esse bona omnia dictorum Monasterii, & Abbatiæ; & audiri in omnibus supra modo laudatum Dominum Regalis Patrimonii Fiscalem D. Ferdinandum de Leon, *fol.* 2. Quæ quidem instantia pro more denunciata fuit Rev. Abbati.

Dehinc idem accuratissimus Promotor jurium Regalis Co-

ronæ denuo inftitit in dicta Rev. Curia, retulitque idem Monafterium jampridem in alia caufa quamplurimas exhibuiffe fcripturas, documenta, atque Diplomata quædam, ut fefe defenderet, fuaque jura illic tueretur; at vero cum ex eifdem chartis, diplomatibufque perquam liquide jus Regii patronatus fe vifendum præbebat; ea propter ipfe Promotor Regalis Coronæ pro hac caufa ad evincendum jus Regii patronatus in præfata Rev. Curia hujus judicii repræfentavit chartas ipfas ab illis exfcriptas, cum claufula tamen *fic & in quantum pro caufa prædicta prodeffent*, *fol.* 6. Quæque jam exfiftunt a *fol.* 7. *ad* 103.

Hinc per Curiam die 28. menfis Januarii anni 1780. dicta fuit dies ordinaria, feu mavis, præfinitus terminus ordinarius, cujus in progreffu multa alia Diplomata, & hujus Regni fereniffimorum Regum præcepta, ut dicuntur, atque mandata ad idem Monafterium pertinentia exhibita fuere; neque Monafterium aliud excepit, immo altum filentium tenuit. Igitur præftituto termino expleto, jurifque ritu, atque folemnibus perfectis, abfolutifque, per Rev. Curiam, ejufque clariffimum Dominum Confultorem fententia, quam jam inde ab exordio hujus narrationis exhibui, dicta fuit.

Provocavit porro ab hac fententia Monafterium, afferuitque ab ea fe læfum; læfionis autem caufam nequaquam expofuit, neque in termino præftituto in judicio appellationis eam declaravit, immo nullum libellum exhibuit, nullamque exceptionem oppofuit, vel quoquo modo obftitit; proindeque quod juris ordo ftatuit, adimpletum expeditumque eft; fupereft modo, ut judicium meum dicam, fententiamque proferam. Ad quam porro ut ordinate progrediar, præmonendum primo effe puto, perobfcurum incertumque prorfus effe, quandonam Monafterium Tremitenfe, & a quo fundatum, erectumque fuerit, cum & ipfe accuratiffimus, doctiffimufque Mabillonius licet in *Annalibus Benedictinis* notitiam proferat omnium Monafteriorum tam virorum, quam Sanctimonialium Affeclarum hujus Inftituti, & perfæpe originem, fundatorefque illorum etiam aperiat, attamen de hoc Monafterio Tremi-

mitensi in *Tom.* 4. *modo dictorum Annalium pagina mihi* 546. perpauca quidem narrat in anno 1054., sed sic narrat, ut id Monasterium jampridem extitisse appareat.

Nec negotium facessit charta, quæ a præclarissimo Muratorio exscribitur in *Tom.* 5. non vero in *Tom.* 4. *Antiquitatum medii ævi pagina* 1038., ex qua erui videtur illud paulo ante annum 1045. fundatum, constructumque fuisse, ex eo, quod Almeradus Dragonariæ Episcopus illud in modo dicto anno consacrans, dixit Abbati, & Monachis ejusdem: *a novo fundamine erexistis*; namque ex hoc argui non licet, Monasterium illud fundatum erectumque fuisse ab ipsis Abbate, & Monachis, quibus Almeradus tunc verba faciebat; cum enim dicitur aliquid factum fuisse ab Abbate, & Monachis, minime sic presse præcisеque intelligendum est de illis Abbate, & Monachis, eo tempore præsentibus, quin ad præteritos hujusce allocutionis formula facile extendi non valeat; etenim cum dicitur quidquam factum fuisse ab hominibus gregatim copulatis, non ea propter inferri consentaneum est, illud factum fuisse ab iis, qui tunc in Collegio sunt, sed optime etiam animo comprehendi licet, id peractum fuisse per Collegium talium hominum, qui in antecessum ejusdem Collegii fuerunt, ut quotidie verba faciendo, præcipue Monachis, ipsis dicimus, per ipsos factum fuisse aliquid, quod retroacto longissimoque ævo peractum est.

Nec porro consecratio Monasterii Tremitensis, anno 1045. consignata, indicio esse potest, tunc sane temporis Monasterium fuisse constructum; namque consecrationes Ecclesiarum, Monasteriorumque sæpe numero peragi solebant post diuturnum intervallum a die earumdem erectionis, ut videre est apud Ughellium in *Italia Sacra Tom.* 8. editionis anni 1721.; quandoquidem memoriæ proditur, Ecclesiam Casinensis Monasterii non ante annum septuagesimum primum supra millesimum per Alexandrum II. Pontificem fuisse consecratam, adfuisseque etiam Campum supradictæ Dragonariæ Episcopum.

Igitur si quid in tanta temporum ignoratione conjicere li-

liceat, non multum a ſcopo aberraſſe reor, qui judicarit, Monaſterium Tremitenſe, quamquam ſub invocatione prius Sancti Jacobi Fratris Domini, in nono ſæculo vel ut maxime initio ſæculi decimi fuiſſe fundatum, atque erectum. Etenim legitur in prima charta ex iis, quæ per diligentiſſimum Promotorem jurium Regalis Coronæ in actis proditæ ſunt, proſtatque *fol.* 7. quemdam Giſonem Langobardum filium Manardi menſe Martio anni milleſimi vigeſimiquarti quamplurima bona *proprietatis ſuæ donaſſe Monaſterio S. Jacobi Apoſtoli Fratris Domini, quod ſitum eſt in Monte, qui vocatur Tremiti, & Domino Roxio Ven. Abbati, dicto fol. 7. a parte poſteriori*. Hoc porro Monaſterium S. Jacobi Fratris Domini erat collocatum in Monte ſeu Inſula Tremiti; quodque judicandum eſt, temporis proceſſu nuncupatum fuiſſe ſub invocatione S. Mariæ, cum memoriæ proditum non ſit, duo Monaſteria in Monte, qui idem eſt, ac Inſula Tremiti, extitiſſe.

Cum igitur initio undecimi ſæculi extiterit Monaſterium Tremitenſe bonis refertum, omnibuſque numeris abſolutum; par æquumque eſt credere, retroacto tempore illud fuiſſe erectum, & neceſſario levamento pro cultu Eccleſiæ, & Monachorum alimoniis fuiſſe dotatum, atque inſtructum. At quiſnam Monaſterium fundaverit, conſtruxerit, dotaveritque? paullo poſt demonſtrabitur.

Interea commonefaciendum eſt, donationes, ceteraſque diſpoſitiones, quæ in chartis in proceſſu exhibitis leguntur, factas fuiſſe per homines Langobardos, qui quidem fuere ſimplices beneficiarii, ſeu feudatarii, qui feuda tenebant a Senioribus, Proceribuſque, atque a Ducibus, Principibuſque Beneventanis; minime vero ipſos fuiſſe Dynaſtas; vivebant porro jure Langobardico; & legibus retroactorum Regum Langobardorum contractus, donationes, ultimæque voluntates peragebantur. Nec profecto alia de cauſa in omnibus ſupradictis chartis donationum, aliarumque diſpoſitionum Monaſterio Tremitenſi factarum in actis exhibitis, homines illi Langobardi poteſtatem pro anima diſponendi de eorum bonis ac-

acceptam referunt legibus Luitprandi, Caroli Magni, atque Ludovici Pii, nisi quia re ipsa in jure Langobardico prostabant leges modo dictorum Regum, atque Imperatorum, quibus sancitum erat, fas esse hominibus Langobardis de eorum bonis, utcumque pro caussis prædictis, donationes, ceterasque dispositiones perficere, illasque ratas, firmas, atque perpetuo inviolabiles permansuras fore, multamque etiam imponendam esse earum violatoribus, eisque qui quoquomodo ausi fuissent illas vel minimum attingere. Et ne exlex ipse videar, dum hæc dico; en leges Luitprandi, Caroli Magni, & Ludovici Pii, quæ prostant in *libro* 2. legum Langobardorum *tit.* 18. *de ultimis voluntatib.*: sancivit enim Rex Luitprandus, vel Lutprandus in *leg.* 2. modo laudati tituli: *Si quis Langobardus, ut habet casus humanæ fragilitatis, ægrotaverit, quamquam in lectulo jaceat, potestatem habeat, dum vivit, & recte loqui poterit, pro anima sua judicandi, vel disponendi de rebus suis quomodo, aut qualiter voluerit, & quod judicaverit, stabile debeat permanere.*

Ecce Caroli Magni legem, quæ est quinta hujusmet tituli (nam quartam ipsius Imperatoris omitto, utpote quæ ejusdem fere est exempli): *Quicumque Langobardus res suas pro anima sua ad casam Dei tradere maluerit, dominii traditionem faciat coram testibus legitimis, & quæ in hoste factæ sunt hactenus traditiones, de quibus nulla quæstio est, stabiles permaneant &c.* Extatque etiam hæc lex inter Capitularia Caroli Magni anni 803. per doctissimum virum Stephanum Baluzium recollecta *tom.* 1. *Capitulari secundo, capitulo* 6.

Denique Ludovici Pii lex, quæ est septima, in hanc eandem sententiam perscribitur: *Si quis suas res pro salute animæ suæ ad aliquem venerabilem locum, aut ad propinquos suos, aut cuilibet alteri tradere voluerit, & eo tempore infra ipsum comitatum fuerit, legitimam facere traditionem studeat &c.* Prostat quoque apud eundem Baluzium laudato *Capitulari primo* Ludovici Pii anni 819. *cap.* 6.

Nolo silentio præterire legem, quam Lotharius primus Ludovici Pii filius sancivit; quæ est octava: *Volumus, ut res*

res, quæ a liberis personis locis Deo dedicatis conferuntur, liceat sibi usumfructum, & ordinationem rerum earumdem, & si aliter sibi placuerit, reservare; & si aliter eas non ordinaverit, ita remaneant sicut prius datæ fuerint.

Neque omittenda est Alemannorum lex lata per Chlotarium Regem, quæ est prima legum Alemannorum per præclarissimum virum Fridericum Lindebrogium relata in Codice legum antiquarum, exscribiturque pariter per Joachim Vadianum *de Collegiis Monasteriisque Germaniæ veteribus, lib. 2. in princ.*, quæque statuit: *Si quis liber res suas, vel semetipsum ad Ecclesiam Dei tradere voluerit, nullus habeat licentiam contradicendi non Dux, non Comes, nec ulla persona, sed spontanea voluntate liceat Christiano homini Deo servire, & de propriis rebus suis semetipsum redimere. Et qui hoc voluerit facere, per chartam de rebus suis ad Ecclesiam ubi dare voluerit, firmitatem faciat, & testes sex, vel septem adhibeat, & nomina eorum ipsa charta contineat, & coram Sacerdote, qui ad eamdem Ecclesiam deservit, super altare ponat, & proprietas de ipsis rebus ad ipsam Ecclesiam in perpetuum permaneat. Et si aliqua persona, aut ipse qui dedit, vel aliquis de heredibus ejus postea ipsas res de illa Ecclesia abstrahere voluerit, vel aliquis homo, qualiscumque persona hoc præsumpserit facere, & effectum quem inchoavit non obtineat, & Dei judicium incurrat, & excommunicationem Sanctæ Ecclesiæ; & multam illam, quam charta continet, persolvat, & res illas ex integro reddat, & fredum in publico solvat, sicuti lex habet.*

Enimvero Alemannorum, Langobardorumque leges, ad quas supradicti homines Langobardi provocant, quibusque mores eorum congruebant, illarumque formulæ, immo verba ipsa, quæ in præfatis donationibus, dispositionibusque ut plurimum exscriptæ leguntur, liberam, absolutamque potestatem eis faciebant, de quibuscumque bonis disponere pro anima, & redemptione peccatorum in beneficium Ecclesiarum, Monasteriorumque; eæque Langobardorum leges tunc temporis pro eorum jure communi, & peculiari habebantur, atque in omnibus ipsorum contractibus, dispositionibus, & in omni-

bus

bus humanis actionibus observabantur. Hinc in propatulo est ratio, cur tam libere, tamque effuse conspiciuntur factæ a præfatis hominibus Langobardis immodicæ donationes, nimia legata, excedentes dispositiones etiam omnium feudorum, in beneficium Tremitensis Monasterii.

Ad confirmationem porro eorum per me huc usque explanatorum in testem appello Chronicon Casauriense penes laudatissimum Muratorium *tom.* 2. *part.* 2. *Scriptorum rerum Italicarum*, & præcipue *pag.* 856. *& seq.*, ubi pleræque donationes Castrorum, terrarum, earumque partium factæ leguntur per Aprutinos homines beneficiarios, Monasterio Casauriensi anno 1047., imperante eodem Henrico III. Conradi filio; nec proinde affirmare licet fuisse tales homines Dynastas.

Neque mirum videndum est, quod ab hominibus beneficiariis seu feudatariis, ita præter modum, & sine aliquo objice de eorum feudis dispositum legatur in supradictis chartis: etenim præter exaratas leges Langobardas, illius ævi mos in tota Italia, sive jure, sive injuria pervagatus sinebat, beneficiarios de eorum beneficiis seu feudis quam libentissime disponere, illaque donare, alienare; qui quidem mos, seu pestis, ut eam appellat Lotharius II. Imperator, viguit ad annum usque millesimum centesimum trigesimum sextum, quo anno idem Imperator apud Ronchalias in agro Placentino tulit legem, quæ incipit: *Imperialis, de prohibita feudi alienatione per Lotharium*; in ea porro sit mentio de modo dicto abusu, seu peste alienandi feuda, insciis invitisque Senioribus, Proceribusque, atque aliis, a quibus tenebantur: en Lotharii verba: *Perniciosissimam pestem & Reipublicæ non mediocre detrimentum inferentem, resecare proposuimus. Per multas enim interpellationes ad nos factas comperimus, milites sua beneficia passim distrahere, ac ita omnibus exhaustis, suorum Seniorum servitia subterfugere, per quos vires Imperii maxime attenuatas cognovimus, dum Proceres nostri milites suos omnibus beneficiis suis exutos ad felicissimam nostri Numinis expeditionem nullo modo transducere valeant. Hortatu itaque & consilio Archiepi-*

piſcoporum, *Epiſcoporum*, *Ducum*, *&* *Comitum*, *Marchionum*, *Palatinorum*, *ceterorumque nobilium*, *ſimiliter etiam Judicum*, *hac edictali lege in omne ævum*, *Deo propitio*, *valitura decernimus*: *Nemini licere beneficia*, *quæ a ſuis Senioribus habent*, *ſine ipſorum permiſſione diſtrahere*, *vel aliquod commercium adverſus tenorem noſtræ Conſtitutionis excogitare*, *per quod Imperii*, *vel Dominorum minuatur utilitas &c.*

In anno itaque milleſimo centeſimo trigeſimo ſexto vetita, atque abolita fuit prava illa conſuetudo, qua retroacto ævo milites, ſeu beneficiarii, qui feuda habebant a ſuis Senioribus, Proceribus, atque a dominis, neglecta eorum permiſſione, illa diſtrahebant, donabant, deque illis ad libitum diſponebant. Chartæ vero in proceſſu hujus cauſæ exiſtentes illorum Langobardorum hominum, qui feuda tenebant a Senioribus, Proceribus, dominiſque ſuis, initium ducunt ab anno milleſimo vigeſimo quarto, & progrediuntur uſque ad annum milleſimum quadrageſimum octavum: videlicet ad illud ævum pertinent, quo mos pravus, conceptus abuſus, peſtis pernicioſiſſima profundas radices egerant; hac porro de cauſa & ſupraſcriptarum Langobardarum legum auxilio, nuperrimi laudati homines errore ducti, & promiſſis aliorum in fraudem ſeipſos impellendo, poſſe redimi peccata, ſcelera, omniaque flagitia mortis tempore, quo ſpes nulla remanet bonis, & feudis amplius fruendi, tam immenſas, excedenteſque donationes exequuti fuere, neſcientes facete dictum per ſinceriſſimum Chroniſtam Caſaurienſem ad quatuor ſceleſtiſſimos homines Aprutinos, qui bona furto, vi, & rapina ſubtracta, Monaſterio Caſaurienſi donatione tradiderunt: *Quid prodeſt*, dixit ille, *ſi homo rapiat*, *&* *Monachus comedat?*

Ex modo dictis perquam clare liquere dignoſcitur, homines Langobardos, qui bona, & feuda Tremitenſi Monaſterio tradiderunt, fuiſſe ſimplices milites, ſeu beneficiarios, de quibus Imperator Lotharius locutus fuit, quibuſque in poſterum vetita fuit feudorum diſtractio ſine permiſſione Seniorum, & Procerum, a quibus feuda habebant; neutiquam vero fuiſſe Dynaſtas, vel ſummum imperium habentes, quibus ſo-

folummodo licet feuda cuique concedere, vel dono dare.

His igitur usque adhuc ita præmonitis, atque præcognitis, progredior ad ea, quæ ut mea fert sententia, congruere videntur pro recta justaque decisione existentiæ Regii juris patronatus super Tremitense Monasterium, ejusque unitam Abbatiam S. Mariæ in Calena. Exploratum profecto est, Monasterium Tremitense ante annum millesimum vigesimum quartum fuisse fundatum, erectum, & congrua dote, atque pleniori commodo fuisse dotatum, sive mavis, ditatum, & abunde locupletatum: etenim meminisse oportet ex sæpe numero laudatis chartis liquere, donationes ceterasque dispositiones in eis contentas, fuisse factas Monasterio Tremitensi non solum tunc temporis jam existenti, sed Monasterio antea bonis instructo, referto, præditoque Abbate, Monachis, & integra dote pro istorum uberioribus amplioribusque alimoniis, & Ecclesiæ cultui necessaria. Non legitur enim in illis chartis, aliquem ex illis hominibus Langobardis fundasse, construxisse, dotasseque Monasterium prædictum, sed eidem, præterito tempore jam extructo atque dotato, suis donationibus pro redemptione animæ, ut tunc dici solebat, benefecisse. Atque hi Langobardi viri propterea haberi possunt & dici ut maxime *benefactores*; nam Ordarico Vitali teste *lib. 5. historiæ Ecclesiasticæ*, ut missos ceteros faciam: *Qui multum auget Ecclesiæ facultates, tanquam munificus adjutor Ecclesiæ beneficium meretur.*

Dixi tamen in præmonitione habita de hac fundatione, nesciri quandonam Tremitense Monasterium sit fundatum, erectumque, & quisnam illud fundaverit dotaveritque. In hisce enim dubiis incertitudinibusque firmo talo stat canon axiomaque (utor verbis virorum omnium, qui hoc argumentum disquisiere) Monasterium existens in alicujus Principis territorio in dubio præsumendum esse ab ipso, vel illius majoribus constructum ac dotatum, adeo ut Principes, Reges, & alii Dynastæ, juris præsumptione in Ecclesiis, Abbatiis, & aliis Collegiis, ac particularibus beneficiis fundatam habeant intentionem. In hanc sententiam præclare docuit Gui-

lelmus Benedicti in *cap. Rainutius*, in verbo *& uxorem nomine Adelasiam decis.* 1. *Omnia beneficia præsumi habere patronos, fundatores, aut donantes, cum naturaliter beneficia non nascantur, sed producantur in esse artificialiter per Laicos, qui ut plurimum sunt Ecclesiarum fundatores*; quod etiam confirmat clarissimus vir Franciscus de Roye in *Prolegomenis ad tit. de jur. patron. cap.* 7. *& cap.* 15., ceterique viri eruditi.

Est enim ipsiusmet juris Canonici systema, atque ordo, acquiri jus patronatus ex Ecclesiæ constructione, atque dotatione, ut statutum videtur per Cœlestinum III., sive sit Clemens III. (ut multi eruditi viri autumant) in *Cap. nobis* 25. *de jure patronatus*, quodque antea sancitum fuerat per Justinianum in Novella 57., mandavitque postea Pelagius II. in *Can. Abbatem* 4. *caus.* 18. *quæst.* 2. Cum igitur Ecclesia, seu Monasterium non nascatur, sed artificialiter producatur in esse, quodque fieri nequit nisi ab aliquo fundatore; ab hoc eodem axiomate propterea, ipsius juris ministerio, jus patronatus acquiritur. Cum vero non constet incognitumque sit, quisnam Ecclesiam, Monasterium, ceteraque beneficia in esse duxerit, fundarit, construxerit, dotaveritque, juris præsumptione, & jure superioritatis territorialis habendus est pro fundatore, & patrono Princeps atque Rex territorii, in quo Ecclesia, Monasterium, & alia beneficia erecta reperiuntur.

Ab hoc axiomate nemo dissentit, idque adstruunt Antonius Faber in suo Codice *lib.* 1. *tit.* 2. *definit.* 48. *in notis n.* 7., & Theodorus Rheinkingkius *de Regimine sæculari, & Ecclesiastico lib.* 3. *Classe* 1. *cap.* 9. *n.* 45., quodque non inficiati sunt Lambertinus, & Rochus de Curte *de jure patronatus*, aliique, quos præclare prosecutus Martinus Magerus *de Advocatia armata, de diversis Advocatiæ probandi modis cap.* 18. *n.* 25. *&* 26., inquit: *His accedit quod Monasterium existens in alicujus Principis territorio, in dubio præsumitur ab ipso, vel ejus majoribus constructum ac dotatum, adeo ut Principes, Reges, & alii magnatum Status juris præsumptione in Ecclesiis, Abbatiis, & in aliis Collegiis, ac particularibus beneficiis fun-*

da-

datam habeant intentionem . . . . Nam præsumuntur fluxisse a Principe, tanquam a fonte, & nutricio Ecclesiarum.

Tanquam consectarium tamen advertendum existimo, nunquam Ecclesias, Monasteria, & quæcumque alia beneficia præsumi fundata, aut dotata per Clericos, Monachosque, aliosque ejusdem loci & ordinis, ut optime docet Franciscus de Roye *in Prolegomen. ad tit. de jure patron. cap. 6.*

Tametsi ergo incomperta sit origo Tremitensis Monasterii; nihilosecius perquam certe habendum est, illud fuisse fundatum, ac dotatum per Principes illius regionis; iisque porro, & dignitati eorum, hujusque successoribus Principibus jus patronatus illius fuisse quæsitum, nemo est qui in dubium possit revocare.

Hinc dijudicandum est, quam apposite Imperator Conradus, *Salicus* nuncupatus, in suo Diplomate anni 1038., quod legitur, *fol.* 22. declaraverit Monasterium Tremitense esse sub suo regimine, & nulli alii respondere, nisi sibi; regebantur enim, atque gubernabantur per Principes fundatores omnia Monasteria, quæ eorum juris patronatus erant; non alia de causa porro in Chronico Casauriensi *lib.* 5. apud Muratorium *tom.* 2. *part.* 2. *Scriptor. rer. Italicar. pag.*872. legitur, Monasterium Casauriense fuisse ab Imperatoribus gubernatum, nisi quia Imperialis patronatus erat. Apposite igitur per Imperatorem Conradum statutum fuit Monasterium Tremitense subesse suo regimini, & nulli alii respondere debere; notum quidem erat ipsi, illud erectum & dotatum fuisse per prædecessores Principes, sciebatque *etiam Monasterium non esse auferendum a dominio constructoris*, seu fundatoris, *rationisque ordinem non pati, ut Monasterium contra voluntatem fundatorum ab eorum dispositione, ad arbitrium suum quis debeat vindicare*, ut edixit S. Gregorius Magnus in fine VI. sæculi in *Canone* 34. *caus.* 16. *quæst.* 7. Idemque Conradus eodem Diplomate donavit Monasterio Castrum nuncupatum Rigarmarium, tertiam partem Castri Linarii, multaque alia bona.

Nec secus præcepit Henricus III. Imperator ejus filius

alio suo Diplomate anni 1054. quodque extat *fol.* 38.; etenim non solum iterum donavit Monasterio Tremitensi idem Castrum Rigarmarium, sed etiam Civitatem de Mare, multaque bona, quæ in eodem Diplomate descripta visuntur, deinc utens sequenti formula, mandavit: *Ut deinceps Monasterium sit sub nostro regimine, & nulli nisi nobis respondeat. Jubemus igitur ut nullus Episcopus extraneus, Abbas, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, seu aliqua Regni Nostri parva, magnaque persona prædictum Monasterium de præfatis bonis inquietare, molestare, disvestire præsumat &c.* Ad hæc tam Conradus, quam Henricus in ipsismet Diplomatibus confirmavere omnes donationes Monasterio in antecessum a quibuscumque factas.

Esse sub Regis regimine, nihil aliud profecto denotat, nisi sub Regis patronatu adesse, ejusque defensione, & tuitione, quæ defensionis formula in chartis fundationis, præcipue Principum Normannorum, aperte legitur; immo post hanc expressam defensionis formulam, non solum multa statuitur contra violatores, contraque voraces bonorum in fundatione donatorum, ut mandatur in modo dictis Conradi, & Henrici Diplomatibus, sed indicuntur maledictiones, execrationes, excommunicationes contra eos, qui quoquo modo usurpare præsumserint bona in chartis fundationum donata, ut videre est in Diplomatibus fundationum Comitis Rogerii, Regis Rogerii, ceterorumque exscriptis per Rocchum Pirrum in *Sicilia Sacra*, & in quamplurimis aliis Nortmannorum Dynastarum hujus Regni per Mabillonium exhibitis in *tom.* 5. *Annalium Benedictinorum*; quibus formulis tristibus & horrendis usi fuere Principes, Regesque posteriores ad reprimendum propulsandumque abusum pessundandi bona Ecclesiarum, illaque in beneficium, & in alodem, seu in allodium concedendi; de qua re videndus est clarissimus Franciscus de Roye in percelebri Tractatu *de missis Dominicis cap.* 8. *de missis Dominicis ad disciplinam publicam*; extantque quamplura hujusmodi alienationes vetantia Capitula apud Baluzium in *Capitularibus Regum Francorum*, & præcipue *tom.* 1. *pag.* 906.

pag. 906. *cap.* 386., licet antea optimo jure ea bona distraxerit Carolus Martellus pro obsistendo atque propulsando crebras & continuas Saracenorum incursiones; quamquam inde obtrectatores memoriæ, & nominis illius ausi fuerint illam mendacem falsissimamque fabellam comminisci, quam viri eruditi, & præcipue Baronius ad *annum* 741. *a n.* 14., ibique Pagius, & Sirmondus *in notis ad Capitularia tom.* 2. *pag.* 779. exploserunt, exagitaruntque.

Præ oculis etiam habendum esse existimo, supra laudatos Conradum, & Henricum non solum confirmasse ceteras donationes factas per sæpe nominatos homines Langobardos, verum etiam iterum ipsos eosdem Imperatores donasse idem Castrum Rigarmarium, multaque bona, quæ jampridem donata fuere per eosdem homines Langobardos; quarum quidem donationum confirmationes facere usi fuere Principes, ut inde illæ haberenter ut factæ ab ipsismet ad adstruendum dehinc jus patronatus proprium: id quod laudatus Franciscus de Roye in prædicto Opusculo *de missis Dominicis in tit. de Missis Dominicis ad disciplinam publicam cap.* 8. præclare docet: *Qualibet bona*, ait, *Monasteriorum curæ semper fuerunt Christianissimis Regibus, non tantum quod plura ex iis donaverint, sed etiam quod cum eorum donationes ab ipsis etiam privatis factas, Regia authoritate confirmarunt, perinde esse putaverunt, ac si ea Monachi ex Regia liberalitate possiderent, ut habet Constitutio Alexii Comneni apud Theodorum Balsamonem ad Canon.* 12. *septimæ Synodi; unde tot præcepta Regia de bonis Monachorum, quæ inscribuntur sæpius missis Dominicis*. Cum igitur Principes confirmabant donationes jampridem factas, etiam per personas privatas, & præcipue feudorum (ut videtur factitatum in supradictis Diplomatibus) tunc reputabantur donationes tanquam factæ ab ipsis Principibus, quorum profecto erat, donationes feudorum ratas, firmasque habere.

Insuper reservatio regiminis Monasterii Tremitensis facta tam per Conradum, quam per Henricum Imperatores in eorum Diplomatibus, est peculiaris, verusque character & effectus juris patronatus; etenim regere Monasterium, Eccle-

siam,

fiam, Xenodochium, Nofocomium, vel Ptochium, idem omnino eft, ac curare, ut eorum, rerumque ipforum adminiftratio fiat fecundum leges, finesque præfcriptos in fundationum tabulis, ita jam pridem edicente Imperatore Zenone in *L. 15. Cod. de Sacrofanctis Ecclefiis*: *Si quis donaverit aliquam rem mobilem, vel immobilem, vel femoventem, aut jus aliquod perfonæ Martyris, aut Prophetæ, aut Angeli, tanquam ipfi poftea Oratorium ædificaturus, & donationem infinuaverit apud quos neceffe eft, cogitur opus perficere . . . Idem, & in Xenodochiis, & Nofocomiis, & Ptochiis . . . His vero adimpletis, adminiftratio fecundum ea quæ his, qui liberalitatem exercuerunt vifa fuerunt, & fecundum præfcriptos fines fiat*.

Hinc videtur deinceps eadem poteftas tradita fuiffe patronis Ecclefiarum, Monafteriorum, ceterorumque locorum, atque Beneficiorum per Concilii Toletani IX. *Canones* 1. & 2. relatos etiam per Gratianum in *Can. Filiis*, *Can. Decernimus cauf.* 16. *qu.* 7. Statuitur porro in Canone modo dicti Concilii: *Ut patronus de rebus ad Ecclefiam fuam pertinentibus follicitam curam, & præcipuam follicitudinem habeat*. Regimen infuper Monafterii fitum eft in curando, five cavendo, ne bona illius dilapidentur, vendantur, perque Monachos diftrahantur; ceteroquin iidem Toletani Patres voluere, ut patronus compefcat eos honeftæ commonitionis conventione, corrigatque, fi non refipuerint; ea propter jure dixit Georgius Cabedus *de patronatu Regiæ Coronæ cap.* 12.: *Officium Patroni eft curare (quod idem eft* ac regere) *ut res patronata maneat in primæva inftitutione*.

Ex fupradicto refervato regimine patronatum agnovit, affirmavitque quoque doctiffimus, jurifque patronatus incorruptiffimus Scriptor Franciscus de Roye *in Prolegomenis ad tit. de jure patronatus cap.* 27., qui tametfi deneget patrono adminiftrationem rerum Ecclefiæ, Monafterii, five cujufcumque alterius loci, vel beneficii juris patronatus, firmat vero in patrono curam, cuftodiamque rerum horum locorum, & jus expetendi implementum ejus, quod in fundationis tabulis præfcriptum eft; aitque propterea: *Hodie quidem cum Sacri*

cri Canones ipsis etiam Patronis omnem potestatem in rebus Ecclesiasticis ademerint, ne tandem eas usurparent sub obtentu juris patronatus, illi forte illam sibi vindicare non possunt, sed unum illud curare, ut fundationis leges observentur, ut Ecclesiæ suæ bona in eos usus ab ipso Clerico convertantur, ad quos in ipsa fundatione destinata sunt.

Quamquam vero patronis rerum administratio vetita sit, negari tamen nequit, quin Rectores, Abbates, ceterique præpositi, qui Ecclesiis, Monasteriis, aliisque locis Regii juris patronatus præsunt, debeant rationem reddere Regi Patrono, de rerum existentia, & de impigra, & irreprehensibili executione omnium legum, & operum in fundationis tabulis præscriptorum, atque mandatorum. Mitto hic afferre *Canonem vigesimum* Vernensis Concilii, & pene innumera Capitularia Caroli Magni, Pipini Regis, Caroli Calvi, ceterorumque Francorum Regum, e quibus eruitur, qualis, quantaque sit Regum Patronorum potestas in exigendis a Monasteriis Regii juris patronatus rationibus, non solum de bonis, redditibusque eorum, num sint erogati juxta fundationis leges, vel ultra modum profusi, sed etiam in perquirendo disciplinæ formam, atque executionem; quæ porro omnia, si libet, videri possunt apud modo laudatum præclarissimum virum Franciscum de Roye *de Missis Dominicis* cap. *de Missis Dominicis ad disciplinam publicam*, & apud laudatissimum eruditissimumque virum Ludovicum Antonium Muratorium in *dissert.* 9. *de Missis Regiis tom.* 1. *Antiquitatum medii ævi*, & apud disertissimum Stephanum Baluzium in *notis ad Epistolam* 80. Lupi Abbatis Ferrariensis, qui fuit unus ex Dominicis Missis a Carolo Calvo constitutus, quique præscripsit cuidam Abbati, ut ad se mitteret *breves*, seu ut dicitur, *statum de facultate sui Monasterii*.

Ad hanc potestatem igitur, ut equidem opinor, referendum est, quod mandant Conradus, & Henricus in suis Diplomatibus, videlicet: *& nulli nisi nobis* (Monasterium) *respondeat*, quæ porro formula non solum profert exemptionem Monasterii a jurisdictione omnium eorum, qui in iisdem Di-

Diplomatibus dinumerantur, ſed quam maxime ſtatuit, mandatque Abbati, ut de Monaſterii adminiſtratione nulli, niſi ipſis Imperatoribus ſucceſſoribuſque in Regio patronatu rationem reddat. Etenim, etſi quiſquis Rex in ſuo Regno poſſit rationem repetere de geſtis omnium Eccleſiarum, Monaſteriorum, ceterorumque Piorum Locorum, quodque jus eſt indiviſibile a ſummo Imperio, & eminenti dominio Principis, quod habet ſemper ſuper omnibus bonis ſubditorum, & præcipue Eccleſiarum, ob earumdem curam cuſtodiamque a Deo ſibi commiſſam; attamen neque ſummum Imperium, neque eminens dominium Principi tribuit jus illud Regii patronatus, quod ex ſola fundatione, conſtructione, & dotatione Eccleſiarum, Monaſteriorum, aliorumque Beneficiorum acquiritur. Juri porro huic patronatus, non antea ſtatuto neque cognito, niſi in medietate V. ſæculi, ut erudiriores viri exiſtimant, nihil commune prorſus eſt cum jure ſummi Imperii, & eminentis dominii nato in Principe cum ipſo Principatu.

Ex his porro, quæ hucuſque ſunt expoſita, extra dubitationis aleam poſitum apparet, noſtro Auguſto & Clementiſſimo Regi jus patronatus ſuper Monaſterium Tremitenſe, ejuſque unitam Abbatiam S. Mariæ in Calena competere. At quia accuratiſſimus Promotor Regalis Coronæ inter cetera jura ad hunc Regium patronatum redintegranda, inſtitit pariter pro redintegratione juris eligendi Abbatem modo dicti Monaſterii; hinc diſquirendum eſſe puto, num jus eligendi Abbates, alioſque Præpoſitos Monaſteriis, ceteriſque Eccleſiis Conventualibus, vi, & natura, ut ita dicam, Regii juris patronatus, pertineat ad Regem Patronum.

Inficiantur nonnulli, contenduntque hoc jus Regi Patrono non competere, & quod maximopere miror, illud eſt, quod jus hoc Regiæ Coronæ jampridem infixum, atque, ut dicam, ferruminatum, quam recentiſſime per nonnullos video fuiſſe labefactatum atque per ſummam injuriam avulſum ab noſtri Auguſti Principis diademate. Sed quo jure, quaque ratione quæſo? Illa quidem tantum, quæ ſumma animi

con-

confidentia elicitur, exprimiturque a Clementis III., sive sit potius Cælestini III. epistola in *cap. Nobis 25. de jure patronat.*, ubi hæc verba leguntur: *Si quis Ecclesiam cum assensu Diæcesani construxit, ex eo jus patronatus acquirit. Ceterum in Conventuali Ecclesia non electioni Prælati faciendæ, sed jam factæ honestius patroni postulatur assensus, nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tractandæ.* Hinc scilicet infertur, in electione Abbatis, aliorumque Prælatorum Monasteriorum, & quarumcumque Ecclesiarum Conventualium jus electionis non esse patroni, sed ea jam facta propter honestatem, & obsequium quoddam assensum solum patroni postulandum esse, seu requirendum. Verum ne Regia Corona tam perniciosum detrimentum, tamque gravem jacturam capiat ex modo exscripta epistola Decretali duo breviter animadvertenda esse duco.

Primum est, modo dictam Decretalem epistolam labente XII. sæculo non esse antiquiorem; etenim sive sit Clementis III., cui in vulgatis Codicibus adscribitur, sive potius sit Cælestini III., ut advertit præclarissimus, jurisque Canonici perquam eruditissimus Bohemerus in sua editione totius hujus juris, ejusque variarum lectionum, in nota *num.* 46. ipsiusmet epistolæ, nunquam existimandum est fuisse prolatam ante annum 1188.; namque Clemens III. ad Pontificatum evectus die 20. mensis Decembris 1187., successorem habuit Cælestinum III. qui e vivis excessit die 8. Januarii 1198., ut videre est apud nuperum solertem industriumque Auctorem Pontificum Romanorum Vitarum Gallico idiomate conscriptarum *tom.* 3.

Deinde monitum volo, jus patronatus tres successive habuisse periodos. Prima periodus incipit a medietate V. sæculi, quando jus patronatus sumsit initium ex Conciliis Arelatensi, & Aurisicano, ad VII. sæculum usque, in qua periodo solam præsentationem consecuti fuere fundatores. Altera ab VII. sæculo decurrit ad XII., quo quidem intervallo, quia summopere excrevere Ecclesiarum, Monasteriorumque fundationes & extructiones, propter quas divitiarum maximam copiam

piam eadem loca a fundatoribus compararunt, utque ab eis non desisteretur, præsentationes, collationes Ecclesiarum, Beneficiorumque, & electiones Prælatorum, Monasteriorum, & Conventualium Ecclesiarum fundatoribus, seu patronis concessæ fuere: hoc enim sæculo XII. jus patronatus suum sistere gradum visum est; namque deinceps (eaque est tertia periodus), cœperunt Pontifices & alia Concilia de potestate fundatorum, & patronorum paulatim toto conatu, quantum potis erat, detrahere, atque derogare: proinde ex hoc ævo in posterum jus patronatus per Pontificum epistolas Decretales, & modo dicta Concilia in deterius abiit, & fundatorum, patronorumque primæva potestas in aliquibus Regionibus præcipue, magnopere fuit imminuta. De hisce porro tribus juris patronatus periodis testem perhibeo supralaudatum Bohemerum in Commentario ad Decretale Gregorii IX. *lib.* 3. *tit.* 38. *de jure patronat.*

Ex his animadversionibus apertissime constat, quantum inefficax, quantumque viribus sit destitutum supra exscriptum *cap.* 25. *tit. de jure patron.* ut ejus vi abstrahatur a patronia electio Prælatorum Monasteriorum, Ecclesiarumque Conventualium, illarum præcipue, quæ ante sæculum XII. fuere fundatæ, erectæ, locupletatæ, illæ scilicet, quæ ante ævum capitis prædicti fuerunt tot bonis, tot feudis, divitiis, privilegiisque innumeris suffultæ, atque refertæ. Nonne fundatores præsertim Principes, & Reges illas erexerunt, & ditarunt eo ævo, quo jus patronatus in eos transmittebat non solum præsentationes, sed collationes, & Prælatorum Ecclesiarum Conventualium electiones? Si hoc jus Regibus erat jam quæsitum, non quidem prece, sed pretio immensorum latifundiorum Monasteriis traditorum, qua causa, & qua ratione illud poterat deinde a propria Corona divelli, atque abstrahi? Nonne ipsæ Pontificum Decretales epistolæ mandant, non esse jus alteri quæsitum auferendum? Ita sane. Si igitur nemini fieri debet læsio in peculiari quæsito jure; quonam pacto inferri quiverat detrimentum juribus Regum quæsitis tot bonorum, & feudorum in Monasteria effusione? Hinc

Hinc eſt, quod aliqui progreſſum graduum ſeu periodorum juris patronatus ſecum non reputantes, ingenium intenderunt in explanando poſteriora illa verba, quibus ipſe Pontifex generalem regulam prius jactam, poſtea coarctavit, videlicet, *niſi aliter de ſua juriſdictione (Patronus) obtineat*. Molinæus enim ad ſupra exſcriptum *caput* 25. affirmat, his verbis excipi patronum illum, qui ſit præditus majoritate, poteſtate, vel præeminentia, in quo caſu idem Pontifex jus electionis ipſi tribuit, conceditque, eapropter ait: *Juriſdictio in hoc capite ſumitur pro dignitate, majoritate, auctoritate, poteſtate, ſive præeminentia, quæ patronis competit*. Hanc quoque exceptionem, & coercitionem affert Franciſcus de Roye in Commentario ad idem *cap*. 25. pro perſonis illis ſublimioribus, quæ imperio, & ſumma poteſtate ſint ſuffultæ; atque ita quamplures alii interpretantur.

Attamen quidquid ſit de explanatione illius limitationis, hoc unum verum, firmumque eſt, Reges, Principeſque omnes neglexiſſe hoc jus novum Decretalium, Conciliorumque poſteriorum, neque unquam paſſos fuiſſe minimum quid ſibi decerpi ex illa ſublimi poteſtate, quam ſemel retroacto ævo per ipſos adquiſitam fuiſſe liquebat. Ac minime omnium id paſſi ſunt utriuſque Siciliæ Reges, quorum poteſtas, quoad hoc jus attinet, liceat mihi dicere, ceterorum Principum poteſtatem antecellit, habentque iidem collationem omnium utrorumque Regnorum Beneficiorum; quæ quidem poteſtas nequit in dubium revocari per ipſam Romanam Curiam, utpote agnita, & confirmata per ipſum Gregorium XIII. in Decreti Gratiani correctione. Meo porro animo non ſedet hic diſſertationem de hoc argumento exarare, ne ſim prolixior, neve nauſeam afferam, ſed producam ſolum quod de hoc Regum jure, deque modo dictis Decretalibus, & Conciliis diſſeruit præclariſſimus eruditiſſimus atque ſaniori doctrina præditus Franciſcus Florens in Commentario ad *lib. I. Decretal. tit. 6. de electione, & electi poteſtate tom. 1. Operum pag. mihi* 151. *& ſeq. edit. Pariſienſis anni* 1679.; en ejus verba: *Sequitur ut de jure Regio tractemus in Prælatorum electionibus, po-*

ftulationibus, tranſlationibus, itemque in Epiſcopis, Metropolitanis, vel Primatibus inſtituendis. Conſequenter aliquid de Inveſtituris, & Regalibus addemus, quæ cohærent electionibus. De his enim frequens occurrit mentio in hoc tractatu, tam in decretis, quam in Decretalibus.

Poſtrema quidem Concilia, & Decretales concedunt tantum Regibus aſſenſum electioni jam factæ, non autem faciendæ. Sed pugnat cum jure communi veteri, quod multi Reges, in primis noſtri perpetuo retinuerunt, jure novo decretalium neglecto.

Ex his conſtat in Imperio tam Occidentali, quam Orientali, in Gallia, Anglia, Hibernia, Sicilia, Hiſpania maximam Imperatorum, & Regum in conſtituendis Epiſcopis poteſtatem fuiſſe: Nec poſt factam electionem, nudo illo aſſenſu fuiſſe contentos, quem eis recentiora Concilia, & Decretales reliquerunt, quæ nunquam obtinuerunt. Proſequiturque deinde in deſcribendo jura, & auctoritatem omnium modo exſcriptorum Regnorum Principum, præcipue *pag.* 154. de utriuſque Siciliæ Regibus quædam, ſed non omnia complexus eſt jura, quæ dici & enarrari potuiſſent.

Dein *pag.* 156. ſic vir doctiſſimus ait: *Ex his colligimus quanta fuerit Regum noſtrorum, & aliorum auctoritas, & poteſtas in electionibus Epiſcoporum, & Abbatum, etiam vigente jure communi; quo electiones communi conſenſu Cleri, & Populi peragebantur. Quod jus Regibus competit, tum propter præcellentem eorum dignitatem, tum propter ſpecialem tuitionem & protectionem, ſeu cuſtodiam, quam Eccleſiis impertiuntur. Accedit hæc ſumma ratio, quæ in privato quolibet patrono locum habet, quia Eccleſias & pleraſque Abbatias, & Prioratus dotaverunt & ditaverunt non tantum amplis poſſeſſionibus, & redditibus eis aſſignatis; ſed etiam Civitatibus, & Ducatibus.*

Liquet igitur non ſolum *cap.* 25. *de jure patronat.* numquam fuiſſe receptum, ſed omnia alia Concilia, & epiſtolas Decretales ab XII. ſæculo in poſterum latas, & utcumque jus Regium, & præſertim patronatuum, attentantes, fuiſſe neglectas, nulloque pretio habitas. Jus enim erat fundatoribus uſque ab medietate VII. ſæculi, Rectores Eccleſiarum, Mo-

Monasteriorumque eligere, posthabita quacumque Episcopi, & alterius ordinatione, ita sane sanciente Concilio Toletano IX. *Can.* 2. *apud Labeum tom.* 7. *Concilior. Quod si spretis eisdem fundatoribus, Rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare; & ordinationem suam irritam noverit esse, & ad verecundiam sui alios in eorum loco, quos iidem ipse fundatores condignos elegerint, ordinari*. Statuit Concilium Romanum anni 826. *cap.* 21. *apud eundem Labeum tom.* 9. *Concilior.*: *Monasterium, vel Oratorium canonice constructum a dominio constructoris (scilicet fundatoris) invito non auferatur, liceatque illi (Monasterium) Presbytero, cui voluerit pro sacro officio illius Diœceseos, & bonæ auctoritatis dimissoria cum consensu Episcopi, ne malus existat, commendare*. Probo enim, vitæque castigatissimæ Abbati, ac Prælato debet Princeps Monasterium *commendare*, quod idem est ac eligere, & committere; ita equidem apposite explicat præfatus Boehmerus in Commentario ad *tit.* 38. *lib.* 3. *Decretal. de jure patronat.* §. 25.: *Commendare Presbytero Oratorium, nibil aliud denotat, quam in eo talem constituere, eique illud committere*.

Ex Canonibus porro, & Conciliis ante sæculum XII. congregatis maxima erat Regum potestas circa electionem Prælatorum Monasteriorum, præcipue illorum quæ Regii juris patronatus fuere; cui potestati licet summopere conati sint Pontifices suis Decretalibus epistolis, & posteriora Concilia derogare, eamque paulatim evertere, atque diruere; nihilo secius semper Principes illam stabilem, immotamque retinuere, & conatibus aliorum optimo jure obstiterunt.

Immo licet interdum in chartis fundationum Monasteriorum, sive in concessionibus immunitatum, exemptionumque eisdem Monasteriis per Principes elargitarum, aperte legatur exscripta formula, quod Abbas libere eligatur per eosdem Monachos ipsiusmet Monasterii, quodque nullus valeat in electione ipsa se immiscere, neque inferre; attamen nunquam retroactis temporibus Monachi ausi fuere Abbates, vel alios Monasteriorum Prælatos eligere sine Principis consensu; quinimmo ipsi Principes Regesque, Monachos in Abbates ta-

talium Monafteriorum eligendos ftatuerunt, decreveruntque, ut fcitiffime admonet Hieronymus Acofta, five fit Riccardus Simonius in fuo percelebri Tractatu Gallico idiomate exarato, *Hiftoire de l' origine, & du progres des Revenus Ecclefiaftiques tom. premier pag.* 144.

Ex hucufque perpenfis in comperto eft, Monafterium Tremitenfe ab initio ejus fundationis fuiffe Regii juris patronatus; quod jus jampridem extitiffe, vel maxime pernofcitur ex Diplomatibus Imperatorum Conradi Salici, & Henrici ejus filii, a quibus exceptum illud fuit fub eorum regimine, itaut ipfis, & non aliis modo dictum Monafterium refponderet.

Ex iifdem principiis porro fupra firmatis, ut neceffarium confectarium fubfequitur, Abbatiam S. Mariæ in Calena ejufdem Regii patronatus juris fuiffe: etenim cum oftendi nequeat quanto, & a quonam fundata, atque ditata & dotata fuerit, indubie præfumendum, imo certe affirmandum eft, fuiffe illam per prædeceffores Principes illius Regionis fundatam, atque dotatam: id quod luculentius ellcitur ex charta, quæ proftat in actis, *fol.* 47., ex qua in comperto eft, Abbatiam modo dictam S. Mariæ in Calena donatam fuiffe per Riccardum Capuæ Principem Cafinenfi Monafterio in anno 1059. in Concilio Melphitano congregato fub Nicolao II. Pontifice; quæque Abbatia etiamfi jampridem fuiffet erecta, dotata, & Caftris, & bonis fere innumeris locupletata; nihilominus illa patronatus jure per Riccardum poffidebatur, ut illius ævi mos erat. De qua quidem donatione meminit etiam Leo Oftienfis, feu Marficanus in *Cronico Monafterii Cafinenfis lib.* 3. *cap.* 13., ubi hæc habentur: *Et quoniam ab eodem Pontifice pafchalis feftivitatis gratia invitatus fuerat, Romam reverfus, poft feftum urbe egrediens, Melphiam Apuliæ urbem perrexit, ubi tunc idem Apoftolicum Concilium celebrare difpofuerat, in qua etiam Synodo, dum Riccardus Capuanus Princeps cum aliis quamplurimis interfuiffet a fupradicto Papa Nicolao admonitus, præceptum fecit Beato Benedicto de Monafterio S. Mariæ in Calena, cum pertinentiis fuis.* Quod præ-

præceptum, seu donatio exscripta quoque legitur in nota *num.* 9. ad præfatum *cap.* 3.

Constat igitur tunc temporis Monasterium seu Abbatiam S. Mariæ in Calena retroacto tempore fuisse constructam, & bonis, & Castris locupletatam; fuit porro illa per Riccardum Capuanum Principem admonitum a Nicolao II. Papa in Concilio Melphitano tradita Casinensi Monasterio. Qua ratione, quaque causa illo ævo visuntur peractæ per sæculares homines pene innumeræ donationes Ecclesiarum Monasteriis Monachorum, meum non est hic disquirere, adeat qui de hoc aliquantulum informari cupiat, Franciscum de Roye in Commentario ad *cap.* 5. *tit. de jure patronatus* §. 1. & Franciscum Florentem in Commentario ad *caus.* 16. *& seq. quæst.* 7. *de statu Monachorum*, ut misses faciam ceteros, qui pleniori calamo de hac re pertractarunt. Quæ porro donationes deinceps vetitæ fuere per pleraque Concilia, inter quæ fuit aliud Melphitanum sub Urbano II. anni 1090., ut videre est apud Archiepiscopum Parisiensem præclarissimum virum Petrum de Marca in notis ad Concilium Claramontanum, & doctissimum Espenium in dissertatione Canonica *de pristinis Altarium, & Ecclesiarum incorporationibus, & donationibus*. Jure tamen merito infertur ex traditis per laudatissimos hos viros, Monasteria, & Ecclesias per laicos & Principes possessas, donatasque, non alio jure, per eos ipsos possessas fuisse, nisi, ut plurimum, patronatus jure; quod non abs re fatendum est, factum fuisse de Abbatia S. Mariæ in Calena, utpote, quæ de Castris ceterisque juribus Regalibus locupletata erat, de quibus Castris juribusque Regalibus Principum solum erat Ecclesias, & Monasteria dotare, & locupletare. Quibus locupletationibus jus patronatus acquiri, jam supra demonstratum est.

Igitur censeo, *bene, recteque fuisse sententiatum per præclarissimum, laudatissimumque Dominum Consultorem Rev. Curiæ Capellani Majoris, & male contraque jus fuisse provocatum atque appellatum pro parte Tremitensis Monasterii:* Censeo etiam, ac definitive sententio, *esse redintegrandum quoque Regiæ Coronæ jus ele-*

electionis omnium Abbatum pro tempore eligendorum in prælaudato Tremitensi Monasterio, ejusque unita Abbatia S. Mariæ in Calena, una cum omnibus præeminentiis, prærogativis, juribusque honorificis, quæ Principi patrono tam electionis tempore, quam deinceps competunt, & quoquo modo competere possunt.

BASILIUS PALMIERI.

In causa D. Paschalis Correale cum D. Francisco Acquaviva Abbate Regalis Abbatiæ S. Mariæ Matris Domini. Die 17. Martii 1781.

Cum Ecclesiasticum Beneficium Ecclesiæ Regii patronatus unitum fuerit, emphyteusis antea facta bonorum, quæ ad ipsum Beneficiũ spectant, ex defectu Regii assensus improbanda non est; præsertim si ex aliis causis improbari nequeat.

INspecto Regio Rescripto diei 19. Februarii elapsi anni 1780., *fol. 69.*, decreto termini *ad non posita ponendum &c.*, ejusque compilatione, *fol. 71. a t. ad 132.*, inspectisque omnibus actis, Dominus Miles U. J. D. D. Ferdinandus Corradini Regius Consiliarius, & Judex appellationis in præsenti causa specialiter per S. M. deputatus declarat: *bene appellatum per magn. D. Paschalem Correalem, & male judicatum per Curiam Rev. Capellani Majoris S. M. in ejus decreto interposito sub die 2. Decembris anni 1779. fol. 65.; ac proinde, suspenso dicto decreto, dictus D. Paschalis Correale absolvatur a petitis per Regium Abbatem Abbatiæ S. Mariæ Matris Domini D. Franciscum Acquaviva ab Aragonia; salvis juribus contra eundem D. Paschalem pro augumento canonis, forsan debito a die elapsi temporis ultimorum vigintinovem annorum, æstimato fundo in emphyteusim per ipsum Correale detento, servata forma instrumenti initi die 3. Decembris anni 1554.*

Quodnam fundamentum fuerit decreti Curiæ, dicetur, ut in eo elidendo ratio Rei absolvendi pateat. Curia, petentibus Fratribus Basilianis Monasterii sub titulo S. Mariæ Matris Domini, anno 1777. declaravit, prædictam Abbatiam cum Monasterio, & Ecclesia S. Mariæ Matris Domini fuisse, & esse juris patronatus prædecessorum Principum hujus Regni; ac proinde juribus Majestatis esse restituendam, juxta ipsius primævam naturam, cum omnibus ejus Ecclesiis, jurisdictionibus, ac toto statu ejusdem. Sua

Sua igitur Clementissimus noster Princeps facultate usus, illam in D. Franciscum Acquaviva de Aragonia contulit. Cum contulisset, postulavit hic, & a Curia, solemnibus judicii peractis, audito Paschale Correale reo convento, obtinuit, ut sibi liceret, prout vellet, sive locare, sive administrare bona, quæ pertinebant ad beneficium sub titulo S. Mariæ de Vesula, quod fuerat cum aliis per Romanos Pontifices annexum ipsi Abbatiæ, atque in perpetuam emphyteusim concessa fuerant usque ab anno 1554. per Rectorem ejusdem beneficii Ascanium Capograsso ejus fratri Jacobo, quæque ad ipsum Paschalem Correale hereditario jure pervenerant.

En quibus ex causis mota fuerit Curia ad sic decernendum. Primo, quod D. Franciscus Acquaviva jus suum a Principe haberet, ad cujus patronatum bona in emphyteusim data cum pertinerent, contractus, quod assensu ipsius Principis caruisset, corruebat. II. Si etiam confingi vellet, nunquam hujusmodi bona Regio patronatui obnoxia, quin libera Ecclesiæ fuisse, emphyteusis vitio laborabat ob non impleta solemnia præscripta in 2. *cap. Novellæ* 7. Cui rei aliud incommodum accedebat, quod nec assensus Pontificius, qui tum requiri putabatur, impetratus esset, nec ob longissimi temporis lapsum præsumendum, quia statim ejus defectus fuerat oppositus, adeout cum ab initio actus deficeret, tractu temporis convalescere non poterat ex *L. 29. D. de reg. jur.*

Sed his acquiescere animus non potuit. Non enim officere reo convento defectus assensus Principis videbatur, quia fundus in perpetuam emphyteusim concessus Jacobo Capograsso, ejusque heredibus, & successoribus, cum ad patronatum Principis tum non pertineret, sed ut beneficium Ecclesiasticum (qua de re nulla usque adhuc contentio habita est) liberæ esset Archiepiscopi Salernitani collationis; ejus assensu non indigebat; nec unionis obtentu cum Abbatia S. Mariæ Matris Domini id effici potuit. Nam fuerit hæc unio Romani Pontificis potestate facta, in cujus collationem id beneficium inciderat, certissime nujusmodi annexio subsequuta esset anno 1681., scilicet longe post sæculum ab

inita emphyteusi, cujus proinde vim destruere non poterat, vetantibus id luculentissimis juris regulis, quæ non sinunt alteri per alterum iniquam conditionem inferri, ut ex *L.75. D. de reg. jur.* habetur. Quin rescripta ipsa Principum, juri aliorum derogantia, aut legibus contraria nullam vim habere ipsi Principes jubent, ut ex *L. 32. C. locat. & conduct.*, & *L. 7. C. de precib. Imper. offerend.* patet. Alibi etiam statuitur, rem inter alios actam non nocere *L. 4. C. quib. res jud. non noc.* Igitur bona istius beneficii Abbatiæ annexi post emphyteusim cum sua causa transmigrarunt, ut in *L. 18. §. 2. D. de pignor. act.*, & *L. 12. D. famil. ercisc.* præscribitur. Quibus accedit alia juris regula, in negotiis definiendis tempus contractus spectari, sic statuente *L.78. D. de verb. oblig.*, & *L. 25. in fin. C. de repud.* Et quod leges ipsæ edicunt, licere novo domino expellere veteres colonos, id in locationibus, in quibus non fuerit jus in rem acquisitum, sibi locum vendicat, non in ceteris contractibus rem ipsam afficientibus.

Nihil etiam metuendum erat firmitati contractus ex *Novella 7.* sub titulo *de non alienand., aut permutand. reb. Eccles.*, nam hæc constitutio per posteriorem 120. correcta fuit, atque emphyteusis perpetua permissa. Verum aliud objectum ex posteriori hac constitutione elicitum urget: vetat enim hæc, irritasque facit alienationes in conjunctos, quod in emphyteusi, de qua agitur, contigit. Posset responderi, constitutionem in hac parte proprie loqui de bonis Ecclesiasticis Constantinopolitanæ Civitatis, non de ceteris, ad quæ prohibitionem non protrahit: posset etiam dici, quod bonorum istiusmodi vendicationem solis Ecclesiis tribuat; sed fortasse non tuta esset responsio. Quod omni metu liberare videtur, id est, posteriorem hominum ætatem hæc immutasse, atque Regnorum Christianorum moderatores Religioni duxisse relinquere Romanis Pontificibus, ac Episcopis Ecclesiasticorum bonorum curam præcipuam, & paulatim obsolescere leges, quæ ante jam latæ essent. Hinc est, a sæculis Pontifices hac facultate usos, quam repetere summæ Potestates, cum li-

libuisset, poterant; & hinc factum eorum Magistratus in judiciis hac in re Canones, & Decreta Pontificum sequutos. Igitur qui contractus tanta bona fide gesti essent, etiamsi longo errore populorum, nulla juris regula patitur everti, quin ea ipsa, quæ nullum juris vigorem habitura essent, si publice interesset sustineri, sarta tecta relicta sunt, cujus sapientissimæ rei præclarum exemplum exhibet *L. Barbarius Philippus D. de offic. Prætor.*: tantum fidei publicæ tributum, ac tranquillitati omnium. Hanc ipsam mentem beneficentissimo nostro Principi insedisse, ejus edicta, præcipue illud anni 1769., quo frenum injicitur acquisitionibus Locorum Piorum, demonstrant.

Sed si qui adhuc scrupulus reliquus est, en in medio pro reo convento S. C. Senatus vetustissima res judicata semper observata, ex qua etiam diluitur objectum defectus Pontificii assensus. Cum enim anno 1574. Rector Beneficii S. Mariæ de Vesula, Joannes Angelus de Julianis petiisset, rescindi debuisse emphyteusim, de qua controversia est, quod Pontificius assensus non fuisset impetratus, & quod eo contractu læsa Ecclesia fuisset, atque per vicennium lis perdurasset, tandem rite judicio peracto, anno 1594. prodiit sententia, qua fuit reus absolutus, solum adaucta canonis præstatione ad ducatos nonaginta. Et facile deprehenditur, quæ fuerit canonis adaugendi ratio, si perpendatur in illo emphyteusis contractu initum pactum, ut quoties undetriginta annorum curriculum effluxisset, renovanda emphyteusis esset, atque fundi valor æstimandus, ut ejus, quod pluris æstimaretur, medietas Rectori Beneficii, alia medietas emphyteutæ cederet: & jam cum decisio prolata est, effluxerant anni undetriginta, & hujusmodi sententia fuit confirmata, & publica scriptura per partes executioni demandata, ut nulla per fere duo sæcula alia contentio orta sit: cujus rei fides ex exhibito per Regium Abbatem authentico monumento eruitur. Igitur hac in re non licebat amplius disputare, aut judicium instaurare, vetantibus id *Legibus* 32., *&* 56. *D. de re judic.*, & *L.* 1. 2., *&* 4. *C. eod. tit.*

Nec his obsistit, quod per Regium Abbatem dicitur, hujusmodi sententiam nunquam rei judicatæ vim habuisse, quia expressis juribus adversa, ex allegata *L. unic.*, *D. quæ sentent. sine appell. rescind.* Primo, quia nulli juri adversatur, aut adversari præsumenda est, actis enim illius judicii caremus: tum etiam, quod objecta lex licet caveat, judicia contra sacras constitutiones prolata, appellatione non indigere, subjicit tamen, tum demum contra constitutiones judicari, cum de jure constitutionis, non de jure litigatoris pronuntiatur, atque exempla profert: & id ipsum *L.* 32. *D. de re judic.* constituitur. Atque tanta est rei judicatæ sanctitas, ut si per aliam ei fuerit derogatum, prima semper consistat; alias, ut inquiunt leges, nullus esset litium finis. Nostris etiam legibus id obfirmatur, nam adversus decreta præsidium relinquentes, ut nulla dici possent, sex dierum spatium indulgent, dummodo arguantur prolata contra expressum casum legis, vel publicam scripturam jam exhibitam.

Nec hujusmodi res judicata novationem ex voluntate partium recepit, ut elici videtur ex decreto Curiæ, quin novum, si novo opus erat, robur sumpsit. Plures enim transactiones inter Rectores ipsius Beneficii, & emphyteutas subsequutæ sunt, sed super majori, vel minori incremento pensionis, quas dubias anceps rei nova æstimatio, vel alia, quæ de mente primorum contrahentium excitabantur, faciebant post curricula undetriginta annorum juxta contractum anni 1554. Atque in his omnibus transactionibus semper transigentes memorant, sequuntur, ac obfirmant legem contractus, ac rem judicatam, tantum abest, ut ne latum quidem unguem discesserint. Hæc & alia, quæ brevitatis studium omittere suggerit, impulerunt ad reum absolvendum.

In

In causa redintegrationis Regii patronatus in Collegiatam Ecclesiam S. Bartholomæi de Avezzano. Die 7. Aprilis 1781.

Publica monumenta Regium juspatronatus recte probant.

Præscriptioni non subjacet Regium jus patronatus; nec cum feudi concessione concessum dici potest, nisi expressim in investitura de eo fiat mentio.

AB anno 1766. in Curia Capellani Majoris instituta lis fuit de redintegratione Regii patronatus in Collegiatam Ecclesiam S. Bartholomæi de Avezzano in Marsicana Diœcesi positam. Franciscus Marianus primum, deinde Abbas, & prædictæ Ecclesiæ Collegiatæ Canonici, Promotor denique Fiscalis Regiæ Coronæ exequutionem prædictæ redintegrationis rite petierunt. Vocatus in judicium fuit Magnus Comes Stabuli D. Laurentius Columna, tamquam injustus prædicti patronatus possessor. Eo audito, ac probationum termino præstituto, intra ejus spatium plura documenta a Partibus fuerunt exhibita. Pluribus etiam Divalibus litteris ejus controversiæ definitio inculcata fuit. Hinc Regalis etiam Coronæ Advocatus petiit libello suo, ut in prædictam Ecclesiam Regius patronatus redintegraretur, eaque Principi restitueretur, cum omnibus ipsius bonis, ac pertinentiis, ac præsertim cum jure electionis Abbatis, & Canonicorum, quotiescum locus electioni foret.

Documenta ejus patronatus demonstrandi gratia exhibita summam & brevitatem, & perspicuitatem habent. Nam in Caroli II. Andegavensis regestro, quod in Regiæ Siclæ tabulario asservatur, inter Ecclesias ad Regiam collationem spectantes refertur etiam Ecclesia S. Bartholomæi de Avezzano. In libro quoque Beneficiorum Regiæ collationis Regis Roberti ævo, qui in eodem tabulario extat, ita legitur: *Rex Robertus tamquam Patronus dictæ Capellæ præsentavit Firminum Scotti in Rectorem. Hæc Ecclesia S. Bartholomæi de Avezzano Marsicanæ Diœcesis est Collegiata, & spectat ad Regem jure patronatus, seu præsentationis, & pluries fuit litigatum inter Regem, & Episcopum super electione Rectoris. Cumque dictus Episcopus Marsicanus nollet admittere dictum Firminum Scotti per Regem Robertum præsentatum, Rex ipse hortatus est dictum Episcopum, ut præsentatum admitteret, cum Episcopus jurium Regalium non debeat esse impugnator, sed defensor.*

Hoc

Hoc autem probationis genus in dubium revocari non potest. Quæ enim in publicis tabulariis referuntur, juris & facti certitudinem habent; aliter in ejusmodi libris locum non invenirent. De eis dubitari non finit publica auctoritas, cujus jussu publica tabularia instituuntur, & asservantur. Hinc de scripturis in ejusmodi libris descriptis ita edicit Marcellus in *L.* 10. *ff. de probat.*: *Monumenta publica potiora esse testibus Senatus censuit*. Cum jure civili jus quoque Pontificium in ea re consonat in *cap. Cum causam, de probat.* Ibi enim Honorius III. aperte definit res antiquas antiquorum librorum testimonio confirmari. Opportune igitur ibi Glossa advertit: *Nota ergo, quod scriptura librorum antiquorum faciat fidem*. In eamdem cum Glossa sententiam conveniunt passim Doctores. Instar omnium sint *Card. de Luca de jure patron. disc.* 57. *n.* 13. *de præemin. disc.* 2. *n.* 14. *& disc.* 3. *n.* 10. *Lambertin. de jure patron. lib.* 2. *p.* 2. *in* 4. *art. decimæ quæst. n.* 13. *Cassan. in Catalog p.* 10. *consid. de patron. Reg. Coron. cap.* 34. *n.* 5. Plures per *Salgad. de protect. Reg. pat.* 3. *cap.* 10. *n.* 240. 274. 277.

Jam vero controversus patronatus inde firmatur etiam, quod contradicto veluti judicio confirmatus fuit. Firmino enim Scotto electo per Principem, contradictione Marsicani Episcopi insuper habita, Abbas per Robertum electus fuit institutus. In liquido constat in ejusdem Roberti Diplomate 2. Septembris anni 1338. In eo scilicet in supplici Firmini libello ejusmodi preces occurrunt ad Principem: *Sane Presbyter Firminus Scotti Capellanus, familiaris & fidelis noster nuper exposuit, quod ipse Ecclesias S. Bartholomæi de Avezzano, & SS. Bartholomæi, & Restitutæ de pertinentiis Castri Murræi Soranæ Diœcesum, in quibus nostræ Curiæ jus competit patronatus, quasque ad præsentationem nostram obtinet jam annis septem, tenuit, & possedit pacifice & quiete, sed queritur, quod nonnulli de novo ipsum super possessione prædictarum Ecclesiarum, & earum fructuum perceptione, turbant indebite, & multipliciter inquietant*. Ab eo igitur ob prædicta incommoda Princeps interpellatus, ut porro sine cujusquam turbatione possidere pergeret, in ejus favorem expediit litteras *conservatoriales*, quas vocant.

Ea-

Eadem de re dubitari non finit monumentum aliud ab ipso Magno Comite Stabuli exhibitum. Nimirum inde liquet, anno 1416. Reginam Joannam II. jure patronatus in controversam Ecclesiam Neapolitanis Principibus competentis, ejusdem Ecclesiæ nominasse Rectorem Marianum de Rocco; ea enim vacaverat ob renunciationem Jacobi de Rocco; præsentationem vero a Regina factam nulla cum controversia admisisse Marsicanum Episcopum, & ab eodem institutionem Mariano de Rocco collatam.

Cum igitur de Regio in prædictam Ecclesiam patronatu tam liquido constet, Curia censuit, Regalem Coronam in ejus possessionem redintegrari oportere. Neque vero quæ pro se attulit Magnus Comes Stabuli Columna quicquam obstant intentioni Fisci. Quod enim ad præscriptionem ab eo oppositam, asserendo decessores suos ejus Ecclesiæ nominasse Canonicos duorum ferme sæculorum spatio, atque ab anno tantum 1692. nominasse Rectorem; per se liquet, ejusmodi nominationes quoad tempora non uniformes ab usurpatione Regii juris promanasse, seu ob absentiam Neapolitanorum Principum, seu ob publicorum Magistratuum negligentiam. Sed & id genus actus Regiæ Coronæ obesse nequeunt, neque ad præscriptionem prodesse possunt, nam, ut passim in Europa alibi, jus Neapolitanum quoque, ac præsertim novissimæ Faustissimi Ferdinandi leges Regios patronatus præscriptioni subesse vetant.

Futilis etiam videri debet Magni Comitis Stabuli exceptio, Joannam II. scilicet non jure Regio nominasse, sed tamquam Albæ Comitem; inde autem fieri controversæ Ecclesiæ patronatum non Regium quidem, sed feudalem esse, ac cum ipso Comitatu Albæ conjunctum; se vero tamquam hodiernum Albæ Comitem nominare oportere. Primo enim Joannæ legitimæ Regni Neapolitani Reginæ perperam tribuitur Comitis titulus, quasi eum Comitatum feudali jure possideret. Cum enim illa summum imperium exerceret, nominabat in Albæ Ecclesia jure Regio, neutiquam vero Comitis. Ejus igitur patronatus Regius, non feudalis erat. Sane

ne feudorum instituto repugnat, fui ipsius Reginam feudatariam fuisse; exploratum est enim ad feudale servitium obligari Barones: proinde cum nemo sibi servire queat, si quid est in immediata Principis possessione, feudi naturam habere non potest. Eo accedit, quod ante Reginam Joannam idem patronatus pertinuerat ad Robertum, ejusque patrem Carolum II. Andegavensem: ii vero controversum patronatum exercuerunt jure non feudali, sed Regio. Id etiam vel inde liquet, quod prædictus patronatus in antiquis regestris, non tamquam feudalis, sed Regius describi solet.

Quod vero additur, controversum patronatum in Comitem Stabuli fuisse translatum cum Comitatu Albæ, absurdum etiam censeri debet. Nimirum Regii patronatus aliorum Regiorum jurium exemplo a Regali Corona divelli nequeunt. Saltem, ut id fiat, oportet, ut speciali concessione in alterum transferatur. *Capyc. Invest. Feud.*, verb. *Cum juribus patronatus. Choppin. de Deman. Gallic. lib.* 3. *tit.* 20. *n* 1. *Cardos. Os. de patronat. Reg. resol* 84. *n*. 2.; quamvis vero quindecim ab hinc annis lis de patronatu sit instituta, specialis isthæc concessio nusquam fuit exhibita. Hinc Curia, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Ecclesiam Collegiatam S. Bartholomæi de Avezzano, fuisse, & esse de Regio patronatu; proinde Regalem Coronam redintegrandam in ejus patronatus possessionem, cum omnibus ipsius bonis, juribus, prærogativis, & quibuslibet pertinentiis; in jus quoque eligendi Abbatem, seu Rectorem, & Canonicos ejusdem Ecclesiæ, quoties occasio tulerit: Præterea ad conservationem Regiorum jurium prædictam Ecclesiam describendam esse in libris Curiæ inter alias Ecclesias, in quas jus patronatus Principi competit. Quod autem ad petitam redintegrationem molendini Moscini positi in Avezzani territorio in favorem prædictæ Ecclesiæ, quod etiam ad deducta per Magnum Comitem Stabuli de prætensa unione quorumdam beneficiorum simplicium ad suum patronatum pertinentium cum dicta Ecclesia S. Bartholomæi, Partes informent ad finem providendi.*

In

In causa Regii patronatus in Abbatiam, & Monasterium S. Joannis in Flore. Die 28. Aprilis 1781.

Regiæ Coronæ Patronus usque ab anno 1774. actionem instituit, eaque petiit, ut cum Abbatia Divi Joannis in Flore, tum Ecclesia & Monasterium Cisterciensium ejusdem tituli ad Regium patronatum pertinere declararetur, ob perspicuitatem documentorum, quæ in actis prostant. Nunciata actione per citationes edicto expeditas omnibus, quorum interesse posset, judicio adsuerunt Jacobus Philomarinus prædictæ Abbatiæ Commendatarius Abbas, ac Procurator prædicti Monasterii Cisterciensis Ordinis; neuter tamen quicquam allegavit, quo Coronæ Regiæ Advocati actio repelli posse videretur. Ita, pluribus exactis annis, neque adversus intentionem Fisci productis scripturis ullis, petitum libello est; ut de tota re decerneretur.

Ex Ecclesiæ fundatione, & dotatione jus patronatus derivatur.

Ex documentis pro Fisco exhibitis aperte patuit, Abbatiam S. Joannis in Flore sub sæculi XII. finem fundatam fuisse ab Imperatore Henrico VI., ab eodem etiam magnifice fuisse dotatam bonis, quæ pertinebant ad Fiscum, ac præsertim ingentibus prædiorum spatiis apud Silam Consentiæ, quæ & ipsa in Regum Neapolitanorum demanio erant: eam liberalitatem Imperatorem exercuisse ob preces Abbatis Joachimi, qui in eo Monasterio primus novum Ordinem Florensem instituit, cum post mortem Guilielmi II. idem Henricus ad jura tuenda uxoris suæ Constantiæ in Regnum Neapolitanum venit, ut inde Tancredum injustum possessorem expelleret. Indidem quoque constitit, prædictam Imperatricem Constantiam post Henrici obitum & ratas habuisse concessiones prædicto Monasterio factas, atque illud in suum mundiburgium recepisse; ejus etiam successorem Fridericum II. non tantum confirmasse concessiones Augustissimorum Parentum, sed & addidisse suas, pluribus Principatus rebus translatis in Monasterium: in ejusmodi vero translationibus declarasse semper, se eam cum Monasterio liberalitatem exercere, quia opus suorum Progenitorum erat, a quibus extru-

ctum ac dotatum fuerat, & quia eorum pietas jure veluti hereditario fuerat in se transmissa. Præterea inde constitit, ad Reges Andegavenses translato rerum arbitrio, prædicto Monasterio & veteres confirmasse concessiones, & suas etiam addidisse: in suis vero concessionibus itidem declarasse, eo se devenire, quia a decessoribus suis Monasterium fuerat extructum. Id autem insequentia documenta probant.

In actis fuit exhibita sententia prolata mense Jonio anni 1199. a Bonhomine Consentino Archiepiscopo, Riccardo Abbate S. Euphemiæ, Guilielmo de Bisiniano, & Alexandro Guilelmi filio Vallis Cratensis Justitiariis, in eam rem delegatis a Bartholomæo Panormi Archiepiscopo, qui cum ea facultate a Principe mandatum acceperat. Inde liquet, Græcos Monachos, trium SS. Puerorum Monasterium incolentes, vi armata invasisse magnam territorii prædicti partem apud Silam, Consentiæ Abbati Joachimo ab Henrico concessi, ac præter alias violentias, ipsum Monasterium, ejusque officinas fuisse deprædatos. Ea de re Joachimus conquestus apud Principem obtinuit, ut ejus jussu Panormi Archiepiscopus opportune de justitia provideret, ac reos puniret; litteris autem mandati ad controversias præcavendas ei edicitur, *quod cum Dominus olim Imperator a partibus istis recedens versus Apuliam prima vice tenderet, transeunte ipso per partes Calabriæ, ad supplicationes prædicti Ven. Abbatis Joachim, & Confratum ejus, quoddam tenimentum eis concessit, facto exinde privilegio suo.* Eidem Archiepiscopo patefit post Imperatoris obitum, in Siciliam migrante ejus augusta conjuge Constantia, prædictos Græcos Monachos eis occurrisse declarantes, ejus territorii per Imperatorem Joachimo concessi partem ad se pertinere; in ea vero controversia cum a Græcis Monachis nullum instrumentum productum esset ad intentionem suam firmandam, *sic tandem per prædictæ Dominæ Imperatricis Curiam jam dictum tenimentum prænominato Ven. Abbati Joachim sententialiter adjudicatum est, & per ejusdem privilegium sibi perpetuo confirmatum.* Principis igitur mandatum exequuturus Panormi Archiepiscopus, subdelegavit quatuor prædictos Judices, ut & de causa co-

cognoscerent, & de justitia providerent. Ii vero, causa cognita, Græcos Monachos alieni invasores expulerunt, ac possessionem Abbati Joachimo, ejusque Monasterio restituerunt, *dantes perpetuam saysinam juxta mandatum ipsum Vener. Abbati Joachim, & Monasterio ejus, totius tenimenti, & locorum, de quibus quæstio vertebatur inter Monasterium Floris, & Monasterium SS. trium Puerorum, secundum quod concessum ei fuerat a Domino Imperatore, & confirmatum a Domina Imperatrice per privilegia sua*.

Extat privilegium quoque Friderici II. mense Martii anni 1200. eidem Abbati Joachimo concessum. Is in supplici libello suo exposuerat, *quod in loco, qui dicitur Caput album in extrema parte Sylæ, quæ adjacet Civitati Consentiæ, quia ob maximam congeriem nivium, quæ fit ibi singulis annis, valde efficitur ibi difficilis, & periculosus accessus, fecerat quoddam receptaculum ad refugium tam Fratrum suorum, quam ceterorum, quos causa similis ea parte transire compellit*. Cum igitur perpendisset ejus operis incrementum maxime profuturum, Regem rogavit, ut copiam ei faceret ædificandæ Domus Instituti sui, & quod aliis concedebatur sub annuo reditu, Religiosis concederetur Deo servituris ab omni coactione, ac molestia Bajulorum immune. Rex autem Fridericus breviter ita præfatus: *Nos igitur, qui in fovenda religione Domus tuæ, paternæ, & maternæ munificentiæ, atque delectionis, jus hereditarium possidemus*, ipsi, ejusque successoribus concessit *liberam potestatem ædificandi in præfato loco, qui dicitur Caput album, Domum Religionis ad honorem, & utilitatem multorum, & eidem Domui liberam possessionem adjacentem ipsi loco per spatium mille passuum tam in longitudine, quam in latitudine sua*, ab omni collatione immunitate concessa.

Aliud adhuc privilegium extat ejusdem Friderici jam Imperatoris Basileæ scriptum ad supplicem libellum Matthæi novi Abbatis S. Joannis in Flore mense Aprilis 1229. In eo concessit, ac perpetuo confirmavit prædicto Monasterio *Grancias, quas habet in tenimentis Cherentiæ, Cusentiæ, & Cutroneorum, videlicet Bardò, Fluco, Canalem cum Bottulo, & locum,*

qui dicitur Albe, cum vineis, arboribus, terris, molendinis, aquis, silvis, virgultis, & aliis utilitatibus, & pertinentiis suis. Concessit quoque, eique perpetuo confirmavit *culturam Barani, quæ est in tenimento Monticini: & quod libere & absque ulla exactione possit cavare, & percipere mineram ferri per omnes mineras Calabriæ*. Postremo post remissionem feudalis servitii ratione multarum rerum, quæ Monasterio oblata fuerant, id se facere declaravit *pro remedio animarum Divorum Augustorum Parentum nostrorum b. m., qui Monasterium Beati Joannis de Flore pia donatione beneficiis suæ munificentiæ dotaverunt, sicut in suis privilegiis plenius esse dignoscitur*.

Aliud occurrit etiam privilegium ejusdem Friderici scriptum in Castris apud Oppidum Divi Petri in Territorio Bononiensi mense Octobris anni 1220., in quo ita præfatur: *Sane cum Monasterium Floris in Syla Calabriæ a Divis qu. Parentibus nostris plantatum decenter, latitudine prædiorum, ac utilitate libertatum, & usuum perpetuitate rigatum, dante Deo piis actis incrementum, sacræ Religionis odorem, & propaginis ubertatem ad salutem suorum ediderit fundatorum: Nos qui paternæ gloriæ Deo cooperante successimus erga tantæ pietatis opus paternum jure propositum, devotionisque studium imitamur, & plantationem, quam dictorum Illustrium Augustorum religiosa pietas propagavit, tertio nostræ gratiæ titulo, velut pernecessario utilitatis fomento complectimur, ut quia funiculus triplex difficile rumpitur, cum illorum auctoritate nostræ confirmationis agglutinata soliditas nullo umquam tempore dissolvatur*. Hinc ad preces Abbatis, & Monasterii S. Joannis in Flore ei concessit, confirmavitque possessiones, largitiones, atque immunitates, quas a Parentibus suis, aut a se acceperat, aperte cavens, ne quid ei officeret generalis revocatio a se facta in Regno quarumdam veterum concessionum respectu. Bonis autem donatis enunciatis, præter alia, quæ sequuntur enumeravit: *In primis locum ipsum, qui nunc Flos, olim vero dictus est Faraclovus, cum terris laboratoriis & incultis, aquis quoque, & sylvis, planitiis, & montaneis adjacentibus eidem Monasterio, Tenimentum Fluce situm in maritima Calabria inter flumen Netum, & flumen Vittabrum,*

brum, cum Ecclesia, & Grancia ibi constitutis. Per totam quoque Calabriam libera pascua pro animalibus suis absque herbatico & glantatico, & libere ac sine ulla exactione salem per omnes salinas, & venam ferri per omnes meneras Calabriæ cavare, atque percipere. Reditum etiam quinquaginta Bisantiorum aureorum de salina Neti annis singulis percipiendorum. Granciam quam habet in tenimento Gherentiæ in loco, qui dicitur Albe, prope Casale Bardò. Terram quoque laboratoriam de demanio nostro, ad salmatas duas prope ipsam Granciam. In tenimento Causentiæ Granciam canalis, & tenimentum, ac locum Bottuli. In tenimento fluminis frigidi Monasterium fontis laureati, cum Granciis, tenimentis, & pertinentiis suis. In tenimento Barbari Monasterium Aquæ vivæ, cum Granciis, tenimentis, & pertinentiis suis. In tenimento S. Severinæ Monasterium Calabromariæ, & quidquid nobis jure patronatus, aut alio quocumque modo pertinuit. In tenimento quoque Gherentiæ Monasterium Calabriæ, cum Granciis, tenimentis, & pertinentiis suis, & Ecclesiam Montis Marci cum suis pertinentiis.

Exhibitum quoque fuit aliud ejusdem Principis privilegium iisdem in Castris eodem Octobre anni 1220. scriptum: in eo autem animi sui sententiam ita declaravit: *Debitis ceterarum Ecclesiarum Regni nostri beneficiis per gratiam piæ devotionis, & innatæ compassionis intendimus: sed Monasterium Floris, quod solum in Siciliæ Regna fundatum Dominus Imperator Pater noster, & Domina Imperatrix Mater nostra b. m. dotare præmiis, & privilegiis specialiter elegerunt, hereditaria pietate, velut quadam solvendi successione, tueri, regere, & relevare debemus.* Hinc ad preces Matthæi Abbatis, & Monasterii Divi Joannis in Flore, ei concessit *in perpetuum libere & sine ullo servitio, ac in capite feudum, quod in Gherentia, & Caccurio tenuit, & possedit qu. Rogerius Saracenus, de quo Rogerio non est heres.* Præterea ei concessit, & confirmavit *culturam Barani juxta tenorem privilegii a nostra ei dudum majestate indulti: similiter omnes possessiones, quas Gismundus filius Ragonis Battalla quondam habuit in Cusentia, & tenimento Civitatis ejusdem.*

Allegatum etiam in judicio fuit aliud ejusdem Principis pri-

privilegium ſcriptum Brundusii menſe Martii anni 1221. Eo declaravit Fridericus, quod quamquam Divalibus ſuis litteris exemiſſet a lege generalis revocationis in Curia Capuæ habita Florenſe Monaſterium, & Conventus inde deductos; attamen Matthæus Abbas, ac prædictum Monaſterium, cum privilegiorum veritati confiſi, tum munificentiæ, & liberalitati ſuæ, privilegia exhibuerant Abbati Joachimo ab Henrico, & Conſtantia ſuis parentibus conceſſa. Hinc deſcriptis bonis omnibus prædicto Monaſterio ejuſmodi privilegiis conceſſis, ea confirmavit auctoritate ſua, *ſalvo*, inquit, *mandato, & ordinatione noſtra*.

Productum etiam in actis fuit aliud Friderici privilegium Meſſanæ ſcriptum menſe Junio anni 1221., quo ſuperioribus conceſſionibus Florenſi Monaſterio factis, confirmatis, *in favorem inſuper Religionis ipſius, pro ſalute, & gloria fundatorum, ac honore noſtræ gratiæ paternum opus & propoſitum imitantes*, ei conceſſit jus aſyli, *ut quicumque intra ſepta, & clauſuras Florenſis Monaſterii, & Eccleſiarum ejus confugerit, a violenta captione, & invaſione temeraria ſit ſecurus*. Præterea ei conceſſit *Curiam, ſive Forum, & emendationem de univerſis exceſſibus, qui intra fines poſſeſſionis ſuæ de Syla indebite præſumuntur, præterquam de homicidio, de mutilatione membri, de ſanguine, ac de iis, quæ crimen læſæ Majeſtatis reſpiciunt, ſalvo mandato, & ordinatione noſtra*.

Aliud Friderici privilegium in actis extat ſcriptum e Caſtris in obſidione Jati menſe Julio anni 1222. Ibi memoravit expoſtulationes Abbatis, & Monaſterii S. Joannis in Flore, *quod cum per privilegia Auguſtorum Parentum noſtrorum memoriæ recolendæ, & noſtra, tenimentum in Syla Calabriæ, in quo eorum Monaſterium ſitum eſt, & poſſeſſiones alias ipſis privilegiis comprehenſas cum omni libertate poſſideant*, quidam Eccleſiarum Prælati, aliique ſæculari potentia armati homines injurias eis intulerant, eiſque controverſiam contra privilegiorum libertatem fecerant. Ob eas vero querelas ſibi delatas Fridericus ita decrevit: *Nos itaque, qui paternæ gloriæ, Domino annuente, ſucceſſimus, Regni noſtri Eccleſias & ſpecialiter Domum Floris, ſo-*

solam in Regno Siciliæ Illustrium Augustorum Parentum nostrorum pia liberalitate fundatam, manutenere, fovere, & tueri volentes: districte mandamus, & firmiter præcipimus universis Regni nostri Fidelibus, ut nullus super ipso tenimento de Syla Fratribus dictæ Domus molestiam aliquam inferre præsumat, jus proprietatis aliquod, vel antiquam laborandi, seu pascendi consuetudinem requirendo; quia cum de tota Syla idem tenimentum, pars de toto, usui Servorum Dei, & divino sit cultui sequestratum, tunc a communi universorum usu, & omni onere, ac servitio sæculari subductum est, liberatum pariter, & exemptum per Illustres dicti Monasterii fundatores, qui habuere plenam de omnibus potestatem.

Productum est denique ejusdem Friderici privilegium iisdem in Castris scriptum mense Augusti ejusdem anni ad Justitiarios, & Camerarios Calabriæ, & Vallis Cratensis, quo Monasterio S. Joannis Florensis concessit immunitatem a Foro civili, cum aliis de causis, cum quia *Parentes nostri divæ recordationis Augusti Monasterium Floris pia & liberali devotione fundarunt*, & *paternum opus singularis prærogativa gratiæ tenemur prosequi cum augmento*.

Productum etiam in judicio fuit edictum Roberti Regis diei 24. Decembris anni 1333., quo fines constituit Regiæ Sylæ Consentinæ, ut præcaveret ejus latissimi territorii occupationes. Per eam autem occasionem Rex ita declaravit: *Ac intra prædictos fines Monasterium Floris habet quoddam tenimentum datum sibi per qu. Henricum Imperatorem VI. per fines in suo privilegio designatum.*

Productæ sunt quoque litteræ Reginæ Joannæ I., ejusque conjugis Ludovici 5. Januarii anni 1346. scriptæ ad Justitiarios & Perceptores Calabriæ, & Vallis Cratensis. Iis vero cautum, ut quavis contentione remota, Florensi Monasterio satisfieret *de annua provisione Bisantiorum de auro quinquaginta stabilita eis certo modo per Antecessores nostros Catholicos Reges Siciliæ, & per nos etiam per speciales nostras litteras confirmata*.

Ejusdem quoque Reginæ aliæ extant litteræ diei 19. Januarii anni 1346. ad interpellationem Abbatis Florensis, cui vis

vis inferebatur in bonis, quæ ad Monasterium pertinebant. Iis autem Joanna edixit, se obligari ad tuendas Ecclesias, *ac præsertim Monasterium supradictum, quod fuit, & est opus manuum Progenitorum nostrorum Illustrium, ut præfertur*. Sub suam igitur tutelam recepit Monasterium cum suis Granciis, ac bonis, districte prohibens, ne qua vis ei in possessione fieret. Aliis vero litteris haud multo post scriptis eidem Monasterio quotannis persolvi jussit memoratos Bisantios auri quinquaginta, *vel eorum valorem in carolenis argenti boni, & justi ponderis sexaginta per unciam computatis, ascendentem ad summam unciarum auri decem, juxta præsentem declarationem nostram, ponderis supradicti*.

Denique exhibitum etiam in judicio fuit Alphonsi Aragonii Diploma anni 1445., quo Monasterii fundationem enarrans a Principibus decessoribus suis extructi, & complurima privilegia ei concessa, eique in exemplaribus suis exhibita, ea plenissime confirmavit. Id ipsum quoque factum ab ejus filio Ferdinando Diplomate anni 1459., ubi inserto Alphonsi patris sui Diplomate, illud ratum habuit, pariterque confirmavit.

His ita præstitutis, allata quidem monumenta de Regio in Florense Monasterium patronatu dubitari non sinunt. Exploratum scilicet in jure est ob fundationem, ac dotationem, privato cuilibet jus patronatus competere. Id igitur potiori jure in Florense Monasterium ad Principem pertinet, quod aperte liquet a Principibus Neapolitanis fundatum esse, atque non nudis tantum privilegiis auctum, sed & ipsis Principatus bonis opulenter fuisse dotatum. Dotis autem magnitudinem ei Monasterio per Neapolitanos Principes constitutæ, ne singula percenseantur, solum Regiæ Sylæ Consentinæ territorium eidem concessum facile ostendit. Id enim patet præter propter passuum millia quadraginta. Ambitu vero suo complectitur pascua, defensas, prædia culturæ apta, vineas, flumina, aquas, aquarumque decursus. Id autem ex actis constat, & verissimum compertum fuit anno 1660., quo tempore jussu Regio totius Regiæ Sylæ, ejusque partis Monasterio concessæ, fines descripti fuere. Enim-

Enimvero insigne Florense Monasterium a Principibus Neapolitanis tanta liberalitate fundatum, per summam injuriam fundatoribus suis ablatum, a Romana Curia commendatum fuit saeculo XV. Per eam commendationem factum, ut Abbates Commendatarii Monasterii reditus sibi asseruerint; alimentis autem privati Monachi Monasterium dereliquerint. Indidem quoque factum, ut Abbates ampliores percepturi reditus ex latissimis Commendae praediis, finitimorum locorum cultores eo acciverint, annuum exigentes censum ob solum novis incolarum domibus destinatum. Quotidie autem novis incolis eo migrantibus, latus vicus ibi constitutus, qui hominum ferme sex millia ambitu suo complectitur, Sanctus Joannes in Flore dictitari solitus. Id vero factum cum magno Regiae Sylae detrimento, cujus luci per novos illos colonos quotidie imminuuntur.

Porro temporibus mox insequutis in veteri Florensi Monasterio sedes sibi constituerunt Cistercienses Monachi, Ordinis quidem ab eo diversi, qui ab Abbate Joachimo constitutus fuerat, & cui Regales concessiones factae. Nec multum tamen profecerunt Monachi Cistercienses sub Commendatariorum regimine, a quibus vix accipiebant quod vitae tolerandae sufficeret; donec sub Pio V. mensa Monachalis a mensa Abbatis Commendatarii separata fuit, qui per id temporis erat Cardinalis Sanctae Severinae. Exinde extitit, & hodie existit in praedicto Florensi Monasterio Fratrum Cisterciensium Conventus, & ad suam sustentationem reditus separatos habet. Sed extant etiam Abbates Commendatarii per Romanam Curiam renunciati, quorum reditus pertingunt ad ducatorum ferme quatuor millia.

Cum igitur tam liquido constet de fundatione, dotatione Florensis Monasterii per Principes Neapolitanos facta, Curiae Ill. & Rev. Dom. Capellani Majoris visum, in ipsum, ejusque dependentias jus patronatus ad Principem pertinere: in ejus vero possessionem Regiam Coronam redintegrari oportere. Curiae quoque visum ad Principem pertinere electionem Abbatis in singulis vacationibus, quousque eam commenda-

tionem a mente fundatorum alieniffimam tolerare velit. Quousque etiam Cifterciensem Ordinem ibidem tolerare velit, eundem Principem Miffos Dominicos defignare poffe, qui in electione Abbatis Clauftralis pro ipfo Principe partes fuas interponant. Hinc tota de re, cum voto Domini Regii Confiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Confultoris, ita pronunciavit: *Monafterium S. Joannis in Flore in Calabria fitum in territorio Regiæ Sylæ Confentinæ fundatum & opulenter dotatum a Neapolitanis Principibus fuiffe, & effe de Regio patronatu; proinde Regiam Coronam in ejus poffeffionem, una cum bonis, feudis, Granciis, Ecclefiis, privilegiis, pertinentiis quibufcumque, redintegrari oportere fecundum primævam naturam fuam. Ad Principem etiam, ejufque in Regno fucceffores pertinere jus eligendi Abbatis Commendatarii in fingulis vacationibus, quandiu ei placuerit Abbates Commendatarios ibi tolerare, eofque bonis Regii demanii perfrui: ad Principem pariter pertinere partes fuas interponere in electione Abbatis Clauftralis per Miffos Dominicos a fe deputandos, quandiu ei in animo fuerit, Cifterciensem Ordinem potiri reditibus, qui pro Florenfi Ordine deftinati a Principibus Neapolitanis fuerunt. Quapropter ejufdem Curiæ juffu prædictum Monafterium, & Abbatia S. Joannis Florenfis defcribatur in libris Curiæ inter alias Ecclefias, Monafteria, & Abbatias Regii patronatus. Salvo tamen jure Principis vindicandi, fi velit, Regio demanio bona generatim omnia in memoratis conceffionibus comprehenfa ob extinctionem in Regno Florenfis Ordinis, cum quo Neapolitani Principes liberalitatem fuam exercuerunt.*

In caufa D. Jacobi Migliaccio cum D. Joanne Baptifta Cigala Principe Tirioli fuper Abbatia Sanctæ Mariæ vulgo dicta delle Scalelle. *Die 2. Junii 1781.*

Jus patronatus feudo cohærens, immediate Baroni, mediate vero Regi cōpetere dicitur. Feudo autem devoluto,

JAcobus Migliaccio Regiæ Cameræ denunciavit, Abbatiam S. Mariæ, vulgo dictam *delle Scalelle*, in territorio feudi Tirioli pofitam, ad Regium patronatum pertinere. Ei fe oppofuit D. Jo: Baptifta Cigala Tirioli Princeps contendens, ejus Abbatiæ patronatum ipfius feudo cohærere. A providen-

dentissimo Rege Ferdinando mandatum Curiæ Capellani Majoris, ut eam controversiam sententia sua definiret.

Ita Partibus auditis, & productis documentis perpensis, primo constitit, Baroniam Tirioli, Cimiliani, & Roccæ Fellucca sæculo XV. ad antiquos Catanzarii Comites pertinuisse, eosque jus patronatus in controversam Abbatiam exercuisse: eodem vero sæculo ob perduellionem prædictorum Comitum, eorum feuda omnia per Alphonsum I. Aragonensem publicata fuisse; anno quoque 1481. Tirioli, & Cimiliani feuda a Catanzarii Comitatu fuisse decerpta, ac Sabato Carafa vendita; Galeottum Carafa, qui in Baroniam Tirioli successerat, quo jure maximo ad Catanzarii Comites pertinuerat, præsentis controversiæ causa articulos instituisse, ac multos produxisse testes, qui unanimi consensu fidem fecerunt, Catanzarii Comites Galeotti decessores ejus Abbatiæ causa Rectorem nominasse, quoties eam vacare contigisset.

etsi patronatus ipse omnino Regius evadat; cum tamen feudum denuo concedatur, simul eum omni causa, & juribus patronatus; Idem patronatus jus feudo denuo cohærere constat, atque ad possessorem immediate, mediate vero ad Principem spectare.

Præterea constat, die 1. Julii anno 1499. prædictum Galeottum Comitatum Terræ Novæ a Rege Friderico Aragonensi emisse, ejusque contractus causa Regiæ Curiæ cessisse Baroniam Tirioli per id temporis a se possessam: sub initio vero sæculi XVI. per Ferdinandum Catholicum subacta Calabria, & cum ea Comitatu etiam Terræ Novæ, a prædicto Rege eumdem Terræ Novæ Comitatum Consalvo Ferrando concessum, qui celebritate sua Dux Magnus est appellatus. Expulsis e Regno Gallis, Galeottus Carafa eo Comitatu a Ferdinando privatus, ipsius restitutionem a Rege petiit. Ita æquitatis ostendendæ causa Ferdinandus, cum Terræ Novæ Comitatus Magno Duci concessus esset, ut indemnem Galeottum servaret, Diplomate suo 20. Februarii anni 1505. in Civitate Tauri in Hispania, Galeotto concessit, donavit Tiriolum, Roccam Falluccam, Cimilianum, Girifalcum, Calandam, Claramvallem, Philogasum, aliaque feuda, cum variis juribus, speciatim vero, cum *juribus patronatus ad Baronem spectantibus*, & cum titulo, & honore Comitatus jure tam optimo, maximoque, quam quo antea de Comitatu Terræ Novæ statuere poterat.

Conſtat quoque Galeottum deceſſiſſe, antequam prædictorum feudorum poſſeſſionem nanciſceretur. Ita Gurrellius eo prognatus a Ferdinando Neapoli agente ſupplici libello petiit, ut eorum nova conceſſio ſibi fieret. Rex igitur alio Diplomate ſuo in Caſtronovo 21. Februarii anni 1506. rem totam narrans eadem feuda denuo Gurrello conceſſit iiſdem cum juribus, quibuſcum Patri conceſſa fuerant; ac ſpeciatim *cum juribus patronatus ad Baronem ſpectantibus*. Conceſſit etiam Montiſpavonis Terram, his additis: *Fidelitate tamen noſtra, feudali quoque ſervitio, & adoha, beneficiis inſuper Capellaniarum, & juribus patronatus Regalibus, ſi quæ ſunt in dictis Terris, Caſtris, & locis, & collationibus earum, nobis, heredibus, & ſucceſſoribus noſtris in dicto Regno ſalvis, & penitus reſervatis*.

Liquet inſuper anno 1537. Ferdinandum Carafa Nucerii Ducem, prædicti Gurrelli ſucceſſorem, ad Abbatiam S. Mariæ Tirioli nominaſſe Cæſarem Schipanum; ejus etiam nominationis reſpectu in ipſius favorem Bullas Pontificias fuiſſe expeditas; prædictum vero Ducem Officiali Tirioli mandaſſe, ut ejus Abbatiæ poſſeſſionem Schipano daret, eique Abbatiæ reditus ſolvi curaret.

Conſtat itidem anno 1555. prædictum Schipanum ea Abbatia ſe ultro abdicaſſe; Pontificem vero Paulum IV. eam contuliſſe Franciſco Carafa, in Bullis addito, prædictam Abbatiam eſſe *de jure patronatus dilecti filii nobilis viri Ferdinandi Carafa Ducis Nuceriæ*; collationem quoque ea lege feciſſe: *dummodo dicti Ferdinandi moderni Ducis, ipſius Eccleſiæ Patroni, accedat aſſenſus*.

Ex prædictis etiam documentis liquet anno 1601., eadem Abbatia vacante, ob Franciſci Carafa mortem, novi Ducis Nucerii Balium, ob vetus jus patronatus, in Curia Nicaſtri Cæſarem Carafa ad prædictam Abbatiam nominaſſe: a Vicario generali quidem ad oſtendendum patronatum terminum fuiſſe datum, Epiſcopi certiorandi cauſa, qui eam cauſam ſibi reſervaverat; Epiſcopum vero, neglectis probationibus, Rinaldo Monacho fratri ſuo Abbatiam contuliſſe eodem anno 1601. Con-

Constat quoque anno 1610. Ducem Nucerii Comitis Carolo Cigala vendidisse Baroniam Tirioli cum Terris Cimiliani, & Roccæ Falluccæ, earumque vicis, *cum juribus patronatus Ecclesiarum, & juribus præsentandi in eis:* interea vero, cum a Duce Nucerii in minori ætate constituto in alterius dominium migrasset Tirioli feudum, prædictum Rainaldum Monachum Episcopi fratrem, cum per plures annos Abbatiam detinuisset, eam renunciasse cuidam Siculo cognomento Paduano, annua pensione retenta duc. 400.; prædictum vero Paduanum eamdem, sub eadem pensione, renunciasse Marcello de Bonis; per prædictum tamen Marcellum eadem Pontifici resignata, Cardinali Virili per Pontificem fuisse collatam.

Liquet etiam, anno 1633. Joannem Baptistam Cigala Caroli successorem, omisso Judice competente, Pontificem Urbanum VIII. interpellasse, eique pertinentia patronatus exposita, ac spoliatione per Nicastri Episcopum adversus se facta, Abbatiæ restitutionem petiisse; vicinum vero aliquem Episcopum delegari de controversia cogniturum. Revera controversia delegata fuit Episcopo Martorani, amplissima facultate instructo. Judicio autem per Martorani Curiam compilato, audito Nicastri Episcopo, ab ea ita pronunciatum 27. Februarii anno 1634. *D. Joannem Baptistam Cigala utilem Dominum Status Tirioli fore, & esse reintegrandum, & in pristinum statum reducendum, & restituendum ad jus patronatus Baronale Abbatiæ nuncupatæ S. Mariæ delle Scalelle existentis in Territorio Tirioli, prout præsenti decreto reintegramus, & ad pristinum statum reducimus, & restituimus. Sic nos dicimus, & sententiamus, dictum jus patronatus spectare pleno jure ad ipsum Principem Tirioli, suosque heredes in dicto Statu, non obstantibus supradictis collationibus factis, & inauditis ipsis Dominis Patronis, tanquam nullum præjudicium afferentibus quoad futuram præsentationem.*

Itidem constat, ea decisione contemta, post Cardinalis Virilis obitum a Romana Curia mense Jul. ann. 1634. Abbatiam fuisse collatam Abbati Hieronymo Lanfranco. Scriptum qui-

quidem in Bullis fuit, quod Abbatia, *ut asseritur de jure patronatus laicorum nobilium, videlicet pro tempore existentis Principis Tirioli ex fundatione, & dotatione existit:* statim tamen additum, Abbatiam vacasse obitu Cardinalis Virilis *apud Sedem*. Proinde Pontifex ita loquitur: *dicto juri patronatus, si quod sit, in totum, attenta vacatione per obitum in Curia prædicta hac vice dumtaxat harum serie specialiter, & expresse derogantes*. Quamvis vero prædictus Jo: Baptista Cigala contendisset in Curia Capellani Majoris, ne executioni mandarentur prædictæ Bullæ, utpote juri suo adversantes; ea tamen cum voto Andreæ Provenfalis per id temporis Consultoris, ad Principem retulit, executioni mandari posse, quia in ipsis Pontifex speciatim derogaverat juri patronatus ob vacationem in Curia apud sedem; id factum tamen salvo Principi Tirioli in posterum jure ob patronatum ei competentem. Cum tamen Princeps adversus prædictam relationem appellasset, a Collaterali Consilio appellationis susceptæ causa Consultor Curiæ datus Scipio Theodorus, cujus quoque jussu prædicta relatio executioni mandata fuit.

His accedit, quod vacante Abbatia anno 1659. ob Hieronymi Lanfranci mortem extra sedem, Princeps Jo: Baptista Cigala Curiæ Episcopali Nicastri nominavit filium suum Franciscum. Citationibus autem per edictum expeditis, atque ad probandum patronatum documentis exhibitis, ei institutio concessa fuit 11. Junii anno 1659.

Præterea apparet, anno 1701. post mortem Francisci Cigala, Principem Jo: Baptistam instituendum nominasse Cæsarem Antonium Cigala. Rursus de Abbatia tunc disceptatum inter Nicastri Episcopum, & Tirioli Principem. Actis quidem transmissis ad Romanam Curiam, ab ea judicatum, non constare de jure patronatus: ab eadem quoque Cardinali Corsini statim collata fuit. Verum prædictus Princeps meliori consilio instituto, apud Proregem conquestus est de nova spoliatione, quam meditabatur Romana Curia non minus adversus se, quam Fiscum quoque. Nam Fisci quoque damnum spoliatio complectebatur. Controversia enim feudalem patronatum

natum respiciebat, qui una cum feudo ad Fiscum deferri poterat. Hinc a Prorege petiit ne se non audito, executioni Bullæ demandarentur. Ita vero præscriptum a Prorege fuit die 18. Januarii anni 1704.

Rursus liquet, Bullis pro Cardinali Corsini expeditis nusquam productis, interea vero Abbatiæ reditibus Romam pervenientibus, qui Commissario Apostolico solvebantur, Princeps Cigala anno 1707. denuo expostulationes suas ad Proregem detulit circa spolium, quod adversus se cœptabatur, quod quidem ob causas supra expositas, & ob devolutionis casus, detrimentum Fisci quoque complectebatur. Rursus postulavit, ne exequutioni Bullæ demandarenter se, & Regio Fisco non audito. Addidit in libello supplici, ut interea temporis destinaretur Regius Oeconomus, qui fructus perciperet, ut porro persolverentur Abbati a se nominato. Ita Collaterali Consilio placuit, ut petitio Fisco Regalis Patrimonii nunciaretur: a Fisci autem Patrono ita libellus conceptus fuit 1. Octobr. ann. 1707.: *Fiscus visis actis inhæret memoriali pro denegatione Regii exequatur, & audiri pro manutentione ad beneficium utilis Domini, & per consequens ad beneficium Domini directi, instando ad id capi opportuna expedientia, & interim pro assecuratione fructuum*. Eo oblato libello Collaterale Consilium 2. Septembris ann. 1709. in mandatis dedit Regenti Delegato Regalis Jurisdictionis, ut opportune provideret. Referente autem prædicto Regente, viro scilicet clarissimo Cajetano Argento, ita cautum a Collaterali Consilio die 19. Junii anni 1711.: *Curia Rev. Regii Capellani Majoris justitiam faciat respectu manutentionis petitæ per Regium Fiscum, & utilem Dominum Status Tirioli, & interim destinetur Oeconomus pro exactione fructuum dictæ Abbatiæ, seu Rectoriæ Sanctæ Mariæ nuncupatæ delle Scalelle.*

In exequutionem prædicti decreti per Curiam Capellani Majoris, Fisco adprobante, citationes per edictum expeditæ fuerunt. Opportunis autem documentis processu instructo, ac pluries petito, ut causa definiretur, tandem 22. Decembris anni 1711., Philippo Caravita celebris famæ viro per id temporis ordinario Consultore, per Curiam pronunciatum fuit: *Illu-*

Illustris Princeps Tirioli manuteneatur, & quatenus opus sit reintegretur in possessione, seu quasi, nominandi, & præsentandi Rectorem, seu Beneficiatum in prædicta Abbatia, seu Rectoria S. Mariæ delle Scalelle, sita in Territorio Terræ Tirioli, de jure patronatus familiæ dicti Ill. Principis Tirioli, uti annexo feudo Terræ prædictæ: Et proinde D. Cæsar Antonius Cigala Rector, seu Abbas, uti præsentatus in dicta Rectoria, seu Abbatia a dicto bodierno Ill. Principe, immittatur in possessionem ejusdem Rectoriæ, seu Abbatiæ, una cum perceptione fructuum, redituum, ac proventuum ejusdem a die præsentationis factæ per dictum Ill. Principem, amoto Oeconomo destinato pro exactione fructuum prædictæ Abbatiæ, pro cujus exequutione partes adeant Regium Collaterale Consilium. Eo autem negotio in Regio Collaterali Consilio mature discusso, referente eodem Cajetano Argento, ita placuit: *Che si serva S. E. di scrivere al Vescovo Diocesano, ch' essendo già decisa la causa a favore del Regio Fisco, e del Principe di Tiriolo, spedisca le Bolle in beneficio di D. Cesare Antonio Cigala, nominato dal detto Principe, ed intanto l' Economo presente desista. E S. E. si degni di nominare altro Economo a soddisfazione dell' istesso Principe di Tiriolo.*

Electus a prædicto Principe fuit fructuum percipiendorum causa Oeconomus D. Petrus Governa, ejusque electio effectum obtinuit, sed præcepta ad Nicastri Curiam, ut institutio daretur Abbati nominato per Tirioli Principem, licet sæpius repetita, executioni non fuerunt demandata ob pervicaciam Episcopi adlaborantis, ut collatio libera foret. Eam vero ob causam vanum illum obtentum allegavit, controversiam pendere scilicet in Romana Curia.

Ea fuit rerum facies ad annum usque 1721., neque ejus controversiæ causa aliud factum ad annum usque 1779. Eo tandem anno per Jacobum Migliaccium Regiæ Coronæ nunciatum fuit, prædictam Abbatiam S. Mariæ Tiriolensis esse Regii juris patronatus. Ei contradictor existit hodiernus Tirioli Princeps contendens, exploratum videri, patronatum in prædictam Ecclesiam Tirioli feudo cohærere; id liquido constare ex ipsius Curiæ decisione ann. 1711., quæ ab ipso Colla-

laterali Consilio exequutioni demandata fuit. Eam ob rem Rex clementissimus Divalibus suis Curiæ mandavit, ut æquius melius definiret, utrum prædicta Abbatia ad collationem Pontificiam, an Regiam pertineret. Ita Jacobus Migliaccius rursus libellum suum Curiæ obtulit; Regiæ etiam Coronæ Advocatus in eadem insequentem petitionem instituit: *Fiscus Regalis Coronæ instat per Curiam Capellani Majoris reintegrari juribus Majestatis Abbatiam seu Rectoriam delle Scalelle cum omnibus bonis, juribus, & pertinentiis, & cum jure eligendi Abbatem, seu Rectorem in omni casu vacationis, ac describi in libris dictæ Curiæ inter cetera Beneficia ad Regem nostrum, ejusque successores in Regno spectantia.*

His omnibus, ac rebus alias judicatis, rite perpensis, de tota controversia Curiæ Ill. & Rev. Capellani Majoris ita visum.

Quod ad eum controversiæ articulum, utrum scilicet Abbatia S. Mariæ Tiriolensis ad Regiam, an Pontificiam collationem pertineat, ea in re Curiæ visum aliam sententiam proferri non oportere; satis in eam rem esse sententiam ab eadem Curia prolatam ann. 1711., quæ rei judicatæ auctoritatem obtinuit. Jam inde declaratum, patronatui Abbatiam subesse, nulla ratione habita collationis factæ per Romanam Curiam, quæ ideo effectu caruit. Cum igitur exinde collationis Pontificiæ nulla ratio fuerit habita, eo de articulo nova Curiæ declaratione nil quicquam opus. Quapropter illud tantum in disceptationem venire debet, utrum patronatus ad Regem ipsum immediate, an mediate pertineat, tamquam feudalis scilicet, & feudo Tirioli inhærens.

Controversia ita proposita, Jacobus Migliaccius, qui Abbatiam Fisco nunciavit, contendit eam ad Fiscum immediate pertinere. Is ait, patronatum S. Mariæ Tiriolensis olim pertinuisse ad antiquos Catanzarii Comites, qua quidem in re, ob probationes in judicio deductas litigantes conveniunt; eorum perduellione feuda ipsorum fuisse publicata; ita ad Fiscum rediisse una cum patronatibus, ceterisque juribus ipsis hærentibus; ita etiam factum, ut patronatus controversus

quoque Regalis evaserit, & ad ipsum Regem immediate pertinere cœperit; Ferdinandum quidem Catholicum Galeotto Carafa pro Comitatu Terræ Novæ concessisse Tiriolum, aliaque feuda, expresse tamen sibi, suisque in Regno successoribus reservasse Regios patronatus prædictis feudis hærentes; ita controversum patronatum in concessione non comprehensum, atque exinde ad Regiam Coronam immediate pertinuisse.

Enimvero prædictum delatoris argumentum facile corruit, si ipsa Ferdinandi declaratio tantisper inspiciatur. Is enim diserte declaravit, se Tiriolum, aliaque feuda concedere cum *juribus patronatus ad Baronem spectantibus*. Inde autem liquido constat, quod quamvis post feudorum publicationem in Regem immediate migraverit jus nominandi ad patronatus ipsis hærentes; ipse tamen Rex privilegio suo Baronum jura restituit. Is enim in Diplomate suo aperte distinxit patronatus, qui superioribus temporibus ad Barones pertinuerant, eosque, qui Regi reservati erant. Quod ad patronatus tamen immediate Regios, dubitabundus rem loquitur Ferdinandus, ut liquet ex clausula Diplomatis, *si quæ sunt in dictis Terris, Castris, & locis*. Fieri enim poterat, ut nulli in feudis patronatus forent immediate Regii. Ea de re Ferdinandus incertus, excepit in concessione quidem patronatus immediate Regios, in ea tamen contineri jussit eos, qui feudis hærentes ad Barones pertinuissent. Enimvero ipse delator in libellis suis exposuit, controversæ Abbatiæ patronatum pertinuisse ad Catanzarii Comites, qui & Barones Tirioli erant. Eum igitur in concessione comprehensum oportuit. In ea enim patronatus ad Barones pertinentes concessi fuerunt; Rex sibi eos reservavit, si qui fortasse forent immediate Regii.

Sane publicato, aut ad Principem devoluto feudo, qualitas feudalis extinguitur, neque enim sibimet Princeps feudale servitium præstare potest. Si Princeps tamen, feudi forma non immutata post devolutionem de eo rursus alterum investiat, ex communi Doctorum sententia id traditum intelligitur cum omni causa, & quo jure, quaque conditione

apud

apud veterem possessorem erat, nec quicquam innovatum in eo censetur, nisi in investitura diserte expressum id fuerit. Atque id quidem juris in re dubia constitui debet. In præsenti controversia tamen eo argumento non opus in aperta Principis voluntate. Rex enim Ferdinandus in nova Tirioli concessione de veteri Baronum Tiriolensium jure non solum nihil imminuit, sed & expresse edixit, se illud concedere cum iisdem patronatibus, qui ad Baronem antea pertinebant, eosque sibi reservavit tantum, si qui immediate Regii inibi forent.

Quæ hactenus dicta sunt majoris momenti videbuntur, si observetur, temporibus memoratæ concessioni propioribus jus patronatus in prædictam Abbatiam Barones sine controversia exercuisse. Insequutis quidem temporibus, & ab ætate Ferdinandi dissitis, molestia iis creata fuit, & turbationem in possessione sunt passi: id ipsum tamen non inde contigit, quia crederetur patronatus immediate Regius, & Principi reservatus; sed inde potius, quia Nicastri Episcopi, & cum ipsis Romana Curia, cœptarunt haud semel patronatus memoriam abolere, ut de Abbatia pro libitu statuere possent; sed & ejusmodi ausus in judicio rite instituto coerciti fuerunt a Tirioli Principibus, eique Fiscus non contradictor quidem, sed defensor extitit.

Ea in re tamen decretoria prorsus videtur res judicata anno 1711., quo quidem in judicio Fisci Patronus adfuit Consilii Collateralis jussu. Ibi Fisci Patronus libello suo manutentionem petiit *ad beneficium utilis domini, & per consequens ad beneficium domini directi*. Eo autem ad finem usque litis in judicio præsente, secundum suum libellum a Curia pronunciatum fuit, ut manuteneretur Tirioli Princeps, & quatenus opus redintegraretur in possessione nominandi ad prædictam Abbatiam *de jure patronatus Ill. Principes Terræ Tirioli, uti annexo feudo Terræ prædictæ*. Ea vero sententia vim obtinuit rei judicatæ, eamque Collaterale Consilium exequutioni demandari jussit. Cum ita res transacta fuerit, non licet Regio Fisco suæmet petitioni se opponere: multo minus ei licere de-

debet impedire exequutionem sententiæ juxta libellum suum prolatæ, quæ neque gravamine ullo suspensa fuit, & ab annis usque septuaginta rei judicatæ auctoritatem obtinuit.

His ita perpensis, Curiæ visum, libellum ab Advocato Coronæ, Viro clarissimo, conceptum ita admitti oportere, ut conveniat cum intentione Fisci declarata ab Advocato Fiscali ab ipso anno 1707., Abbatiam scilicet S. Mariæ Tirioli, seu *delle Scalelle* ad jura Majestatis mediate redintegrandam, itaut per intermediam personam Principis Tiriolensis patronatus exerceatur, cujus feudo inhæret. Hinc ita ab ea pronunciatum, cum voto Domini Regii Consil. D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris: *Jus patronatus in Abbatiam S. Mariæ Tirioli, seu delle Scalelle, mediate ad Regiam Coronam pertinere, intermedio scilicet Tirioli Principe, tamquam ipsius feudo cohærens; ac jus patronatus immediatum, feudi concessione durante, ad prædictum Principem, ejusque in feudo successores pertinere, cum facultate eligendi Abbatis, seu Rectoris, quoties Abbatiam vacare contigerit. Proinde exequutioni mandetur decretum ejusdem Curiæ sub die* 22. *Decembris anni* 1711., *in cujus exequutionem Tirioli Princeps manuteneatur, & quatenus opus redintegretur ei possessio nominandi Abbatis, seu Rectoris prædictæ Abbatiæ, qui percipiendorum fructuum facultatem habeat, cum onerum adimplemento. Ipsa autem Abbatia referatur in libros Curiæ inter alias Ecclesias, & Abbatias patronatus feudalis, in quas jus immediatum Barones, mediatum Rex habet.; oppositis, & deductis per Jacobum Migliaccio non obstantibus.*

In causa Regii patronatus in Abbatiam S. Leonardi de Amendolara, vulgo delle Mattine. *Die* 13. *Julii* 1781.

Ob fundationem, dotationemque jus patronatus in Ecclesiam conceditur. Feuda, aliaque corpora ab Ecclesiis possessa, quæ non-

DOminicus Ciaraldus causarum Patronus supplici libello Regem oravit, ut sibi demandaretur patrocinium Regii patronatus in Abbatiam S. Leonardi de Amendolara in Apulia constitutam, quæ *de Matinis* vulgo dictitatur. Rex optimus precibus ejus indulgens prædictæ Abbatiæ patrocinium ipsi detulit codicillis suis, eo tamen addito, ut id fieret cum intel-

telligentia Regiæ Coronæ Advocati. Ita prædicti patronatus causa judicium institutum fuit, ut in ejus possessionem Regia Corona redintegraretur. Citationibus igitur per edictum controversia nunciata omnibus, quorum fortasse interesset, ac termino probationibus præstituto, ad causam adprobandam plura in judicio producta sunt monumenta. nisi a Principe concedi possunt, Regiam fundationem, dotationemque ostendunt.

Ex productis autem monumentis liquet, sæculo XII. in Neapolitano Regno, non sine Regum Neapolitanorum studio, domicilium sibi constituisse Equites Ordinis Theutonici Hierosolymis primum exortos; ab eorumdem vero Regum munificentia retulisse, ut Sedes suas constituerent in Divi Leonardi Templo, ac Monasterio eidem adnexo: tractu etiam temporis memorato Monasterio diversas Grancias unitas esse alibi in Regno positas. Ita Domus isthæc cum Granciis ipsi hærentibus evasit dependentia quædam vetustioris Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Hierosolymis ab initio constituti, atque inibi prædicti Ordinis erecta *Perceptoria*, quam vocant. Ob favorem vero, quo Theutonicos per id temporis prosequebantur Neapolitani Principes, præter singularia privilegia, ipsis concessa sunt feuda, ac speciosa prædia, unde ingentes reditus percipiebantur, præsertim ob munificentiam Imperatoris Friderici II., apud quem Hermannus Magnus Ordinis Magister in maxima æstimatione fuit. Atque ea quidem fuit origo bonorum omnium, quæ a Monasterio Divi Leonardi sunt acquisita, quod conversum fuit in Abbatiæ formam.

Res hactenus quidem expositas ita fuisse transfactas, Regum Neapolitanorum Diplomata complura ostendunt. Eo primo pertinet Diploma Friderici II. Nurimbergæ scriptum anno 1216. mense Decembri. In eo Imperator intuitu eximiæ religionis & honestatis Hermanni, quem Magnum Ordinis Theutonici Magistrum fuisse vidimus, prædictæ Domui Hospitali concessit *de demanio nostro in tenimento Asculi locum, qui dicitur Biscilletum, cum terris aratoriis pro quadraginta octo aratris, cum omnibus juribus, libertatibus, fructibus, & pertinentiis suis, liberis, exemptis, & franchis ab omni onere servitutis.*

Eodem collineat quoque aliud ejusdem Imperatoris Diploma

ploma Catinæ scriptum anno 1221. mense Decembri. In eo pientissimus Princeps perpendens, quod Sacra Domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum *a Divo qu. Augusto Imperatore Friderico avo nostro pietatis intuitu propagata, & a Domino qu. Imperatore Henrico inclytæ recordationis patre nostro rebus, ac libertatibus præmunita, incrementum suscepit spiritualiter, ac temporaliter;* perpendens etiam *celebrem vitam, & honestæ religionis cultum, quibus dilectus in Domino Frater Hermannus Magister Domus Hospitalis ejusdem, & frater suus clarere noscuntur,* in suam tutelam, ac mundiburgium speciatim recepit eamdem Sacram Domum, *& ab ipsa quaslibet derivatas; fratres, confratres ipsorum, cum omnibus bonis suis stabilibus, & mobilibus, quæ per totum Regnum nostrum rationabiliter possident.* Ibidem addidit eidem se confirmare *omnia privilegia, & scripta quælibet tam a Parentibus nostris, quam a Nobis sibi pia liberalitate concessa, necnon etiam Castra, Casalia, homines, & possessiones, quæ donatione Regum, concessione Principum, & oblatione fidelium, sive quolibet alio justo titulo est adepta.* Res autem in eam collatas immunes esse jussit a publicis quibuscumque functionibus, angariis, servitutibus, eidem Domui facultate concessa aquandi, pabulandi, lignandi per omnia demanii sui prædia.

Res hactenus quidem expositæ apertius confirmantur alio ejusdem Friderici Diplomate Melphi scripto mense Septembri anno 1231. In eo fundationem prædictæ Domus diserte tribuit suorum Augustorum Parentum liberalitati, quæ ei causa erat, ut ad eam magis locupletandam propensus esset. En ipsa Imperatoris verba: *Si Ecclesias,* inquit, *& Religiosa loca Divinæ Majestatis intuitu, per quam feliciter imperamus, pia tenemur devotione favere: illas tamen ampliare volumus beneficio liberali, quas Progenitores nostri Divi Augusti recordationis inclytæ fundaverunt, præcipua in eis beneficiorum, & gratiæ privilegia conferentes. Hac itaque consideratione inducti, & attendentes fidem puram, & devotionem laudabilem fratris Hermanni Venerabilis Magistri Domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum, & Conventum ipsius fidelium nostrorum, quibus semper nostræ celsitudini placuerunt . . . de innatæ liberalitatis nostræ gratia, qua benemeritis,*

tis, & fidelibus nostris consuevimus providere, donamus eis, atque concedimus prædictæ Domui Hospitali in perpetuum in demanio nostro in tenimento Asculi, in loco, qui dicitur Aqua lata prope Cornitum, terras laboratorias pro quadragintaquinque aratris, cum omnibus juribus, & pertinentiis earum, liberas, & francas, & ab omni onere servitutis exemptas.

Suam etiam liberalitatem exercuit cum prædicta Theutonicorum Domo Rex Robertus Diplomate suo die 23. Maji anni 1313. In eo enim ad petitionem *Religiosorum virorum Fratrum Beatæ Domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum in Barulo*, ejus Ordinis Religiosis conservata fuit possessio, ac perceptio pascuorum in prædiis ad eum usum comparatis, ab eis vero possessis *in pertinentiis Terrarum Baruli, & Trojæ in Justitiariatu Terræ Hidrunti, & in aliis Regni partibus*; itaque molestia liberati fuerunt, quæ eis inferebatur.

Quæ huc usque recensuimus, de Regia controversæ Domus fundatione dubitari non sinunt. Quod tamen potissimum ostendit bonorum immensitatem, quæ ab ejus ævi Principibus, præsertim Henrico VI., ejusque filio Friderico, Domui Theutonici Ordinis concessa fuerunt, est Ludovici Regis Diploma Fogiæ scriptum anno 1360. mense Februario. In eo scilicet recensentur prædia complurima, feudalis qualitatis omnia, ei concessa. Rerum igitur donatarum ipsa qualitas probat, eas Sacræ Domus dotandæ causa a Regibus Neapolitanis fuisse profectas, atque a Regio demanio fuisse divulsas. De rebus vero donatis ne qua porro Religiosis controversia fieret, earum novam concessionem prædicto Diplomate Ludovicus fecit, illud edicens, ut ab omni feudali servitio, atque aliis oneribus immunes per eos retinerentur. Rem omnino conficiunt ipsa Diplomatis verba. Sic enim ibi: *Pro parte Venerabilis, & Religiosorum virorum Magistri Perceptoris, & Fratrum Sacræ Domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum Hierosolymitanæ in Barulo, tam nomine, & pro parte ipsius Domus, quam aliorum membrorum, & Granciarum ejus in Regno prædicto sistentium, devotorum Oratorum nostrorum, fuit noviter Majestati nostræ lamentabili insinuatione monstratum, quod ipsi, dictaque Domus,*

mus, *&* *ejus membra habent*, *&* *possident bona feudalia*, *cum juribus*, *fructibus*, *&* *pertinentiis*, *sine onere*, *&* *absque feudali servitio*, *quæ nobis constare fecerunt*, *&* *sunt subsequentia*, *videlicet*: *Feudum*, *Terraticum*, *vel Mezana sub vocabulo S. Leonardi*, *situm*, *&* *positum circumcirca Domum Hospitalis*: *Feudum vel Mezana dictum de lo Candelaro*, *cum Feudo dicto de lo Macerone*: *Versuræ quadraginta octo feudales sitæ*, *&* *positæ in Feudo de S. Quirito*: *Feudum de Campo nominatum de Santa Tecchia*: *Feudum dictum de Belvedere*: *Feudum nominatum della Mandrolla*, *vel Santo Ricciardo*, *situm*, *&* *positum in Territorio S. Severi*: *Flumen feudale dictum Api*: *Feudum dictum de la Gauta in Territorio Fogiæ*: *Maxaria feudalis dicta de l' Amendola*: *Feudum S. Pauli dictum de Ficoreta in Territorio Trojæ*: *Taberna feudalis sita & posita in dicta Civitate Trojæ*: *Formæ sive Padulia feudalia pro venatione in Territorio Manfredoniæ cum tribus versuris similiter feudalibus*. *Alia Feuda sita & posita in Territorio Asculi*, *videlicet*, *Monte Corbo*, *Monte d' Alessandro*, *Valle lugara*, *Puteum*, *Zingarum*, *Turris Macinentis*, *&* *Demania S. Spiritus*: *Terratica*, *vel Mezana feudalia*, *dicta de Fiumemorto*: *Feudum dictum Torre de Cani*: *Turris Alemanna*, *cum Maxaria*, *casaleno*, *panectaria*, *taberna*, *&* *horto*, *similiter feudalia*: *duæ apothecæ sitæ*, *&* *positæ in Civitate Melphii cum sylva nuncupata S. Margarita*, *similiter feudalia*: *&* *Castagnetum feudale situm & positum in territorio Peschipagani*. Ex eodem Diplomate constat prædictos Religiosos addidisse, memorata feuda ipsis pleno jure, ac sine onere aliquo fuisse concessa; verum contra concessionis legem per Regios Quæstores ab ipsis exigi publicarum functionum præstationes: ab ipsis petitum igitur, ut ab hujusmodi molestia eximerentur. Ea vero de re ita Diplomate suo Ludovicus edixit: *Quapropter nos*, *ut justitiæ faveamus*, *confirmantes ipsi Magistro Perceptori*, *&* *Fratribus*, *ac Domui*, *&* *Hospitali*, *&* *aliis membris*, *&* *Grangiis ejus*, *omnia privilegia*, *gratias*, *&* *concessiones bonorum prædictorum feudalium*: *quatenus opus de novo concedimus omnia prædicta bona sub natura feudali*, *absque tamen onere*, *seu feudali servitio*, *vel aliqua præstatione*, *prout domus ipsa*, *&* *ejus membra*, *ut prædicitur*, *possident*.

Præ-

Præterea ex privilegio Alphonsi I. Aragonii Fogiæ evulgato anno 1442. 10. Decembris liquet, prædictum Principem singulari devotione sua *erga venerabile Monasterium, & Ecclesiam S. Leonardi dell'Amendolara, alias dicti delle Mattine, Religionis S. Domus Hospitalis S. Mariæ Theutonicorum*, ob preces etiam Magni Perceptoris prædictæ Ecclesiæ, ei concessisse, ut quotannis ex Salinis Manfredoniæ salis plaustra decem acciperet *in substentationem dicti Perceptoris, & Fratrum ibidem existentium*; ut quotannis etiam ex ejusdem Civitatis portu exportandi ei jus esset decem frumenti plaustra *franca, libera, & exempta ab omni solutione juris tractæ, exituræ, & alterius cujuscumque juris nostræ Curiæ pertinentis*.

Constat denique ex privilegio Atellæ scripto 9. Maji anno 1502. per Consalvum Ferdinandum Cordubensem, Ferdinandi Catholici in Regno vices agentem, eum ad preces Cardinalis Borgia per id temporis Abbatis Commendatarii *venerabilis Ecclesiæ seu Perceptoriæ S. Leonardi dell'Amendolara, seu delle Mattine, Ordinis Beatæ Mariæ Theutonicorum in Ilierusalem*, nomine prædicti Ferdinandi Regis confirmasse Principum concessiones omnes prædictæ Ecclesiæ factas. Per eam occasionem igitur, non solum confirmata fuerunt Diplomata, quorum tenor occurrit in Consalvi privilegio, sed & complura alia, quæ in eo enunciantur, quæque fortasse in Tabulariis delitescunt. Ea scilicet concessa fuerunt prædictæ Sacræ Domui ab Imperatore Friderico II. mense Junio 1219., a Rege Carolo II. Andegavensi 6. Augusti 1303., a Regina Joanna 30. Augusti 1343., a Ludovico & Joanna 15. Aprilis 1363., a Rege Jacobo, & Regina Joanna II. 11. Maji 1416., a Rege Ladislao 27. Januarii 1397., & a Rege Ferdinando I. Aragonio 20. Januarii 1470.

Neque vero superiora tantum Diplomata evincunt, controversam Divi Leonardi Domum a Neapolitanis Regibus bonis Principatus fundatam, & dotatam esse: id ipsum quoque confirmat unanimis Historicorum consensus tum Neapolitanorum, tum exterorum. Tradunt enim Leander Albertus, Scipio Mazzella, Jacobus Lenfantius, Bernardus Justinianus,

Orlendius, Jacconius, aliiqui non pauci per Dominicum Ciaraldi præsentis causæ Patronum producti, partem redituum longe maximam in prædictam Domum a Friderico II. collatam esse. In vetustis autem rebus definiendis quantam oporteat consentientium Historicorum auctoritatem esse, nemo unus ignorat.

Præterea constat quoque, per Fratres Ordinis Theutonici Regno relicto, Ecclesiam, & Monasterium Divi Leonardi, ex more Romanæ Curiæ sequiori ævo introducto, ac vetustis Christianis ignoto, a Pontifice per commendationem fuisse collata. Ita feuda, aliaque bona avulsa a demanio Neapolitanorum Principum, eorumque pietate concessa Fratribus Theutonicis, ob operam ab ipsis impendi solitam non tantum pro Religione, sed pro ipsis quoque Principibus, per summam injuriam sunt addicta Abbatibus Commendatariis ditandis. Id autem quam alienum fuerit a mente concedentium, æqui rerum æstimatores facile per se decernent.

His prænarratis, Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris pro explorato habuit, Ecclesiam, ac Monasterium Divi Leonardi Ordinis Theutonici per Neapolitanos Principes fundata ac dotata fuisse. Quamvis enim in tanta sæculorum intercapedine, prima fundationis ac dotationis instrumenta desiderentur, ipsam tamen fundationem ac dotationem, si omnia desint, sola Friderici II. Diplomata satis ostendunt. In iis enim aperte declaratur, Augustos Parentes suos ejus Domus fuisse fundatores, eidemque non privilegia tantum, sed & dotis constituendæ causa non modica contulisse bona. Ex iis liquet etiam, ipsum Fridericum II. cum prædicta Domo suam quoque munificentiam mirum in modum exercuisse; singularis vero liberalitatis suæ eam rationem reddidisse, quod Domus isthæc sua & incunabula, & incrementa a Parentibus suis agnosceret. Ea autem de re traditiones historicæ, antiquis factis probandis aptissimæ, dubitari non sinunt. Sed & ipsa natura bonorum, quæ prædictæ Domui sunt concessa, Regiam dotationem satis evincit. Ea scilicet pleraque omnia feudalia sunt, & ad Regium natura sua demanium pertinentia:

da: a solis Regibus igitur a Regio Solio delibata concedi potuerunt. Eo accedit, quod bona isthæc a feudali servitio, ac reliquis publicis functionibus in concessione fuerunt exempta. Ejusmodi vero privilegium a summa tantum in Republica potestate concedi & debet, & solet. Ipsi Fratres Theutonici anno 1360. libello suo ad Ludovicum Regem concessionem bonorum ita sibi factam enarrant. Ab eodem Principe non nudam confirmationem, sed & novam concessionem petunt, & impetrant. Eam autem impetratam in judicio produxerunt, ut a jugatione, ac reliquis publicis oneribus immunes declararentur.

Cum igitur ob fundationem, ac dotationem ipsum jus Pontificium patronatum concedat *cap. 25. de jure patron.*, id Regi Neapolitano denegari non debet in Ecclesiam, ac Monasterium Divi Leonardi, cum de fundatione, ac dotatione a decessoribus suis facta liquido constet. Quapropter in prædictum patronatum Regia Corona redintegrari debet cum omnibus pertinentiis ipsi hærentibus, ac cum jure præsertim eligendi Abbatis quotiescumque res tulerit, quousque Principi placuerit, ut a Regio demanio delibata bona, ac in sustentationem Theutonicorum Fratrum addicta, Abbatibus Commendatariis ditandis inserviant; salvo jure Regis aliter statuendi de bonis ob extinctionem corporis, cui ab initio ea concessa vidimus. Hinc Curia, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Ecclesiam, ac Monasterium Divi Leonardi de Amendolara, seu de Mattinis, cum feudis omnibus, bonis, juribus, reditibus, exemptionibus, Ecclesiis, Granciis, & pertinentiis omnibus, & quo jure, quaque conditione sunt optima, fuisse, & esse de Regio patronatu; proinde in eum Regiam Coronam redintegrari oportere, sicut præsenti sententia redintegratur, ac restituitur, cum facultate eligendi Abbatis, quoties Abbatiam vacare contigerit, & cum reliquis juribus e patronatu pendentibus: salva facultate Principis secus statuendi de Abbatiæ bonis ob extinctionem corporis, cui liberalitate Neapolitanorum Principum concessa fuerunt. Ne quando autem injuria temporum*

jus Principis calumniam patiatur, prædicta Ecclesia, ac Monasterium referatur in libros Curiæ inter alias Ecclesias, & Abbatias, in quas jus patronatus Principi competit.

In causa Regii patronatus in Abbatiam S. Vincentii ad Vulturnum, Die 11. Septembris 1781.

Ex fundatione, vel dotatione jus patronatus promanat, etsi in fundationis tabulis non reservatum.

IN Curia Capellani Majoris controversia est instituta de antiquissimo Monasterio Divi Vincentii ad Vulturnum in Samnio posito, pluribus ab hinc sæculis per Romanam Curiam commendato, itaque contra fundatorum mentem dissoluto. Ea de causa Promotor Fiscalis judicio petiit, ut de ejus Regio patronatu pronunciaretur, atque in jus suum primævum Regia Corona redintegraretur. Ob eam actionem judicio rite instituto, denunciata lis fuit Monasterio Casinati possessori bonorum, quæ ad Vulturnense Cœnobium pertinuerunt olim: citationibus etiam per edictum expeditis, idem factum cum reliquis generatim omnibus, qui susceptam controversiam sua interesse putarent. Ita probationibus termino præstituto, in ejus cursu a Promotore Fiscali vetera producta sunt monumenta, quæ ipsius intentionem adprobarent. Non alius vero judicio interfuit præter Casini Monasterium: ab eo autem significatum, se Regii patronatus redintegrationi non contradicere, omnemque ea de re controversiam remittere judicio Curiæ. Edictalibus igitur contumaciis incusatis adversus eos, quorum fortasse interesset, quique ex more vocati vadimonium non stitissent, Curia ad controversiæ definitionem processit.

Ea in re Promotor Fiscalis veteribus monumentis ostendit, octavo ineunte sæculo veteres Beneventi Principes ad fundationem Monasterii Divi Vincentii Vulturnensis & solum ad ejus extructionem dedisse, & magnam bonorum copiam ad Principatum pertinentium concessisse, ut inde Monasterium, ejusque Fratres, quorum magna frequentia ibi fuit, sustentare se possent: ab antiquis Beneventi Principibus concessiones factas a successoribus non solum confirmatas, sed au-

auctas etiam: eas mox concessiones amplissime confirmasse Imperatores, qui summum Imperium per Italiam exercuerunt: ob Monasterii vero celebritatem eosdem illud sub suum mundiburgium recepisse, eique Monasterii Imperialis jus concessisse: insequutis autem temporibus per Romanam Curiam commendationis titulo fuisse collatum: ita ob solitas Monasteriorum, & Ecclesiarum commendatarum vices, veteri splendore suo excidisse, Fratribus, qui ibidem degebant, omnino privatum. Liquet etiam ex monumentis productis a Monasterio Casinate, Vulturnense Cœnobium in Abbatum Commendatariorum potestate relictum quotidianas deteriorationes, usurpationes expertum esse; denique anno 1698. ejus Abbatem Innicum Caracciolum Aversanum Episcopum ad novas ruinas amoliendas, illud uniri curasse cum Monasterio Casinate, ea sub lege, ut sibi, ac successoribus in commendatione quotannis persolverentur scuta quadrigenta & quinquaginta; id ipsum tamen sola Pontificis Clementis XI. auctoritate transactum, nulla Patroni Principis, ejusque consensus ratione habita.

Ad ea autem, quæ supra retulimus, comprobanda, Promotor Fiscalis produxit duo antiqua Chronica Farfense, & Vulturnense, & Historiam ab Abbate Fleurio scriptam, Ecclesiasticorum Scriptorum consensu firmatam. Inde liquet, octavo ineunte sæculo tres illos Beneventi nobiles cognomento Paldonem, Tasonem, Tatonem, res sæculi deferendi certos, ac vitæ solitariæ, & austeræ cupidos, in eo vero consilio veluti manuductos per Thomam Monasterii Farfensis Abbatem, locum sibi delegisse prope ripam Vulturni fluminis, millibus ferme passibus dissitum ab ipsius origine, ubi vetus Divi Vincentii Oratorium cernebatur, ibique decrevisse Monasterium extruere Benedictini Ordinis. Indidem liquet, eumdem Abbatem Farfensem impetrasse a Gisulfo Beneventi Duce delecti loci concessionem; Fratres qui eo confluxerant, bonis suis exemplis, & vitæ integritate, concivisse in se studium ipsius Ducis Gisulfi, qui ipsis significavit, ut a se peterent quicquid ad ipsorum vitæ sustentationem necessarium exi-

existimarent; ita per Gisulfum invitatos Fratres ab eo petiisse concessionem confinium prædiorum, ac Montium, Ecclesiarum etiam in finitimis regionibus extructarum, quæ desertæ erant. *Quorum petitionibus*, ut Farfensis Chronista tradit, *Dux Clementissimus libenter annuens idem Monasterium pluribus rebus, ac possessionibus ditavit, & de quibus poposcerant præceptum faciens annulo suo roboravit*.

Sane in eodem Diplomate relato in Farfensi Chronico, ita Gisulfus edicit: *Concessimus Nos Domnus vir gloriosus Gisulfus summus Dux gentis Longobardorum in Monasterio S. Vincentii Levitæ & Martyris Christi, quod Ven. famuli Christi nobis carnis consaguinitate propinqui, Paldo, Tato, & Taso, pro Dei amore patriam, parentes, & mundi gloriam relinquentes, nuper ædificare cœperunt in territorio Sacræ nostræ Civitatis Beneventanæ super Vulturni fluminis fontem, terras, & possessiones per designatos fines*. Inde descripti fuere fines prædiorum late patentium, quæ in Diplomate Monasterio concedebantur, & quæ montibus, ac fluminibus terminabantur. In concessionis Diplomate fuerunt additæ Ecclesiæ, ac Monasteria complura cum prædiis, quæ ad ea pertinebant, *& cum cellis, curtibus, terris, vineis, pratis, pascuis, sylvis, piscationibus, aquis, rivis, molendinis, & omnibus rebus iisdem pertinentibus*. Denique ibidem Gisulfus addit: *Denique pro stipendio servorum Dei concedimus etiam inclytum Paldum, quem habemus in partes Liburiæ loco, qui dicitur Pantanum*: id ipsum autem finibus late patentibus concludebatur.

Alia quoque Diplomata in memorato Vulturnensi Chronico ostendunt, anno 745. Gisulfum II. Beneventi Principem eidem Monasterio concessisse Ecclesiam S. Mariæ *in loco Sano, cum omnibus pertinentiis suis, cum terris, aquis, aquarumque decursibus, ripis, piscationibus &c., cum pluribus aliis Ecclesiis eidem subjectis, concessa etiam facultate construendi pistrina intra descriptos fines in Calore flumine*. Eidem quoque concessit *Ecclesiam S. Columbæ juxta Civitatem Soranam cum omnibus, quæ ei jure habendi concessimus, servis videlicet & ancillis, terris fertilibus, vel sterilibus, inclytis hereditatibus in vallibus, vel montibus*:

tibus: simulque cellam S. Juliani in Vico albo per sibi pertinentes fines: Curtim S. Castri, & S. Mariæ, quæ sunt ad S. Georgium, cum pertinentiis suis: simulque campum qui dicitur Borrani: & in Valle, quæ dicitur Sorana, Ecclesiam S. Stephani, cum omnibus suis pertinentiis. Liquet etiam, anno 795. Grimoaldum Beneventi Principem eidem Monasterio concessisse *curtem nostram, quam habemus in finibus Territorii Benefrani cum terris, & montibus*: ejus vero finibus designatis addidisse: *Ideo in jam dicto Monasterio concessimus in integrum jam dictas terras, & montes, ad possidendum per jam dictos fines*.

Constat etiam, anno 819. Ludovicum Pium Imperatorem declarasse, Josuè Abbatem S. Vincentii Vulturnensis ei exhibuisse *præcepta Longobardorum Principum, & Ducum, videlicet Gisulsi, & Sicardi, necnon & præceptum piæ recordationis Domini & Genitoris nostri Caroli piissimi Augusti*, petentem concessionum confirmationem sibi factarum. Ita prædictus Imperator Monasterio rursus concessit & confirmavit bona omnia, quæ in chartis sibi exhibitis continebantur, & speciatim *cellam S. Sossii, cum inclyta curte, & Valdum, qui est in partibus Liburiæ, qui dicitur Pantanum, quæ data est a Duce Gisulfo in prædicto Cœnobio: deinde similiter aliud Valdum conjunctum in eodem loco, qui datus est in eodem Monasterio a Sicardo Principe Beneventanæ Civitatis. Item concedimus, atque confirmamus in eodem Cœnobio Monasterium S. Petri, quod situm est in territorio Capuano non longe ab Arcu Dianæ, quod dicitur de Juntulo, cum Ecclesia S. Martini, quæ est in partibus Liburiæ, cum inclyta curte, quæ dicitur Severano, & cum aliis Casalibus, & Territoriis, & pratariis, in loco, ubi dicitur ad Transangulum, sicut ejus præcepta continent & scriptiones: Ecclesiam S. Vincentii in Liburia, ubi dicitur Tremojola, cum omnibus territoriis suis: item Cellam S. Vincentii de Cume cum curte, & casis suis: item Cellam S. Georgii infra Salernitanam Civitatem: S. Vincentii in fundo Tensa, cum omnibus aliis Capellis, & pertinentiis eorum*.

Constat etiam, non ita multo post Imperatores, qui per Italiam imperitarunt, hoc ipsum Monasterium sub suum mundiburgium recepisse, idque potissimum, quia extructum & dota-

tatum fuerat ipsius Principatus bonis. Sane anno 851. divisione Beneventani Principatus inita inter Radelchisium Beneventi Principem, & Syconolphum Principem Capuæ, in Capitulari præter alia placuisse scribitur: *omnium rerum SS. Ecclesiarum, Episcopatuum videlicet, vel Monasteriorum sub regula degentium, seu Xenochiorum, ibi census rationes reddentur de suis singulis substantiis, ubi capita sunt eorum, præter Monasteria S. Benedicti, & S. Vincentii, quæ sub defensione Domini Imperatoris Luthari, ejusque filii Domini Ludovici Regis sunt.*

Constat denique anno 941. Hugonem & Lotharium Italiæ Reges Diplomate declarasse, quod ipsis se sistens Præpositus Monasterii S. Vincentii Vulturnensis *detulit nobis præceptum prædecessorum nostrorum Imperatorum, & Regum, & Parentum nostrorum, videlicet Desiderii, Caroli, Ludovici, atque Lotharii, per quæ contulerunt ex suis rebus in præfatum Monasterium, & confirmaverunt res & possessiones sibi a Principibus, Ducibus, reliquisque fidelibus collatas. Unde præfatus Monachus & Præpositus nostram exoravit clementiam, ut eadem præcepta & legales scriptiones, necnon prædia per diversos fines Regni Italici conjacentia, eidem Cœnobio collata, per nostræ confirmationis præceptum in præfatum venerabilem locum confirmaremus.* Hinc prædicti Principes Monasterio confirmarunt superiores omnes concessiones, *& omnes res & possessiones per diversos fines Regni Italici positas*, ac præsertim insequentia Monasteria nominatim expressa: *Monasterium in honorem Beati Petri Apostoli constructum, positum in loco Trite Territorio Baluense: Et Monasterium quod nuncupatur S. Angeli in Barreggio. In Aprutio cellam unam in loco qui dicitur Arole. Item S. Mariam in duas Basilicas. Item Monasterium B. Petri Apostoli positum juxta fluvium Sabbati in Territorio Beneventano. Sed & cellam S. Sossii in Liburia cum toto ipso Gualdo in loco Pantano. Monasterium quoque Domini Salvatoris nostri Jesu Christi, quod positum est in Alife. Necnon Monasterium S. Georgii in Salerno, & Monasterium S. Mariæ in territorio Marsicano, quod situm est in loco Apinianici, una cum castris, capellis, titulis, casis, terris, vineis, campis, pratis, pascuis, sylvis, piscariis, molendinis, aquis, aquarumque decursibus,*

ſibus, ſervis, & ancillis ad prælibatum Monaſterium pertinentibus. Ad majorem autem ipſius Monaſterii ſecuritatem ſub Diplomatis calcem addidere Principes: *Recipimus propterea prætaxatum Monaſterium cum omnibus prætaxatis Monaſterii cellis, rebus & familiis, una cum Fratribus & Monachis ibidem Deo famulantibus ſub noſtræ tuitionis Mundiburdium*.

His ita præſtitutis, mirum profecto videri debet, quo tandem modo tantæ celebritatis Monaſterium, a fundatoribus adeo locupletatum, quod tanto ſtudio ſunt proſequuti non minus memorati Principes, quam ipſorum etiam ſucceſſores, in eam vicem pervenerit, quam hodie experitur. Id tamen totum imputari debet Abbatibus Commendatariis, qui a Regno plerumque abſentes, & id unice ſtudentes, ut reditus longe maximos, quoad ipſi viverent, inde perciperent; nuſquam fuere ſolliciti, quod Cœnobium a Monachis desereretur, ædificia corruerent, & bona ipſius dotalia maximam partem per invaſores occuparentur.

Utcumque id ſit, cum aperte liqueat, veteres Beneventi Principes, quo tempore per omnes ferme Regni Neapolitani Provincias ſummum imperium obtinuerunt, & ſolum ad Monaſterii extructionem dediſſe, & ei dotem conſtituiſſe, neceſſario inde ſequitur, in prædictum Monaſterium jus patronatus ad Principem pertinere. Nam & civili, & Pontificio jure cavetur, per fundationem, ac dotationem Eccleſiarum jus patronatus adquiri, *L. 15. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Nov.* 123. *cap.* 18. *Nov.* 57. *cap.* 2. *cap. Nobis* 25. *de jure patr.* Eo uſque autem patronatus a fundatione & dotatione promanat, ut ipſe cuicumque fundatori competat, licet in fundationis actu is diſerte non reſervetur, quod quidem ex enunciatis juribus aperte colligitur. Hinc liquet cur in prædictorum Principum actis controverſum Monaſterium ſub qualitate Regalis Monaſterii deſignatum fuit. Nil igitur magis cum æquitate convenit, quam ut in patronatum prædicti Monaſterii Regia Corona redintegretur.

Quod vero ad petitionem a Monaſterio Caſinate factam, ut ſcilicet in Monaſterii Vulturnenſis patronatum Regia Corona

rona restituta, rata consistat ejus unio cum Casinensi Cœnobio: ea de re Princeps optimus arbitrio suo statuere debet. Unio enim isthæc unius Pontificis auctoritate facta, neque eo assensu Principis confirmata, quem Regalia rescripta requirunt, videlicet *nudo*, *specifica*, *ed emanato dal Trono*, ab initio suo certe non constitit. Convalescere igitur ea nequit, nisi principali numine confirmata fuerit. Proinde in præsenti rerum facie ejus unionis nulla ratione habita, Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Dom. Reg. Conf. D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Monasterium S. Vincentii ad Vulturnum, bonis Principatus dotatum, extructum ab antiquis Principibus, qui in Neapolitanas Provincias jura Majestatis exercuerunt, fuisse & esse de Regio patronatu, cum omnibus suis Ecclesiis, Granciis, bonis, feudis, privilegiis, exemptionibus, ac pertinentiis quibuslibet, & cum facultate vindicandi bona omnia, quæ occupata fortasse fuerint. Proinde Regiam Coronam in dictum patronatum redintegrari oportere, cum facultate eligendi Abbatis Commendatarii, cum in præsens, tum in futuris vocationum casibus, & cum reliquis juribus e patronatu manantibus. In consequentiam autem præsentis declarationis prædicta Abbatia referatur in libros Curiæ inter reliquas Ecclesias, Monasteria, & Abbatias Regii patronatus.*

In causa inter Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Plani Surrensi, Fratres Congregationis Mortuorum, & Universitatem dicti Plani, cum Rev. Archiepiscopo Civitatis Surrentinæ. Die 17. Septembris 1781.

In collatione officiorum Ecclesiæ receptitiæ, & mere patrimonialis ingerere sese nequit sive Romana Curia, sive loci Ordinarius. Quæ Ecclesiis dantur in onerum mercedem, cum ex me-

REgiis codicillis die 16. Februarii 1780. ad Cameram Regalem missis Principi placuit, ut Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris cognitionem institueret de controversiis subortis inter Canonicos Collegiatæ Divi Michaelis Archangeli de Surrenti Plano, Fratres de Sodalitio Mortis, prædicti Plani Universitatem, & Archiepiscopum Surrentinum, quod ad Canonicatuum collationem in prædicta Collegiata. Hactenus quidem Archiepiscopus Surrentinus in mensibus sibi refer-

ſervatis prædictos Canonicatus libere contulit, duobus exceptis, in quibus prædictæ Ecclesiæ Gubernatores laici jus nominationis exercuerunt. Verum eadem Ecclesia Collegiata contendit, collationes ab Archiepiſcopo factas abuſivas fuiſſe, easque ad ſe pertinere. Contra prædicti Sodalitii Fratres controverſorum Canonicatuum nominationem ob jus patronatus ſibi vindicarunt. Principi viſum, totius controverſiæ definitionem pendere ab examine juris patrimonialis ejuſdem Ecclesiæ recepto ritu cognoſcendi. Ita ei placuit, ut Univerſitas, & ejuſdem Ecclesiæ laici Gubernatores in hac Curia de patrimoniali jure judicium inſtituerent, & ejuſdem juris effectibus: judicio vero pendente præſens ſtatus obſervaretur. ra liberalitate non proveniant, patronatum non tribuunt.

Partibus igitur judicio adeſſe juſſis, ac termino probationibus præſtituto, Curia cognitionem inſtituit de ſtatu, & natura Ecclesiæ Divi Michaelis Archangeli in Surrentino Plano & ante & poſt erectionem Collegiatæ. Ex actis autem aperte patuit, eam Ecclesiam ante annum 1726., & in origine ſua mere laicalem fuiſſe, ad prædicti Plani Cives pertinentem, ſub adminiſtratione laicorum Gubernatorum, qui ab eadem Univerſitate deputabantur. Ea Ecclesia Parœcialis erat; ejus Parochus a Parœciæ incolis nominabatur in loco *Carotto* dictitari ſolito, ejuſque adprobatio & inſtitutio ad loci Ordinarium pertinebat. Eadem Ecclesia receptitia erat, in eamque recipiebantur Sacerdotes, qui inde originarii erant; aliarum Parœciarum Clerici excludebantur.

Liquet etiam, die 20. Maji 1726. Officiales eligi ſolitos a Sodalitio Mortis, erecto in Ecclesia Divi Michaelis Archangeli, in inſtrumento publico declaraſſe, ejuſdem Ecclesiæ Gubernatores erigere ibidem ſtatuiſſe Collegiatam: ideo prædicto Sodalitio placuiſſe ad ejus ſuſtentationem fundos quoſdam eidem addicere unde redire oporteret ducatos annuos biſcentum & triginta, ita tamen ut ab ea diverſis oneribus ſatisfieret, quibus Sodalitium ſuberat. Hinc prædicti Officiales erigendæ Collegiatæ addixerunt præter prædia quædam, pecuniam annuorum redituum nomine collocatam, unde percipiebantur quotannis ducati biſcentum & triginta. Eidem

dem Collegiatæ onus imposuerunt celebrandarum per hebdomadas singulas Missarum vigintitrium, quæ lectæ dictitari solent, propter animas defunctorum Sodalium; per singulas etiam hebdomadas eorumdem animabus applicandi sex Missas cum cantu celebrari solitas, in primo denique Lunæ die singulorum mensium cantandi Missam, & nocturnum unum mortuorum.

Præterea liquet, die 14. Octobris ejusdem anni Gubernatores ejusdem Parœcialis Ecclesiæ Divi Michaelis Archangeli altero instrumento in favorem prædictæ Collegiatæ se obligasse, in quo ad sustentationem ejusdem Collegiatæ in prædicta Ecclesia erigendæ, prout deliberatum jam fuerat, ex fundis ejusdem Ecclesiæ ei donarunt prædia quædam, & census, unde redibant ducati bifcentum annui. Donationi autem ita factæ insequentes conditiones apposuerunt. Inter leges scilicet instrumenti primo cautum, ut prædictæ Ecclesiæ Parochus aut nudus Sacerdos esset, aut Mansionarius, aut erigendæ etiam Collegiatæ Canonicus: idem nominaretur a Parœciæ incolis ex veteri more: præcederet etiam, ac primum obtineret in Collegiata locum, atque ad eum pertinerent Stolæ emolumenta, quæ vocant. Ibidem placuit, ut Canonici, & Mansionarii erigendæ Collegiatæ, Presbyteri forent prædictæ Parœcialis Ecclesiæ Divi Michaelis Archangeli, præcisa facultate cooptandi aut aliarum ejus Diœceseos Parœciarum Sacerdotes, aut exteros. Id ita cautum edicitur, cum quia erigendum Capitulum ab ipsa Parœcia dotem acciperet, tum pacis inter Capitulares servandæ causa. Inter pacta conventa & illud additum, ut prædictæ Parœcialis Ecclesiæ Gubernator, & Capscrius in perpetuum facultatem haberet nominandi eligendi duos Canonicos, ac duos Mansionarios Collegiatæ prædictæ *toties quoties casus vocationis evenerit*. His denique accessit, ut singulis Dominicis Collegiata Missam cum cantu pro populo applicaret, petentibus Gubernatoribus, quibuslibet festis adesset, & sumptibus suis æedituo & organistæ alimenta præstaret.

His ita transactis, a Sodalitio Mortuorum, & laicis Guber-

bernatoribus Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli precibus adito Pontifice Benedicto XIII. prædictæ Collegiatæ erigendæ causa, ejus Bulla ann. 1727. Archiepiscopo Surrentino demandata facultas fuit petitæ erectionis faciendæ, cum præstitutis conditionibus. In Pontificis Bulla speciatim cautum, ut salvum jus foret Parœcianis nominandi, & eligendi Parochi, qui Sacramenta ministraret, institutionem tamen, & adprobationem ab Archiepiscopo accepturi; ut prædicta Ecclesia erigeretur in sæcularem, & Collegiatam, quæ etiam Parochialis, ut antea, existeret; ut in ea constitueretur Præpositura, quæ potissima & unica dignitas foret, uni ex prædictis Ecclesiæ Sacerdotibus conferenda, qui primum haberet in Capitulo locum; ibidem constituerentur *septem Canonicatus, totidemque Præbendæ* (eæ tamen a fundatoribus neque petitæ, neque constitutæ fuerant) *pro septem Presbyteris dictæ Parochialis Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli filiis patrimonialibus idoneis*: ut reservatus intelligeretur Gubernatoribus laicis prædictæ Ecclesiæ patronatus, ac jus nominandi ad Canonicatus duos, *ac dictum jus patronatus, & præsentandi laicorum tantum existere, & Gubernatoribus nunc, & pro tempore existentibus prædictis non ex privilegio Apostolico, sed ex vera, reali, plena, & omnimoda fundatione vel dotatione mere laicalibus dumtaxat competere*; ac denique, ut prædictus patronatus affectionibus Pontificiis non subesset.

Jam vero Surrentinus Archiepiscopus eam in rem delegatus Collegiatæ erectionem exequutioni mandavit quo modo ei demandatum fuerat. Quamvis autem in Canonicatibus erigendis de Præbendarum etiam constitutione verbo tenus mentionem fecisset, ulterius tamen progressus ita declaravit: *Præposito vero & Canonicis prædictis omnia, & singula bona, jura, res, proprietates, obventiones, census, & emolumenta universa, quomodolibet qualificata & undecumque pervenientia, tam ex donatione dictorum ducatorum biscentum facta a Gubernatoribus laicis dictæ Ecclesiæ, quam ducatorum biscentum triginta annuorum a Confraternitate Mortuorum, pro usu distributionum quotidianarum perpetuo applicamus & appropriamus*. Contraria igitur juri Ar-

Archiepiscopi declaratio videri debet, cum de Canonicatibus, & imaginariis Præbendis addit: *Quorum pro tempore vacaturorum provisio, & omnimoda dispositio, ad nos, sive ad Romanam Sedem prout de jure spectare & pertinere debet.*

Rursus mense Martii anno 1728. idem Archiepiscopus ordinaria auctoritate sua prædictæ Collegiatæ addidit alios Canonicatus sex Presbyteris conferendos ejusdem Paræcialis Ecclesiæ. In novis tamen Canonicatibus instituendis reditus Collegiatæ non auxit, itaut cum primæ, tum alterius institutionis Canonici eosdem ducatos 430. sustentationis causa ab initio constitutos inter se partirentur. Res ab Archiepiscopo ita gesta per Pontificem etiam Clementem XII. Bulla sua confirmata fuit mense Julii anni 1753. Neque tamen hic substitit Archiepiscopus, nam paulo post sex Hebdomadariatus Collegiatæ addidit. Ita factum, ut reditibus nusquam auctis, Capitularium numerus vicenarius evaserit.

Ita nata, his profecta initiis Collegiata Divi Michaelis Archangeli; non videtur dubitari posse, officia ex quibus constat, vano Canonicatuum, & Hebdomadariatuum titulo decorata, mere patrimonialia esse. Ubi laici Gubernatores prædictæ Ecclesiæ Collegiatam in ea erigere statuerunt, ei dotis nomine constituentes annuos ducatos biscentum ex prædiis & reditibus ejusdem Ecclesiæ, id ab eis ea lege factum, *che li Canonici e Mansionarj di detta Collegiata erigenda debbano esser Preti della suddetta Parocchiale Chiesa di S. Michele Arcangelo, senza potersi prendere Preti di altre Parocchie di questa Diocesi, e tanto meno li forastieri*. Ecclesia Divi Michaelis Archangeli ab initio suo receptitia fuit, atque in eam admitti poterant soli *Carotti* originarii ex Surrentino Plano. Collegiata ibidem erecta, id sub ea lege factum, ut soli Presbyteri ejusdem Paræcialis Ecclesiæ ad Canonicatus, & Mansionariatus pervenire possent. Jus igitur ad dictam Collegiatam perveniendi prædictorum Presbyterorum patrimoniale fuit. Ubi etiam Sodalitium Mortuorum donavit ducatos annuos ducentos & triginta Collegiatæ erigendæ in Ecclesia Divi Michaelis Archangeli, eam Collegiatam respexit, quæ a Guber-

bernatoribus laicis ejusdem Ecclesiæ constituenda erat; nam unis ipsis jus erat constituendi in Ecclesia sua Collegiatam certis sub legibus. Eadem Bulla Benedicti XIII. exploratum habuit jus patrimoniale prædictorum Presbyterorum, ubi assensum præstitit, ut erigerentur Canonicatus septem, totidemque Præbendæ pro septem Presbyteris dictæ Parochialis Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli filiis patrimonialibus idoneis.

Cum igitur in præsenti controversia agatur de Ecclesia receptitia & Collegiata mere patrimoniali, bonis non Ecclesiasticis quidem, sed mere laicalibus constituta, aperte liquet, neque Romanam Curiam neque loci Ordinarium in collatione officiorum ejusdem Collegiatæ sese posse ingerere, sed hujusmodi collationem ad corpus ipsum, sive Collegium participantium pertinere. Id & Regni politia suadet, & ipsa natura receptitiarum Ecclesiarum exposcit. Ita Regalis Camera non semel definivit: id ipsum Neapolitani Principes suis Divalibus sæpe & declararunt, & statuerunt. Eo pertinent Regiæ literæ 20. Septembris anni 1757. occasione Ecclesiæ S. Petri Putignanensis editæ, & aliæ literæ de die 14. Januarii ann. 1769. propter Ecclesiam Divi Marci in Lamis. Reservatio igitur Archiepiscopi Surrentini, ubi executioni mandavit Bullam Benedicti XIII., qua declaravit, *ut collatio, & omnimoda dispositio de Canonicatibus vacaturis ad nos, sive ad Romanam Sedem, prout de jure, spectare, & pertinere debeat*, Regni politiæ, & legibus adversatur, proinde abusiva, & inutilis.

Hactenus autem expositis frustra opponitur, Præpositi dignitatem, & Canonicatus ipsos, reservationem, & affectionem Romanæ Curiæ subire oportere. In controversa enim Collegiata nomine isthæc dignitatum sunt vana, & substantiam in jure requisitam haud habent. Sanæ hujus Collegiatæ Præpositus & Canonici ullius generis non habent præbendam, quod ad Canonicatus naturam requirit ipse Pontifex in *Cap. Relatum de præbend. & dignit.* Eo accedit, quod nullam ii partem bonorum Ecclesiasticorum habeant; quantum vero percipiunt, id totum pendet e ducatis 430. ab initio eis donatis,

natis, & a bonis mere laicalibus profectis. Iidem autem ducati 430. Beneficiorum Ecclesiasticorum, aut Præbendarum naturam non assumpserunt: nam ab ipso Archiepiscopo ob aliorum bonorum defectum distributionibus quotidianis fuerunt addicti; ita primævam naturam suam non exuerunt, & portiones mere temporales Sacerdotum participantium perrexerunt esse. Hinc ut ad eas Canonici admittantur, persona sua sacris officiis interesse debent; quibus autem diebus absunt, distributionibus privantur secundum receptas regulas *punctaturæ* quam vocant. Pro portione igitur servitii personalis solidus fructus ducatorum 430. omnibus viginti Collegiatis distribuitur, deductis oneribus. Ipsi Scriptores Romanæ Curiæ addictissimi docuerunt, Canonicatui, aut alii Beneficio Præbendam hærentem a personali servitio immunem esse, ac proinde simplices distributiones quotidianas præbendæ locum obtinere non posse. *Card. de Luc. de Canon. disc.* 16. Inde fit, ut Præpositura & Canonicatus controversi earum in dignitatum numero censenda sint, quas vulgo *ventosas* appellant. *Fagnan. ad cap. Ad hæc, de Præbend. n.* 22. Sunt itaque vera officia reservationibus Romanæ Curiæ non subjecta, quemadmodum pluribus Regalibus Rescriptis declaratur.

Perpendit quoque Curia libellum Sodalitii Mortuorum, quo in Collegiatam jus patronatus vindicat, cum facultate nominandi eos, qui in eam admitti debent. Id juris Sodalitium sibi inde asserit, quia in Collegiatæ erectione redituum partem ei constituit ad summam usque ducatorum biscentum & triginta. Curia tamen advertit, ejusmodi largitate sua Sodalitium non meram liberalitatem exercuisse, ut dotem Ecclesiæ constitueret, sed potius veluti mercedem aliquam Collegiatæ tribuisse, ut ea onera sustineret, quibus ipsum Sodalitium astringebatur. Sane a Sodalitio Collegiatæ collata merces vix respondebat oneribus in eam translatis; in ea igitur collatione nullam Sodalitii liberalitatem videre licet. Exploratum est autem, veluti retributionis titulo fundatoribus jus patronatus competere, idque unice repeti oportere a liberalitate, quam illi in Ecclesias fundandas adhibent. Id recte

ad-

advertit *Rot. Rom. dec.* 220. *num.* 9. *p.* 6. *Recent. Lambertin. de jur. patron. par.* 1. *lib.* 1. *num.* 4. *quaest.* 7. Id vero non concurrit in liberalitate Sodalitii Collegiatae collata. Proinde Curia, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ejusdem, ita censuit: *Ecclesiam Paroecialem S. Michaelis Archangeli in Surrentino Plano in loco* Carotto *nuncupato, fuisse & esse receptitiam, & in ea Collegiatam erectam mere patrimonialem esse pro Sacerdotibus in eam Paroecialem receptis: Praepposituram vero, Canonicatus, Mansionariatus, quibus eadem Collegiata constat, & quibus nusquam haeret praebendae qualitas, sed tantum participatio portionum mere temporalium, sub titulo distributionum quotidianarum, ob quotidianum personale servitium, fuisse, & esse mera officia ac dignitates* ventosas *appellari solitas, non subjecta reservationibus, & affectionibus Romanae Curiae: proinde jus providendi in singulis vacationibus ad ipsum Corpus Collegiatorum participantium pertinere, neque usquam Ordinarium loci ea in re immiscere se posse, salvo tamen Gubernatori & Capserio dictae Paroecialis Ecclesiae jure nominandi eligendi Canonicos duos, ac totidem Mansionarios in Collegiata praedicta in singulis vacationum casibus, servata forma instrumenti anni* 1726. *Quod autem ad patronatum a Sodalitio Mortuorum petitum, Collegiata absolvatur.*

In causa appellationis a decreto Rev. Curiae Capellani Majoris pro redintegratione Regii juris patronatus in Abbatiam S. Petri de Campeja. Die 22. *Octobris* 1781.

Ecclesiae, & Monasteria, quae sub eorum defensionem Principes recipiunt, licet a privatis extructa, Regio tamen juri patronatus subjecta censentur.

PEr Rev. Curiam laudatissimi Capellani Majoris Sacratissimi Augustissimique Regis nostri, atque per praeclarissimum Dominum Consultorem ejusdem Curiae fuit dicta sententia, qua in integrum restitutum fuit, atque redintegratum Regiae Coronae ipsiusmet Invictissimi Regis jus patronatus Abbatiae qu. Monasterii S. Petri de Campeja in Dioecesi Aquinatensi sitae, per Aulam Romanam contra fas occupatae, perque eamdem, labente XVI. saeculo, Mensae Episcopali Aquinatensi, neglecto Regio Patrono, copulatae, unitaeque, seu, ut phrasi

Romanæ Curiæ utar, annexæ. Ab hacce sententia reclamavit Rev. Episcopus Aquinatensis, supplicemque libellum appellationis Suæ Regiæ Majestati exhibuit, & Judicem qui in appellationis judicio jus diceret, petiit, obtinuitque, ac mihi Regali Rescripto diei 30. mensis Maji anni 1778. causa demandata fuit, ut supradictam sententiam recognoscerem, quidque actum in ea fuerit, sedulo perpenderem. In obsequium igitur Regalium ordinum ac mandatorum, fuit terminus denuo impertitus in judicio appellationis, expetente Oeconomo laudatæ Mensæ Episcopalis, qui ut causam in hoc judicio instrueret, binas decisiones Rotæ Romanæ, unam nempe diei 21. Aprilis 1600., alteram vero diei 26. mensis Januarii anni 1601. a codice decisionum Seraphini Olivarii exscriptas, exhibuit, quibus, consilio præcipiti, ne dicam, temerario, nititur demonstrare, fuisse repulsum, ablegatumque Regium jus patronatus ab Abbatia S. Petri de Campeja. Ita porro causa instructa, actisque omnibus expletis, sententiam nunc dicendam esse, juris ordo exigit.

Ne autem crambe repetita actum agam, & quod apprime appositeque pro vindicando jure patronatus Abbatiæ S. Petri de Campeja Regiæ Coronæ Augustissimi utriusque Siciliæ Regis in sententia disertissimi Domini Consultoris maturitate maxima perpensum est, denuo refricem, brevitati studens libentissime prætereo. Tantisper solum immorandum esse duco in perquirendo, quandonam fundatum erectumque fuerit Monasterium S. Petri de Campeja, & ecquisnam illius fundator extiterit.

Ego sane, ni me fallit mea opinio, perquam constantissime affirmandum esse censeo, Monasterium S. Petri (postmodum dictum de Campeja & Benedictinorum Ordinis, & regulæ fuisse, ipsa Romana Curia, idemque Episcopus Aquinatis Cathedræ non diffitentur) VI. sæculo erectum fundatum, dotatumque fuisse per Liberium quemdam Patritium, ut apertissime ostendam; & ut hocce expeditius, ac facilius exequar, advertendum esse moneo, Episcopatum Aquinatensem, ejusque Diœceseos majorem partem, collocatum situmque

que esse in Campania, seu in Terra Laboris. Ex duabus porro epistolis S. Gregorii Magni Pontificis Maximi, nempe decimaquinta, & decimasexta, quæ prostant libro septimo epistolarum ipsiusmet Sancti Pontificis anni 599. indictione secunda, seu epistolis quadragesimanona, & quinquagesima ejusdem libri, comperitur, Monasterium modo dictum, fundatum dotatumque fuisse per Liberium Patricium. Ast cum Theodosius Abbas petiisset a S. Gregorio Magno, ut idemmet Monasterium nuperrime tunc constructum in domo cujusdam Martini dedicaretur in honorem B. Petri Apostolorum Principis, & S. Michaelis Archangeli, hoc indulsit S. Pontifex, datis litteris ad Fortunatum tunc temporis Neapolitanum Episcopum, ut modo dictam dedicationem expleret, quodque fuisse peractum præclarissimus Joannes Mabillonius Benedictinorum decus *lib. 1. Annalium ejusdem Ordinis, ad annum 599. num. 29. pagina mihi 254.* sequentibus verbis testatur: *Tunc etiam Theodosius Abbas Monasterii Sancti Martini a Liberio quondam Patricio in Campaneæ Neapolitanæ partibus constructi, ab eodem Pontifice (S. Gregorio Magno) facultatem petiit, ut dedicaretur Monasterium in honorem B. Petri Apostolorum Principis, & S. Michaelis Archangeli, quod Andreas ipsius decessor in domo cujusdam Martini construxerat. Annuit Pontifex, scriptis litteris ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum, ut ad prædictum locum absque ullo gravamine rogatus accederet, solemnia dedicationis facturus.*

Testatur enim S. Pontifex in supradicta epistola decimasexta, sive sit quinquagesima *lib. 7.* ejus epistolarum, hocce Monasterium constructum, dotatumque fuisse per Liberium Patricium, scripsitque epistolam decimamquintam, seu quadragesimamnonam ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum, ut dedicationis prædictæ solemnia perageret; aitque Monasterium esse collocatum in Campaneæ partibus. Igitur Monasterium, de quo nunc concertatio est, quodque fuit in Campania, seu Terra Laboris, ipsum idem est, quod sæculo VI. per Liberium Patricium constructum, fundatum, dotatumque fuit.

Et ut quælibet animi fluctuatio penitus profligetur, admonitum volo, nullum unquam aliud Benedictinorum Monasterium extructum fuisse in Campania, seu Terra Laboris sub invocatione S. Petri, ut videre est ex omnibus sex tomis Annalium Benedictinorum per laudatissimum Mabillonium partim absolutis, partim per eundemmet primis lineis designatis, & per doctissimum virum P. Theodoricum Ruinart ejusdem Ordinis absolutis. Unum tantum dixeris reperiri Monasterium fundatum in Beneventana Civitate sub invocatione S. Petri anno 672. per Theodatam Romualdi Beneventani Ducis uxorem: at pro sanctimonialibus virginibusque velandis illud constructum fuisse ipse Mabillonius scribit *tom.* 1. *Annalium*, *ad annum 672. pag.* 513. & *pag.* 600. *in fin.*

Igitur si solum Monasterium supradictum per Liberium Patricium constructum, fundatum, atque dotatum comperitur extitisse in Campania, seu Terra Laboris, illudque dedicatum fuisse sub invocatione S. Petri, & S. Michaelis Archangeli, certo certius dijudicandum est, illud idem fuisse, quod temporum injuria, & tantarum gentium exoticarum barbararumque excursionibus in hoc Regno peractis, per Romanam Aulam fuit, nemine obsistente, occupatum, & ad suum libitum contra jus fasque in commendam traditum, collatumque.

Nec firmissimo huic judicio meo negotium facessit supralaudata epistola S. Gregorii Magni, ex qua legitur fuisse Fortunato Episcopo Neapolitano mandatam dedicationem dicti Monasterii, proindeque illud, licet in Campania collocatum, fuisse tamen in Diœcesi hujus Neapolitanæ Cathedræ Episcopalis, quæ pariter in Campania est; cum ex opposito Monasterium S. Petri, de quo concertatio est, fuit, estque Diœceseos Aquinatensis, cujus Episcopo in mandatis danda erat dedicatio. Sane parvifacienda est hujusmodi cavillatio; nam (misso eo, quod paullo ante demonstratum est, videlicet, in Campania unum tantum adfuisse Monasterium Ordinis S. Benedicti sub invocatione S. Petri, illudque fuisse in Diœcesi Aquinatensi situm) hujuscemodi objectio perquam facillime diluitur, si medii ævi historia præ oculis habeatur, quam

quam ſtrictim hic dicere abs re non eſſe exiſtimo.

Civitas Aquinas, quæ vetuſtiſſima atque perilluſtris fuit, meruit Cathedram Epiſcopalem a primis ſæculis Chriſti Servatoris religionis in hiſce regionibus firmatæ, Epiſcopoſque ſuos tenuit ad annum uſque quingenteſimum ſeptuageſimum ſecundum, fuitque ultimus Epiſcopus Jovinus quidam. De hac re teſtem do eumdem Magnum Gregorium, qui eodem VI. ſæculo floruit, mortemque obiit die 12. menſis Martii anni 604. Ipſe profecto libro Dialogorum hæc habet: *Vir quoque venerabilis vitæ Conſtantius Aquinæ Civitatis Epiſcopus fuit, qui nuper prædeceſſoris mei tempore beatæ memoriæ Joannis Papæ defunctus eſt. Hunc prophetiæ habuiſſe ſpiritum multi teſtantur. Cujus inter multa hoc ferunt religioſi veraceſque viri, qui præſentes fuerunt, quod in die obitus ſui, cum a circumſtantibus civibus, utpote diſceſſurus, pater tam amabilis plangeretur,* eum flendo, *requiſierunt dicentes*: quem poſt te patrem habebimus? *quibus ipſe pater per prophetiæ ſpiritum reſpondit, dicens,* poſt Conſtantium, Mulionem, poſt Mulionem, Fullonem. O tu Aquina & hoc habens. *Quo defuncto, ejus Eccleſiæ Paſtoralem ſuſcepit curam Andreas Diaconus illius, qui quondam in ſtabulis itinerum curſum ſervaverat equorum. Atque hoc ex hac vita ſubducto, ad Epiſcopatus ordinem Jovinus accerſitus eſt, qui in eadem Civitate fullo fuerat. Quo adhuc ſuperſtite ita cuncti habitatores Civitatis illius & Barbarorum gladiis, & peſtilentiæ immanitate vaſtati ſunt, ut poſt mortem illius nec quis Epiſcopus fieret, inveniri potuiſſet. Sic itaque completa eſt viri Dei ſententia, quatenus poſt diſceſſum duorum ſe ſequentium, ejus Eccleſiæ Paſtorem minime haberet.*

Refert hæc eadem Baronius *tom.* 10. *ad ann.* 572. *pag. mihi* 206., quæ non omiſit Ughellius in ſua *Italia Sacra*, *tom.* 1. *de Eccleſiis Sanctæ Romanæ Sedi immediatate ſubjectis*, *pag. mihi* 394. *ad* 396. Nec ante annum milleſimum ſexageſimum reſtaurata fuit Cathedra Epiſcopalis Aquinatis, quo anno quidam Angelus illam aliquandiu rexit, fuitque poſtea anathemate percuſſus a Leone IX., & a Nicolao II., e Cathedra prorſus deturbatus, ut habetur ex Leone Oſtienſi in Chro-

Chronico Casinensi *lib.* 3. *cap.* 15., & ex laudato Ughellio loco nuperrime indicato.

Ex dictis ergo liquet ævo S. Gregorii Magni, & præcipue anno 599., quo epistola decimaquarta ad Fortunatum Neapolitanum Episcopum scripta fuit, Ecclesiam Aquinatensem orbatam fuisse proprio Pastore ab anno 572. ad annum usque 1060. ea propter in anno 599. potis non erat S. Gregorius Magnus mandare Episcopo Aquinatensi, ut dedicationem Monasterii supradicti solemni ritu adimpleret; scripsitque idcirco ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum, ut dedicationem exequeretur.

En ergo quam apposite dignoscitur Monasterium S. Petri per Liberium Patricium VI. sæculo fundatum, dotatumque, illud idem fuisse, quod postea Monasterium S. Petri de Campeja nuncupatum fuit. Nec profecto obsistere licet ex eo, quod Monasterium per Liberium Patricium fundatum dotatumque fuerit sub invocatione SS. Petri, & Michaelis Archangeli dedicatum; Monasterium vero, de quo lis est, S. Petri tantum fuerit nuncupatum; etenim quamplures Ecclesiæ, multaque Monasteria sub invocatione plurium Sanctorum erecta fuere, quæ deinde temporis excursu, atque diuturnitate, exoletis secundis Sanctorum nominibus, priorum Sanctorum solum nomina retinent, iisque nuncupantur, ut, missis sexcentum aliis, experientia docet in Monasterio eorumdem Benedictinorum hujusce Civitatis SS. Severini, & Sossii, quod sub nomine S. Severini dumtaxat appellatur, cognosciturque.

Hisce itaque perpensis, progrediendum est ad disquirendum quonam modo dici valeat juris Regii patronatus esse Monasterium fundatum, & dotatum non per Regem, neque per Dynastam aliquem, sed per hominem quendam, licet Patricium, carentem tamen imperio, & jure summæ potestatis, cum hæc sublimia jura Solium, & Regale fastigium, quibus fundator fulgeat, Regium jus patronatus efficiant, atque inde exordium capiant.

Exceptio isthæc quamvis prima fronte debilitare videatur

tur Regium jus patronatus Abbatiæ S. Petri de Campeja; attamen eam floccipendendam, atque susque deque habendam esse ex iis, quæ prænotabo, apertissime ostendam.

Monasteria omnia a suis primordiis originum, & erectionum semper fuere sub speciali cura, & defensione Principum Christianorum, sive illa fuerunt per Principes ipsos, eorumque prædecessores, sive per privatas personas constructa atque dotata. Immo omnia bona vel eisdem Monasteriis donata, vel quæ pro dote in fundatione ipsorummet Monasteriorum tradita fuere etiam a modo dictis privatis hominibus, & Regalis dignitatis, & imperii expertibus, habita semper fuerunt tanquam ab ipsismet Principibus dono Monasteriis data. Apposite porro mihi videtur in medium proferre constitutionem Alexii Comneni hujus nominis primi, sive Manuelis ejus filii Imperatoris relatam exscriptamque per Theodorum Balsamonem in Commentario Canonis 12. Concilii Nicæni II., & VII. Oecumenici apud Guilielmum Beveregium *tom.* 1. *Pandectar.* Canonum *SS. Apostolor. & Concilior. pag. mihi* 305. *Omnia enim quæ ab ipsis Monasteriis in quacumque Provincia possidentur in Occidente, & Oriente . . . . a dictis omnibus Monasteriis vult mea Majestas in æternum possideri, ut Majestatis meæ donum a liberalitate, & munificentia mea profectum . . . Nec enim licentiam habebant Monasteria augere, & amplificare ea, quæ ab ipsis hodie possidentur*. Prostat etiam hæc constitutio post Novellas Justiniani editionis Dionysii Gothofredi, ubi leguntur Constitutiones Imperatoriæ *Constit. IX.* inter Constitutiones Manuelis Comneni Alexii filii; extatque pariter apud Joannem Leunclavium in jure Græco-Romano inter Constitutiones Manuelis Comneni, *Constit. IV. pag. mihi* 156.

Unum tamen monitum esse volo, Franciscum de Roye doctissimum eruditissimumque virum, constitutionem hanc adscribere Alexio Comneno Manuelis patri; at cum illa extet inter Constitutiones per filium Manuelem editas, non vero per patrem Alexium, illi potius adscribenda erit, non isti; sed ne aliquid prætercam, liber electoralis Bibliothecæ Palatinæ

tinæ illam Alexio tribuit, ut videre est in nota ad dictam Constitutionem apud Leunclavium loco nuperrime laudato.

Apprime profecto docuit clarissimus vir Franciscus de Roye in percelebri Opusculo *de Missis Dominicis tit. de Missis Dominicis ad disciplinam publicam*, *cap.* 8. *Qualibet bona Monasteriorum curæ semper fuerunt Christianissimis Regibus*, *non tantum quod plura ex iis donaverint, sed etiam quod cum eorum donationes ab ipsis etiam privatis factas Regia auctoritate confirmarunt, perinde esse putaverunt, ac si ea Monachi ex Regia liberalitate possiderent.*

Neque extra præsentis concertationis propositum esse puto hic exscribere, quæ doctissimus Stephanus Baluzius notat ad Lupum Ferrariensem *p.* 344. *Dein vero paulatim Reges nostri eorum Monasteriorum in se susceperunt curam, deque statu eorum Monachorum Regni auctoritate cognoscebant ... Itaque Monasteria, ut sæculi nostri verbis utamur, erant per eas tempestates (sæculo scilicet VI. & sequentibus) immediate subjecta auctoritati Regiæ, & ad eam nullo medio respiciebant. Et quoniam eo præsidio Monasteria indigebant, ut facilius occurrerent contradictionibus sive Episcoporum, sive aliorum quorumcumque. Ii qui Monasteria de novo fundabant, ea ponebant sub tuitione & defensione Principis.* Hocque idem testatur disertissimus vir justus Enincius Boehmerus in *jure Ecclesiastico* ad *lib.* 3. *Decretalium*, *tit.* 35. *de Statu Monachorum*, *& Canonicorum Regularium*, §. 14.

Fuere porro nedum bona, sed Monasteria ipsa omnia Regiæ potestati subjecta, ac submissa, & nisi suspicarer, satietatem, tædiumque quibusdam afferre, facile temporum historiam percurrerem, & sigillatim subjectionem omnium Monasteriorum tam virorum, quam sanctimonialium hic referre potis essem. Ipsi profecto Episcopi, quibus primævo jure Monasteria subjiciebant, minime audebant sub sua potestate illa suscipere, nisi impetrato prius Principis consensu; id quod eruitur a Gregorio Turonensi *lib.* 9. *Historiar. cap.*40., dum verba facit de sanctimonialium Monasterio S. Crucis in Provincia Pictavorum fine VI. sæculi extructo per Reginam Radegundem quondam Childiberti Regis uxorem, postquam a ma-

a matrimonio sejuncta ad celibatum in Monasterio se recepit. Ait siquidem Gregorius Turonensis: *Qua (Regina Radegunde) migrante, iterum petiit Abbatissa, se sub Sacerdotis sui potestate degere: quod ille cum primum respuere voluisset, consilio suorum promisit, se patrem earum, sicut dignum erat, fieri, & ubi necessitas fuisset, suam præbere defensionem. Unde factum est, ut absens ad Childebertum Regem præceptionem eliceret, ut ei hoc Monasterium, sicut reliquas Parochias regulariter liceat gubernare.*

Hoc idem testatur ipse doctissimus Joannes Mabillonius *tom.* 1. *Annalium Benedictinorum lib.* 7. *ad annum Christi* 587. *pag. mihi* 193., ubi idem Monasterium commemorans, hæc habet: *Radegunde Regina mortua, denuo Abbatissa postulavit, quod pia Regina postulaverat vivens a Maroveo loci Episcopo, ut Monasterium Sanctæ Crucis esset sub ejus potestate, quod ille primum quidem abnuit: postea vero Clericorum suorum consilio, mutata sententia, earum se patrem fore pollicitus est & tutorem. Sed quia inconsulto Rege, sive quod Regiæ tutelæ subjectus a Radegunde fuisset locus, sive quod Regiæ conditionis esset, hanc potestatem exercere integrum sibi non credebat; a Childeberto ejus rei facultatem litteris petiit, Regiumque Diploma obtinuit, ut hoc Monasterium, sicut reliquas Parochias suas, regulariter gubernare sibi liceret.*

Ast ne tempus frustra teratur, legat, quæso, qui velit, praclarissimum, eruditissimumque virum Franciscum Florentem, rerum, historiarumque Ecclesiasticarum apprime callentissimum in Dissertatione habita ad rectam explanationem, *cap. auditis, extra de præscriptionibus*, quæ prostat *tom.* 1. ejus Operum *pag. mihi* 255. *& seq. edition. Parisiensis anni* 1679., ubi *cap.* 2. *pag.* 268. *in fin.* sic edisserit: *Atque hanc auctoritatem, & potestatem Regum, & Principum in Monasteria nemo mirabitur, si attendat Canones Concilii Chalcedonensis, qui ad statum Religiosorum pertinent, non ab ipsis Patribus Concilii primum emanasse, sed a Martiano Imperatore Patribus oblatos, & exceptos, & laudatos ab omnibus Episcopis cum hujusmodi acclamationibus*: Hæc fide digna sunt Sacerdoti, Imperatori multos annos, *ut constat ex actione sexta Concilii Chalcedonensis. Legitimam istam Principum potestatem, ut indicavimus in hoc capite*, *In-*

Innocentius III. in Regibus Angliæ agnovit: in nostris vero Regibus plures Summos Pontifices eam & laudasse & probasse ostendemus. Ita scribit laudatissimus vir, quodque solide etiam firmat vir nemini secundus Franciscus de Roye in sæpe addictato Opusculo *de Missis Dominicis*, *tit. de Missis Dominicis ad disciplinam publicam*, *cap.* 7. *de Monaster. subjectione*; demonstratque pariter disertissimus Joannes Nicolaus Hertius in dissertatione *de jactitata Cistercienfium exemptione*.

His igitur prænotatis in comperto est, jure optimo Ferdinandum I. Aragoneum Regem inter Abbatias Regii juris patronatus adscripsisse Abbatiam Monasterii S. Petri de Campeja, tam quia sic retroacto ævo illa habita fuerat, ut perquam scite edisseruit præclarissimus Consultor Rev. Curiæ optime meriti Capellani Majoris in sua sententia; quam, tametsi Monasterium prædictum fuerit illud idem, quod Liberius Patritius in fine VI. sæculi fundavit, dotavitque, niholosecius quia bona pro dote, & substentatione ipsiusmet Monasterii per Liberium donata, & tradita, habita fuere ut dono data, & tradita per tunc temporis illius regionis Dynastas, & deinceps per Regni successores Principes, quorum potestati fuere etiam omnia Monasteria submissa, atque recepta sub eorum tuitionem, & defensionem (quæque idem est ac jus patronatus, ut pro Regio patronatu Monasterii Monialium S. Benedicti de Cupersano disserui) propterea extra dubitationis aleam est, Abbatiam prædictam fuisse, & esse Regii juris patronatus, redintegrandamque profecto Regiæ Coronæ cum omnibus ejus juribus.

Nec porro imminuunt Regium jus binæ decisiones Rotæ Romanæ nuperrime in actis exhibitæ, quibus decisum fuisse adstruitur, Abbatiam sæpe dictam non fuisse Regii juris patronatus, cum quia illæ fuere Regni tunc Rege prorsus inaudito; tum etiam quia illæ dictæ fuere per Judicem penitus incompetentem, ut apposite, post ceteros, docuit Franciscus de Roye in *Prolegom. ad tit. de jure patronatus cap.* 29. hisce verbis: *Ratio ea est quia cum laici Judicibus Ecclesiasticis nulla ratione subjaceant, nisi pro rebus mere spiritualibus, ad eos duci*

non

non debeant occasione juris patronatus, quod ex se temporale est: & licet Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 9. *de Reform.* involucris verborum multa tegere conatum fuerit, in hoc Regno profecto, ut in ceteris Catholicis Regionibus, non solum illi quoad hoc caput obviam itum fuit, sed etiam alia multa capita recepta non fuere. Proindeque non solum in Regno nostro, sed penes omnes Orthodoxas Nationes de existentia, & patronatus pertinentia Judices Regii solum cognoscunt, deciduntque. Et licet Alexander III. rescripserit Regi Anglorum Henrico II. *cap.* 3. *de judiciis*, causas juris patronatus terminandas fore coram Judice Ecclesiastico; attamen rescriptum illud non fuit postea executum, quia in Anglia aderant leges peculiares, quibus hæ causæ decidendæ erant per Judices Regios, ut testis est Matthæus Paris in Historia in Henrico II. ad annum 1163.; neque Pontifici jus est legibus, & summarum Potestatum jurisdictioni derogare, neque paullulum minuere, vel attingere.

Optime igitur per Rev. Curiam clarissimi Capellani Majoris sententiatum, injuria per Episcopum Aquinatensem appellatum esse censeo.

BASILIUS PALMIERI.

In causa juris patronatus in Ecclesiam Parochialem Casalis Paulisii sub titulo S. Thomæ Apostoli, inter Ill. Principem Ariciæ utilem Dominum Terræ Arpadii, & Reverendiss. Archiepiscopum Beneventanum. Die 9. *Februarii* 1782.

Visis omnibus actis, Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consil. D. Dominici Potenza, Consultoris ejusdem, declarat: *Jus patronatus in Ecclesiam Parochialem Casalis Paulisii sub titulo S. Thomæ Apostoli spectavisse, & spectare medietate ad Serenissimum Regem, immediate vero ad Ill. Principem Ariciæ, tanquam utilem Dominum Terræ Arpadii, ac proinde eumdem Ill. Principem redintegrandum esse, & redintegrari debere, prout præsenti definitiva sententia redintegrari* man-

Jus patronatus recte probatur per antiquas enunciativas.

mandatur in memoratum jus patronatus, cum præeminentiis, & juribus omnibus patronatui inhærentibus, præsertim vero cum jure præsentandi Parochum, seu Rectorem, ad dictam Ecclesiam Parochialem, quotiescumque casus vacationis acciderit: oppositis & prætensis nomine Reverendiss. Archiepiscopi Beneventani non obstantibus.

Ita fuit pronunciatum eoquod in antiquo Codice hujus Curiæ, in quo recensentur Ecclesiæ ad Regium, vel feudalem patronatum pertinentes, Ecclesia isthæc describitur his verbis: *Paulise. S. Tomaso di Paulise, Casale di Arpaja.* Id vero constituit probationem quam ajunt probatam, cum nemo ambigat, non aliter olim in eo Codice hujusmodi Ecclesias fuisse descriptas, nisi illarum qualitate probe perspecta & explorata. Eaque de causa Codex ipse inter acta Curiæ asservatur, ut scilicet indigitentur Ecclesiæ de patronatu Regio, vel feudali, ejusque ope hujusmodi Ecclesiæ ab aliis discernantur: isque est ejusdem Codicis quotidianus usus in sententiis ferendis, cum de illarum Ecclesiarum qualitate in Curia disceptatur. Neque obest, quod in eo Ecclesiæ aliquot describantur, in quas actu non exercetur jus patronatus: cum enim acciderit, illos, ad quos ea res pertinet, in patronatum velle redintegrari, maximus erit ejusdem Codicis usus pro demonstranda pertinentia patronatus.

Porro, quod ad antiquorum librorum fidem in judiciis, extat definitio Innocentii III. in *Cap. Ad audientiam*, vers. *Nos igitur de præscript.*, res scilicet antiquas recte probari ex libro censuali Ecclesiarum, cui plena adhibetur fides. Extat & definitio Honori III. in *Cap. Cum causam, de probat.*, quod scilicet res antiquæ veterum librorum ope valide probentur. Extat etiam Glossa ipsius juris Pontificii in *d. Cap. Cum causam*, sic enim ibi a Glossatore monitum: *Nota ergo, quod scriptura librorum antiquorum facit fidem.* In eamque iverunt sententiam *Benedict. Cardos. Osor. de Patr. Reg. res. 5. n. 10. Salg. de Reg. protect. p. 3. c. 10. n. 280.* præcipue ex relatis per Velascum *de jur. emphyt. qu. 19. n. 26.*, quod scilicet judicatum fuerit, *quasdam Ecclesias ad jus patronatus Regium pertinere ex*

eo dumtaxat, quod in libro censuali posito in Archivo Ecclesiæ Majoris Episcopatus Conimbrensis, ubi scriptæ erant Ecclesiæ, reperiebatur scriptum in margine libri (Regis est), nec profuisse possessori ducentenariam, nec etiam immemorialem possessionem probatam, cum in patronatibus Regiis non currat præscriptio. Addendi sunt *Cabed. de Patronat. Reg. Coron. cap. 34. n. 2. & 3. Card. de Luca de jurepatron. disc. 57. n. 13. & de præemin. disc. 2. n. 14. & disc. 3. n. 10. Lambertin. de jure patron. lib. 2. part. 2. in 4. art. decimæ quæst. num. 13. Cassan. in Catalogo par. 1., considerat. 46. circa fin. Surgent. Neap. Illustr. cap. 12. n. 1.*, aliique sexcenti.

Constat etiam biscentum ab hinc annis, nempe anno 1582. D. Joannem de Guevara utilem Dominum Terræ Arpadii, & Casalium, ea gessisse, quæ ad patronum controversæ Ecclesiæ pertinebant. Is nimirum publico instrumento declaravit jus patronatus in Ecclesiam Parochialem S. Thomæ sitam in Casali Paulisii ad se pertinere: ad eam pridem in Rectorem præsentatum fuisse D. Carolum Laudini, & post ejus obitum ab Ordinario loci in Oeconomum tantum prædictæ Ecclesiæ electum fuisse D. Jacobum Antonium Murtillum: quo pariter defuncto, & eadem Ecclesia vacante, jura patronatus exercendo præsentavit in Rectorem prædictæ Parochiæ D. Sanctum Federicum de Casali Paulisii.

Ulterius apparuit, D. Marinum Verrusio dictæ Ecclesiæ Parochum in inventario confecto anno 1690. ita præfatum fuisse: *In primis la detta Chiesa Parochiale non costa da chi fu eretta, nè da chi fu benedetta, bensì si trova essere stata jus patronato delli Padroni di Arpaja pro tempore: E D. Giovanni di Guevara figlio di Alfonso Barone di Arpaja, e Casali, l'anno 1546. a' 22. Marzo, essendo già stato eletto Vescovo di S. Agata, rinunciò una parte della Rettoria di detta Cura, ed in suo luogo successe D. Santo di Laudita presentato da D. Innico di Guevara, come di sopra.* Quæ vero in relatione Peritorum *fol.* 202. congesta sunt adversus hoc inventarium, ea quidem ad rem non faciunt, non enim agitur de inventarii solemnitate, validitate, ejusve effectibus, sed de antiquis enunciativis,

tivis, seu adsertionibus, quæ in quavis scriptura minus etiam solemni, dummodo non probetur fraude confecta, respiciendæ veniunt ad antiquarum rerum probationem. Quod autem jus patronatus probetur per antiquas enunciativas saltem duas, docuerunt iidem Scriptores, nempe *Card. de Luca de jure patron. disc.* 57. *n.* 19. *Benedict. Cardos. Osor. de Patron. Reg. resol.* 5. *n.* 6. necnon *Garc. de Benef. par.* 5. *cap.* 9. *n.* 86. *Vivian. de jure patron. lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 24. 48. 49. 50. 54. 57. 58.

Frustra vero objicitur, ab anno 1664. Ecclesiam hanc Parochialem tam ab Ordinario loci, quam a Romana Curia libere fuisse collatam; nam, ut passim in Europa alibi, Patriæ Regni leges, cum reliqua Regalia, tum Regios, feudalesve patronatus præscriptioni subesse non patiuntur.

In causa patronatus in Abbatiam S. Mariæ de Perno, Die 21. Junii 1782.

Ecclesia, quam utilis terræ dominus fundavit, dotavitque, ipsius immediato juri patronatus, mediato vero patronatui Regio obnoxia est. Præscriptio dari nequit, cum de jure patronatus res in judicio deducta fuerit.

ABbatia S. Mariæ de Perno in Diœcesi Rapollæ per Romanam Curiam collata Nicolao Columna ex Hostiliani Principibus, Pontificio Nuncio apud Invictissimum Regem Hispaniarum, petiit Josephus Caracciolus Torellæ Princeps ei collationi Regium *exequatur* denegandum esse. Excepit enim prædictam Abbatiam & feudalis patronatus esse, & ad se pertinere tamquam feudi Atellæ possessorem; per summam autem injuriam a Romana Curia controversæ Abbatiæ collationem fuisse interceptam. Non absimilis petitio fuit Andreæ Doria Melphitani Principis; is enim ejusdem Abbatiæ patronatum sibi asseruit, tamquam possessori feudi S. Felicis. Uterque igitur & Pontificiæ collationi exequendæ impedimento fuerunt, seque in prædictæ Abbatiæ possessionem reintegrari petierunt. Verum adversus utrumque contendit Nicolaus Columna, utriusque petitionem ordinario judicio subjiciendam esse, collatione Pontificis non impedita, cum is per tempus immemorabile controversam Abbatiam libere contulerit.

Sub ipsius judicii ingressum apprime constitit, ab ipso an-

anno 1565. in Curia instante Fisco, contradictoribus existentibus Commissariis Apostolicis, probationes fuisse factas de prædictæ Abbatiæ patronatu feudali in termino præstituto ad impediendam usurpationem cœptatam a Romana Curia: neglectis autem Fisci probationibus, anno 1616. vano obtentu decisionum Romanæ Curiæ, a Judice scilicet non competente factarum, ac Regiorum Magistratuum imbecilitate, collationem Pontificiam exequutioni fuisse mandatam, Fisci juribus tamen expresse reservatis: exinde etiam per summam incuriam, insuper habitis probationibus institutis anno 1565., & juribus Fisco reservatis, insequutas collationes Romanæ Curiæ exequutionem in Regno habuisse. De veteri igitur controversia disceptatio est, & vetustiori judicio agitata, in quo Fisci jura sat fuerunt exposita. Hinc Curiæ visum in præsenti controversia novum terminum probatorium impartiri, ne quid tamen interea temporis Fiscus detrimenti caperet, ipsius Abbatiæ reditus sequestro ponere.

Quoniam vero cum Torellæ Princeps, tum Princeps Melphii in eo conveniebant uterque, patronatum S. Mariæ de Perno veteri Armaterii Castro fuisse adnexum, eo cum discrimine tamen, quod ille contendebat prædictum Castrum unitum fuisse feudo Atellæ, hic vero feudo S. Felicis a se possesso, quæ quidem controversia S. C. judicanda remissa fuerat; ideo ea in re Curia ita interloquendum censuit die 18. Januarii anni 1781.: *Terminus datus currat super existentia, vel inexistentia patronatus feudalis in antiquo Castro vulgo dicto Armaterio. Quoad pertinentiam vero dicti antiqui Castri, num scilicet annexum sit, & unitum feudo Atellæ, an vero feudo S. Felicis, Partes adeant Sacrum Consilium, ubi causa pendet inter utiles Dominos dictorum feudorum.*

Termini compilatione absoluta, & causa per sententiam jam decidenda, quod ad fundationem, & dotationem Ecclesiæ S. Mariæ de Perno insequentia monumenta Curia consideranda sibi proposuit.

Quod ad fundationem, ejus expressa declaratio est in instrumento Margaritæ viduæ Gilberti Balbani. In eo edicit

pien-

pientiſſima mulier virum ſuum Armaterii Dominum, cum inter vivos ageret, conſtruendam ſuſcepiſſe Eccleſiam S. Mariæ de Perno, eamque abſolvere voto ſe obligaſſe: eum fato præreptum: hinc ad ejus operis, ac voti implementum ſe donaſſe eidem Eccleſiæ prædium latioribus finibus circumſcriptum prope aliam poſſeſſionem eidem Eccleſiæ antea a ſe donatam. Id aperte liquet ex inſequentibus inſtrumenti verbis: *Hinc eſt quod nos Margarita uxor quondam Domini Giliberti de Balbano, Dei, & Regia gratia Domina Armaterii, & totius Vallis Vitalbæ, eo quia ipſe vir meus recolendæ memoriæ, ſicut notum eſt per totam circumſtantem Patriam, inceperat Eccleſiam S. Mariæ de Pernis conſtruere, & vovit expenſis propriis adimplere, ad cujus ſalutiferi operis perfectionem, & voti adimplementum, quoniam ſicut Domino placuit rebus humanis eſt exemptus, tum pro ſalute animæ ſuæ ſuorumque parentum, & noſtræ noſtrorumque ſucceſſorum remedio, ſpontanea, & gratuita noſtra voluntate donamus, & concedimus prætaxatæ Eccleſiæ S. Mariæ de Pernis, quæ eſt ſubſraganea S. Salvatoris de Guoleto, cui præeſt Domina Agnes Venerabilis Abbatiſſa, petiam terræ quæ eſt in territorio Vallis Vitalbæ ad locum ſcilicet, ubi dicitur Cartofoge. Quæ terra talibus eſt circumdata finibus. Primus finis eſt Vallo, qui eſt juſta tenimentum, quod alia vice dedimus eidem Eccleſiæ S. Mariæ de Pernis &c.*

Quod ad dotationem, præter bona a Margarita donata ad abſolvendum opus a prædicto viro ſuo Giliberto ſuſceptum, conſtat menſe Martio anno 1173. Riccardum de Balbano ejuſdem Giliberti filium cum filio ſuo Giliberto juniore ad ejuſdem Eccleſiæ ſuſtentationem ingentem dotem ei conſtituiſſe, bonis ipſi conceſſis, quæ in ſuo Diplomate ita deſcribuntur.

Ego Riccardus de Balbano intelligens conſideravi nil felicius, & celebrius in præſenti vita pro ſuperna beatitudinis gloria adipiſcenda agere mibi licere, quam ſervos Dei, & Eccleſias Chriſti temporalibus beneficiis ſuſtentare. Iccirco prævidimus de quadam Eccleſia S. Mariæ, quæ in territorio Armaterræ ſita eſſe videtur juxta montem, qui Perni dicitur: quod nullatenus niſi no-

nostro adminiculo sustentari potest. Et ideo una cum filio meo Giliberto consulentes, sustali traditione donamus eidem Ecclesiæ S. Mariæ Perni obedientiæ S. Salvatoris, quod in territorio Monticli constructum videtur . . . . offerimus, & concedimus totam Braidam, quæ est in sylva munda, quam Dominus Rogerius de Murra in pignore prædictæ Ecclesiæ S. Mariæ Perni pro unciis quatuor auri posuit, cum toto bissilito, quod desuper eamdem Braidam est . . . cujus, & dicimus fines. Ab oriente finis est rivulus, qui dicitur Fenuclarii, qui etiam vocatur rivulus vivus. A septemtrione est vallonus qui fluit justa terram, quæ fuit Caroli Armaterra, & incipit finis iste a prædicto fluvio Fenuclarii, & ascendit per vallonem illum usque ad terram, quæ fuit Roberti de Rocco militis. Deinde incipit alius rivulus parvus a dextra parte illius terræ, & ascendit per illum rivulum usque ad domum Braidæ, quam dedit prædictus Dominus Rogerius de Murra eidem Ecclesiæ. Itaut prædicta terra Roberti de Rocco sit in hoc dono, sicut in præsenti privilegio de Braida, & bissillito continetur. Ab occidente finis prænominata Braida, quam Dominus Rogerius de Murra nostra concessione dedit eidem Ecclesiæ. A meridie finis ejus est donum terræ, quod fecit eidem Ecclesiæ Mater mea bonæ memoriæ similiter nostra concessione, & sic descendendo finis iste conjungitur cuidam valloni, qui est inter terram, quam pater meus bonæ memoriæ primum prælibatæ Ecclesiæ me concedente obtulit, & hanc præsentem Braidam, & sic vallonus iste conjungitur ad primum finem. Similiter concedimus & donamus prædictæ Ecclesiæ aliam terram, quæ fuit prædicti Roberti de Rocco Militis, quæ est juxta vallonem, qui dicitur de Ausino . . . Ita has terras, & bissillitum suprascriptæ Ecclesiæ S. Mariæ Perni donamus cum omnibus infra se habentibus, & pertinentibus, ut sint in potestate fratrum illic habitantium, & subsequentium omni futuro tempore &c.

Non tantum donationes Riccardi de Balbano Armaterii Domini, sed & memoratæ donationes ab ipsius propinquis, & vassallis factæ ejusdem venia, ostendunt bona isthæc, quæ constituunt dotem S. Mariæ de Perno sat opulentam, & ad feudum pertinuisse, & in eam jussu ejusdem Riccardi fuisse col-

collatas. Conſtat enim valvaſores, valvaſinos, & ceteros minores feudatarios de rebus in feudum acceptis ſine voluntate majoris Domini non potuiſſe ſtatuere. Id ipſum liquet in inſtrumento donationis per Rogerium de Murra factæ anno 1160. qui inter vaſſallos Riccardi erat, quæ in actis extat, atque inibi legitur: *Ego Rogerius de Murra filius qu. Domini Loffredi bonæ recordationis . . . obtuli Deo, & Beatæ Dei Genitricis Eccleſiæ, quæ conſtructa eſt foris Caſtellum Armaterii in locum qui vocatur Perno, atque Domino Gregorio S. Salvatoris Magiſtro Priori, & Joanni de Caſtellano Priori de præfata Eccleſia S. Mariæ unam petiam terræ in locum, qui dicitur ſylva munda per hos fines &c. Per hanc cartam, & permiſſionem, & conſenſum Domini Riccardi de Balbano dedi, atque tradidi prædictam petiam terræ jam dictæ Eccleſiæ S. Mariæ cum omnibus, quæ intra eam ſunt, cunctiſque ſuis pertinentiis, cum via ſua, & cum vico, & omnibus continentibus.*

Liquet etiam, eumdem Riccardum de Balbano prædictæ Eccleſiæ dotis augendæ ſtudio menſe Aprili 1175. latum aliud prædium ei donaſſe ex feudo decerptum, & cum eo conjunctum, quod a prædicto Rogerio de Murra conceſſum fuerat; in conceſſione etiam ſua affirmaſſe Riccardum, donationem cum ipſius venia a Rogerio fuiſſe factam. Sic enim ibi: *Ego Riccardus de Balbano una cum filio meo Giliberto . . . offero & dono Eccleſiæ S. Mariæ Perni unam petiam terræ quæ fuit de feudo Roberti de Rocco Militis, quæ eſt in loco qui dicitur ſylva munda, cujus & dicimus fines. Ab oriente jungitur cum terra ejuſdem Eccleſiæ: a ſeptemtrione jungitur cum Braida, quam dedit Dominus Rogerius de Murra noſtra conceſſione & voluntate eidem Eccleſiæ &c.*

Hactenus producta monumenta ſatis oſtendunt Eccleſiam S. Mariæ de Perno ab Armaterii Dominis in ejus Caſtri territorio fuiſſe fundatam; bonis etiam ex feudo decerptis fuiſſe dotatam. Ea autem monumenta Curia ſufficere cenſuit ad controverſiam decidendam, omiſſis aliis donationibus eidem Eccleſiæ factis ab inſequutis Armaterii Dominis in dotis additamentum. Tantum opportunum fuerit memorare, quod le-

legitur in antiqua Bulla Uberti Rapollæ Episcopi anni 1186., qua confirmatur controversæ Ecclesiæ subjectio Monasterio S. Salvatoris de Goleto pro ejus temporis circumstantiis. Per eam occasionem probavit Rapollæ Episcopus ejus Ecclesiæ fundationem, ac dotationem, remque iis verbis enunciavit, quæ præsentem causam mirum in modum illustrant: *Et quod etiam magn. viri Domini Giliberti de Balbano una cum Domino Riccardo filio suo Domini Castelli Armaterii, in cujus territorio prædicta Ecclesia S. Mariæ de Pernis dignoscitur fore constructa, amplioribus bonis, & rebus immobilibus suis in præfato territorio Armaterii præfatam Ecclesiam S. Mariæ de Pernis prædotarunt &c.*

Cum igitur in dubium revocari nequeat, tam ex juris civilis, quam ex Pontificii regulis, fundationem, ac dotationem Ecclesiæ, sine reservationis necessitate, jus patronatus deferre: exploratum etiam videri debet, ad utiles Dominos veteris Castri Armaterii spectare, & spectavisse patronatum in Ecclesiam S. Mariæ de Perno. Facile autem refelli potest, quod adversus ejusmodi patronatum regerit Nicolaus Columna, ob collationes scilicet a Romana Curia libere factas ab anno 1616. usque in præsentem diem, jus patronatus feudi possessori competens præscriptione peremptum. Jus enim publicum cum in Regno Neapolitano receptum, tum passim in Europa alibi, jus patronatus ad Regiam Coronam seu mediate, seu immediate pertinens, præscriptioni subesse vetat. Eo accedit, in præsenti causa præscriptionem pro Romana Curia ne allegari quidem posse. Explorati scilicet juris est in judicium re deducta, neque inchoari, neque absolvi præscriptionem posse. Atqui antequam a Romana Curia prædictæ collationes fierent, res litigiosa pridem evaserat ob litis contestationem inter Fiscum, & Commissarios Apostolicos; & probationes absolutæ jam erant, ob quas patronatus feudalis declarandus erat. Ubi vero Pontificia collatio primum in Regno exequutioni mandata fuit, id factum salvis Fisci juribus. Rotalium vero decisionum de libera Abbatiæ collatione pro Romana Curia nulla ratio haberi debet, cum promanarint a Judice non competente. Hinc Curia Ill. &

Hh 2 Rev

Rev. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Curia declarat, Abbatiam S. Mariæ de Perno fuisse, & esse Regii patronatus mediati hærentis veteri Armaterii Castro; ac proinde eam cum suis bonis, juribus, privilegiis, Ecclesiis, Granciis, obedientiis, ac pertinentiis suis, feudo, ejusque utili Domino, prout qualitas feudalis exposcit, restitui oportere, cum jure Abbatis nominandi, quoties eam vacare contigerit, & cum reliquis juribus e patronatu manantibus: ipsam vero Abbatiam in libris Curiæ describendam inter reliquas Ecclesias, & Abbatias, in quas jus patronatus feudale competit. Quod vero ad pertinentiam veteris Castri Armaterii, utrum scilicet conjunctum id fuerit cum Atellæ feudo possesso a Torellæ Principe, an cum feudo S. Felicis possesso a Principe Melphii, Partes adeant S. C., ubi inter prædictos Barones ea de re lis agitatur.*

In causa appellationis in hac Curia Capellaniæ Majoris vertente inter Collegiatam Ecclesiam S. Michaelis Archangeli Terræ Plani Civitatis Surrenti, cum nonnullis interesse habentibus. Die 27. *Augusti* 1782.

Perpetua ecclesiastica ministeria, quæ perceptionem fructuum ex Ecclesiæ bonis præseferunt, quæque in titulum erecta sunt, vera Ecclesiastica Beneficia censeri debent: cui non obstat, quod ad ministerium quædam designatæ personæ ex fundationis tabulis eligendæ sint. Sicut Ecclesiam dotanti jus patronatus tribuitur, etsi non reservatum; ita contra negandum est ei, qui nullam exercuit erga Ecclesiam largitatem.

Visis actis: per Dom. Militem U. J. D. D. Carolum Marchionem Citum Regium Consil. ac in præsenti causa Judicem appellationis per S. M. specialiter deputatum provisum & decretum est: *Bene fuisse appellatum per Rev. Archiepiscopum Surrentinum, & male judicatum per Curiam Capellani Majoris, maleque appellatum per Gubernatores laicos Paræcialis Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Plani Surrentini; ac proinde declaramus, quatuordecim Canonicatus, & sex Mansionariatus, quibus Collegiata dictæ Ecclesiæ coalescit, esse vera Beneficia Ecclesiastica; salvo Collegiatæ jure patronatus tam pro sex Canonicatibus secundo erectis auctoritate dicti Rev. Archiepiscopi die* 26. *Martii* 1728., *& per Pontificem Clementum XII. Bulla mensis Julii* 1733. *confirmatis, petentibus Rev. Præposito, & septem primis Canonicis, quam pro Mansionariatibus pariter auctoritate ejusdem Rev. Archiepiscopi die* 13. *Maji* 1751., *petentibus omnibus Canonicis constitutis; ac salvo incolis ejusdem loci jure præsentandi Parochum,*

chum, & Gubernatoribus sive Capserio Ecclesiæ prædictæ jure præsentandi duos ex octo primis Canonicis, totidemque Mansionarios, servata forma instrumenti fundationis anni 1726. fol. 11., integra tamen remanente dicto Rev. Archiepiscopo loci Ordinario simplici institutione dictorum Canonicatuum, & Mansionariatuum de jure patronatus RR. Canonicorum incolarum loci, & Gubernatorum sive Capserii Ecclesiæ prædictæ.

Quum enim dictus Rev. Archiepiscopus anno 1780. in Curia Capellani Majoris petiisset, jus sibi esse libere conferendi in mensibus sibi reservatis Canonicatus quatuordecim, & sex Mansionariatus vigentes in Collegiata Ecclesia S. Michaelis Archangeli Plani Surrentini, præter duos, quorum nominationem Gubernatores laici Ecclesiæ prædictæ sibi reservarunt, *fol.* 58. Et contra dicti Gubernatores, & Fratres de Sodalitio Mortuorum jus nominandi, *fol.* 133., & RR. Canonici, & Mansionarii tam jus nominandi, quam confirmandi ad beneficia prædicta per R. Præpositum ad ipsos pertinere asseruissent, *fol.* 125. datis, & expletis probationibus constitit, Ecclesiam illam ad annum usque 1726. laicalem, Parœcialem, receptitiam fuisse; Cives enim dicti Plani in loco dicto *Carotto* publicis Comitiis Gubernatores deputabant, & Parochum ab Ordinario instituendum eligebant; in ea vero Clerici unius vici *Carotto* tantum adliciebantur, ceteris omnibus exclusis.

Constitit insuper, anno 1726. tam Gubernatoribus laicis Ecclesiæ, quam Sodalibus Mortuorum in ea erectis placuisse illam in Collegiatam erigere; utrosque seorsim publicis tabulis, *fol.* 11. 22. & 24. dotem annuorum ducatorum quadringentorum triginta pro Collegiata erigenda contulisse, annuorum scilicet ducatorum ducentorum triginta Sodalitii Mortuorum Præfectos, & annuorum ducatorum ducentorum Ecclesiæ Gubernatores: illis onus imposuisse celebrationis per singulas hebdomadas Missarum sex cum cantu, & vigintitrium lectarum, ac canendi quolibet mense in primo Lunæ die Missam, & nocturnum unum mortuorum; hos vero præter onus adjectum celebrandi pro populo Missam cum cantu diebus

bus Dominicis, gratis assistendi omnibus solemnibus in eadem Ecclesia pro eorum libitu celebraturis, ac præbendi salarium æditio, ac organi modulatori; leges insuper dedisse, ut Parochus sive Canonicus, sive Mansionarius esset eligendus a Civibus loci, ut antea mos erat, utque Canonici, & Mansionarii incolæ esse deberent, aliis diversæ Ecclesiæ, sive Diœceseos penitus exclusis, ac tandem, quod jus nominandi Canonicos duos, totidemque Mansionarios ad Gubernatorem Capserium Ecclesiæ pertineret, toties quoties casus evenisset.

Constitit tandem, Pontificem Benedictum XIII. ab utrisque aditum, Bulla anni 1727. Rev. Archiepiscopo Surrentino Collegiatæ erectionem præstitutis legibus demandasse pro septem Canonicatibus tantum, totidemque Præbendis, præter Præposituram, quæ unica dignitas esset, nulla prorsus de Mansionariis mentione facta, *fol. 94.* Bullam hanc Regio placito firmatam die 10. Martii 1728. sequenti die a Rev. Archiepiscopo Surrentino executioni demandatam fuisse, *fol. 91.* & 101. & *a t.*

Die vero 26. ejusdem mensis, & anni petentibus RR. Canonicis, & annuentibus Ecclesiæ Gubernatoribus, Rev. Archiepiscopum auctoritate, qua fungebatur, sex alios addidisse Canonicatus, *fol. 93.*, dotem autem pro eorumdem sex Canonicorum substentatione eamdem remansisse, quos rursus confirmasse Pontificem Clementem XII. Bulla mensis Julii 1733. a Rege adprobata, *fol. 76.* & 78.; ac demum eumdem Rev. Archiepiscopum ann. 1751., petentibus eisdem Canonicis sex addidisse Mansionariatus, Collegiatæ redditibus nusquam auctis, *fol. 55.*

His cognitis, Curia Capellani Majoris die 17. Septembris 1781. hanc tulit sententiam: *Ecclesiam Parœcialem S. Michaelis Archangeli in Surrentino Plano in loco* Carotto *nuncupato, fuisse, & esse receptitiam, & in ea Collegiatam erectam mere patrimonialem esse pro Sacerdotibus in eam Parœcialem receptis; Præposituram vero, Canonicatus, Mansionariatus, quibus eadem Collegiata constat, & quibus nusquam hæret Præbendæ qualitas, sed tantum participatio portionum mere temporalium sub titulo distribu-*

butionum quotidianarum ob quotidianum personale servitium, fuisse, & esse mera officia, & dignitates ventosas appellari solitas, non subjecta reservationibus, & affectionibus Romanæ Curiæ: proinde jus providendi in singulis vacationibus ad ipsum Corpus Collegiatorum participantium pertinere; neque usquam Ordinarium loci in ea re immiscere se posse: salvo tamen Gubernatori, & Capserio dictæ Parœcialis Ecclesiæ jure nominandi, eligendi Canonicos duos, ac totidem Mansionarios in Collegiata prædicta in singulis vacationum casibus, servata forma instrumenti anni 1726.*: quod autem ad patronatum a Sodalitio Mortuorum petitum Collegiata absolvatur, fol.* 180.

Curiæ sententia his innititur rationibus. I. Quod Ecclesia a suis incunabulis receptitia ejusdem naturæ perseveraverit. Quod Canonicatus ea lege invectos, ut nonnisi Presbyteri unius vici *Carotto* ad eos promoverentur; id namque statutum a fundatoribus, id a Pontifice cautum; jus igitur colligit ad dictam Collegiatam perveniendi patrimoniale esse; deque hujusmodi Ecclesia receptitia, ac patrimoniali Romanam Curiam, & loci Ordinarium jus exercere quoad collationes, Regni politiæ adversari pluribus Divalibus explicatæ. II. Quod Præpositura, & Canonicatus dignitatum inanem tantum speciem præseferant; ideoque inter ventosas dignitates esse recensendas; quum nec bonis Ecclesiasticis sint prædita, sed mere laicalibus, scilicet annuis ducatis quadringentis triginta in fundatione subnixis, nec ulla Præbenda ad Canonicatus naturam requisita in *Cap. Relatum de Præben. & Dignit.* Præbendas enim non esse, adstruit, distributiones punctaturæ regulis subjectas, quæ pro sacro ministerio præsentibus tantum quotidie distribuuntur, ex *Card. de Luca de Canon. discurs.* 16.

Tandem quoad jus patronatus petitum a Sodalitio Mortuorum Curia declaravit, Collegiatam esse absolvendam, quum in comperto sit apud omnes, jus illud fundatoribus competere retributionis titulo pro adhibita largitate, & nihil a Sodalitio elargitum fuisse; collatus enim annalis reditus impositis oneribus substinendis impar fuit.

De

De hac ſententia apud Regem Rev. Archiepiſcopus Surrentinus poſtulavit, *fol.* 186. *&* 189., datoque appellationis Judice, Collegiata de impenſis refici, Gubernatores laici jus patronatus ipſis tribui pro dimidio Canonicatuum, & Manſionariatuum petiere, *fol.* 194. *&* 199. Datis rurſus probationibus, & expletis, in aliam ire ſententiam nobis viſum fuit, declarando Canonicatus, Manſionariatus, ac Præpoſituram eſſe vera Beneficia Eccleſiaſtica, quum ſint officia, ſive perpetua Eccleſiaſtica miniſteria cum annexo jure percipiendi fructus ex Eccleſiæ bonis, Eccleſiaſtica auctoritate in titulum erecta.

De perpetuitate ex fundationis tabulis liquet, ubi amovibiles Canonici non conſtituuntur, deque in titulum erectione Bullarum perſpicua verba dubitare non ſinunt; æque ac de fructuum qualitate, dum reditus illi a laicis donati e laicorum manibus, & uſu ſeparantur, & Eccleſiæ Miniſtrorum ſubſtentationi addicuntur perpetuo; ita namque fit, ut bona a laicis ſemper profecta Eccleſiaſticam induant naturam, & qualitatem.

Electio vero, quæ ſolis loci illius Presbyteris adſtringitur Eccleſiaſtici Beneficii (de cujus erectione certo conſtat) naturam non intervertit, certis enim perſonis illud conferri debere a fundatoribus caveri poteſt, ac ſolet quotidie, quod jus paſſivum appellari placuit. Ideo Innocentius III. *lib.* 1. *epiſt.* 82. ad Auritanum Archiepiſcopum ſcripſit: *Dignitates, & cetera beneficia Eccleſiaſtica pro fidelium devotione conſtituta fuerunt certis aſſignanda perſonis, ut per ipſas perſonas in Eccleſiis devotum ſervitium jugiter impendatur.*

Ex his Innocentii verbis colligitur quoque, beneficium ſine officio non eſſe, ſed cuique ſervitium in Eccleſia adjungi; idcoque minime ventoſas definiendas dignitates, quibus pro diurno ſervitio fructus quotidie tribuatur. *Divini juris eſt, ut qui ſervit Altari de Altari vivat, nec bono jure, qui non ſervit Altari de Altari vivit, ſicut ſtipendium non debetur niſi militantibus, ait Synodus Colonienſis tit.* 9. *Can.* 3. Servitium igitur, quod in dies a Canonicis præſtatur, Eccleſiaſtici Beneficii na-

naturæ congruit: quod magis evincitur ex eo quod Capellaniæ, quibus tantummodo Missarum onus adjungitur, ubi in titulum sint erectæ veris Beneficiis accensentur; Capellani enim neque nomine, neque functione a Canonicis fuerunt discreti, ut docuit Molanus *de Canon. lib.* 2. *cap.* 3.: nam & officium canere, & Evangelium populo explanare tenebantur; postea hæc sensim Canonicis tantum tributa fuere, qui etiam vestibus, & aliis præeminentiis eos præcellere obtinuerunt.

Præterea stipendium Clericis Ecclesiæ servientibus priscis sæculis in dies ab Episcopis dispensabatur ex proventibus Ecclesiæ, perraro autem optime meritis tantum fundus ad vitam assignabatur: *Concil. Aurel. I. Can.* 23., & *Can.* 16. *quæst.* 1. *Can.* 61. Dein labescente Ecclesiæ disciplina, & Clericorum fidelitate, cœperunt singuli Presbyteri oblationes in propria Ecclesia factas sibi arrogare, inde & bona quoque usu, ac consuetudine cœperunt dividi, ac titulis adnecti.

Tantum abest igitur, distributiones quotidianas, quæ minutatim Ecclesiæ Ministris pro diurno servitio dispensantur Beneficii naturæ adversari, quin proprius accedant. Hinc Alexander III., qui in adducto *Cap. Relatum* pro Canonicatu requirit Præbendam, ejus nomine *Clericalis Militiæ stipendia venire*, ait *cap.*4. *Cod.*, & alimoniæ loco succedere, quæ Episcopus præstare tenetur Clericis, quos ordinat sine certo titulo *cap.* 2. *eod.*: quotidianam hanc dispensationem Præbendæ nomine non venire æquo jure existimavit Cardinalis de Luca, ad hunc vero tantum effectum, ne participes illius essent, qui licentiam abeundi obtinuissent, alias obstaret Synodus Tridentina *sess.* 4. *cap.* 13., quæ in usum revocavit Bonifacii VIII. Decretum in *Cap. unico de Cleric. non resident. in 6.* Ad ceteros effectus sub Præbendæ nomine eam complecti, defendunt Canonistæ, inter quos Fagnanus in *Cap.* 8. *de Cleric. non resident.*

Nobis autem visum est, de sex Canonicatibus secundo erectis auctoritate Rev. Archiepiscopi, & Pontificis confirmatione ad petitionem octo Canonicorum primo electorum, & de Mansionariatibus ultimo constitutis in anno 1751. petente

tente integra Collegiata auctoritate ejusdem Rev. Archiepiscopi, jus patronatus Collegiatæ adjudicare eadem ratione, qua Sodalitio Mortuorum negatum; scilicet dictum jus patronatus retributionis titulo pro adhibita largitate competere. Onera Collegiatæ imposita a Sodalibus Mortuorum multum addictos reditus annuorum ducatorum ducentorum triginta superare, ad oculum patet. Hinc manifestum est, nonnisi vanum fundatoris nomen sibi vindicare. Pro annuis vero ducatis ducentis a Gubernatoribus laicis Ecclesiæ addictis Collegiatæ tunc erigendæ, iidem quamquam fundatores ob eam dotem constitutam nonnisi jus nominandi duos tantum Canonicos, totidemque Mansionarios, quoties casus vacationis evenisset, sibi reservarunt, relicta libera collatione ceterorum Canonicatuum Rev. Archiepiscopo. At pro sex Canonicis secundo erectis, & pro Mansionariis in anno 1751. constitutis ex solis reditibus Collegiatæ mera largitas Canonicorum evidenter agnoscitur: eaque propter retributionis titulo jus patronatus dictorum Beneficiorum Ecclesiasticorum non esse ipsis negandum, censuimus; idque etiam ob non exiguas impensas ab eisdem Rev. Canonicis erogatas pro sex Canonicatibus, & totidem Mansionariatibus adjunctis, & pro prima Collegiatæ erectione, *fol.* 33. *ad* 52. *& fol.* 55., fundationis enim jus non ex sola fundi datione insurgere tam antiquis Canonibus, quampluribus Decretalibus demonstravit Franciscus de Roye in *Prolegom. de jure patron. cap.* 3., imo, ut docuit Zipæus *Respon.* 3. *de jure patron.* illud non acquiritur, nisi omnia conferantur, quæ integra Beneficii instructio, & conservatio exposcit.

Tandem nil obstare, visum nobis fuit, tale jus patronatus a Collegiata in erectione sex Canonicatuum, totidemque Mansionariatuum non fuisse reservatum, vel tot collationibus a Romana Curia, vel a Rev. Archiepiscopo præscriptum: explorati enim juris est tam ob Canones, quam ob Regni leges, sola vi fundationis jus patronatus acquiri, ac pro liberalitate ipso jure deberi *cap.* 25. *de jure patron. Collect. Regiorum Rescriptorum part.* 1. *tit.* 27. *num.* 3., nec ob col-

collationes ab Episcopis factas patronorum jura umquam præscribi.

De his vero Beneficiis jure institutionem Rev. Archiepiscopo attribuimus *cap.* 4. *de jur. Archid.*, simplicem autem, quia omni examine præciso ad curata tantum Beneficia requisito, præsentatos admittere tenetur, nec respuere illos potest, nisi pro manifesta & rationabili causa, ut rescripsit Alexander III. *Concil. gen. tom. X. column.* 1274., hæc vero nonnisi illa, quæ a canonicis impedimentis exsurgit jure definitis *cap.* 18. *de sent. excomm. in* 6.

In causa Regii patronatus in Abbatiam S. Mariæ de Bancio. Die 12. *Septembris* 1782.

Monumenta, quæ ostendunt, pro arbitrio suo de Monasterio Principem statuisse, tamquam ad se pertinente, luculentissima argumenta præbent, ab ipso Principe fuisse Monasterium fundatum: cui accedente aliorum Principũ dotatione, de Regio jure patronatu dubitari nequit.

Dominicus Ciaraldus causarum Patronus Regem interpellavit, ut sibi demandaretur patrocinium Regii patronatus in Abbatiam S. Mariæ de Bancio, per Pontificem Cardinali Orsini collatam. Ita Principis Divalibus 2. Decembris ann. 1779. Curiæ Capellani Majoris mandatum, ut, auditis Coronæ Advocato, prædicto Ciaraldo, ac Partibus, de memorato patronatu sententiam diceret. Citationibus igitur per edictum expeditis in locis omnibus de more in eam rem destinatis, ut res denunciaretur omnibus quorum interesset, in Curia adfuit unus Procurator Cardinalis Orsini asserens, a Cardinali possideri Abbatiam ex collatione Pontificis, neque eum jus Regii patronatus in eam prætendere. Dato, & compilato termino probatorio in contumaciam eorum, qui se judicio sistere detrectarunt, in ejus spatio ab eodem Ciaraldo controversi patronatus producta sunt documenta. Iis autem visis, Advocatus Coronæ institit *declarari Monasterium sive Abbatiam supradictam fuisse, & esse Regii juris patronatus, ac proinde reintegrandam juribus Majestatis, cum omnibus feudis, juribus, jurisdictionibus, & integro statu, & cum jure eligendi Abbatem quoties vacatio occurrerit, ac cum omnibus aliis juribus ad Principem Patronum spectantibus*.

Ad causæ decisionem processura Curia examen monu-

 men-

mentorum cœptavit, quæ pro Regio patronatu Ciaraldus produxit. Primum omnium fuit exhibitum Diploma Grimoaldi Beneventani Principis sub initio sæculi IX. Inde liquet, prædictum Principem Longobardum Monasterio Casinensi, ejusque Abbati, concessisse Monasterium S. Mariæ de Bancio cum bonis omnibus ad illud pertinentibus: *Nos Grimoaldus piissimus, atque excellentissimus Princeps Gentis Longobardorum, motus Dei Omnipotentis misericordia, & pro redemptione animæ meæ, seu pro salvatione gentis nostræ, & Patriæ, concedimus in Monasterio Beati Benedicti, quod situm est in Castro Casino, ipsum Monasterium, quod dicitur in Banse, quod ædificatum est in finibus Acerentiæ, cum servis, & ancillis, & omnem hereditatem ipsius Monasterii pertinentes, ad faciendum omnia, quæ Abbatibus Sancti Benedicti placuerint, & hoc nostra gloriosa potestate firmavimus, ut ipsum Monasterium sit sub jure Monasterii Sancti Benedicti, & ejusdem Abbatis, qui esse videtur in Castro Casino, ubi sacratissimum ejus Corpus requiescit, & nullus quispiam Episcopus, aut quilibet Sacerdos, aut Judex ibidem aliquem præsumat ordinare, nisi quem Abbas ejusdem B. Benedicti ordinaverit, aut disposuerit de omnibus rebus Monasterii.*

Aliud quoque Diploma fuit exhibitum, expeditum anno 1090. a Normannis Principibns, Rogerio scilicet cognomento *Bursa*, ejusque fratre Boemundo, utroque scilicet filio, & herede Roberti Guiscardi. Inde constat, prædictos Principes procurasse, ut Monasterium S. Mariæ de Bancio dedicaretur a Pontifice Urbano II., & per eam occasionem coram Pontifice, Archiepiscopis, & Episcopis dominiorum suorum, coram Comitibus, & Baronibus quamplurimis Venusii coactis, concessisse prædicto Monasterio dotem longe maximam, in feudis aliisque bonis publicis consistentem. Primo ei donaverunt *Casale Carratellum cum hominibus, terris, vineis, pertinentiis, & rationibus suis, sicut hactenus Nos eum habuimus, & cum omni potestate dominii generalis, quod est in tenimento Castri nostri Saracenæ, & totum feudum Guglielmi de Ebuecurt in ipso Castro Saracenæ, cum villanis octoginta quatuor.* Deinde ei donaverunt Ecclesias quamplurimas cum bonis ad easdem per-

pertinentibus, præfertim vero: *Ecclefiam Sancti Brancacii, & S. Joannis: Ecclefiam S. Mariæ, & S. Stephani: Ecclefiam S. Mariæ de Armis, & S. Nicolai de Campana intus in Saracena: in Civitate vero Melphiæ Ecclefiam S. Chriftophori cum terra, quæ eft in circuitu ipfius Ecclefiæ: in Civitate autem Juvenacii Ecclefiam S. Mariæ, & S. Benedicti in ædificio uno, quas ego Boemundus ædificare feci a novo fundamine, cum omnibus, quæ habent tam intus, quam de foris Civitatis Juvenacii, cum domibus, & platheis, quæ funt circa eas, quæ habent hos fines ... Item in Civitate Tranæ Monafterium S. Marani, Monafterium SS. Trinitatis extra Civitatem, Ecclefiam omnium Sanctorum, & Ecclefiam S. Benedicti. In Civitate Cannæ Ecclefiam SS. Philippi, & Jacobi: In tenimento Baruli Ecclefiam S. Elifabeth: In Civitate Molficta Ecclefiam S. Mariæ extra Civitatem, Ecclefiam S. Joannis, & S. Simeonis, cum Cafale Orcituni diruto, & hominibus fuis: In tenimento Juvenacii Ecclefiam S. Sylveftri, & S. Leonis PP.: In tenimento Rubi Ecclefiam S. Eugeniæ Virginis: In Civitate Barii Ecclefiam S. Benedicti: In Monte Solicolæ Ecclefiam S. Angeli, Ecclefiam S. Joannis, Ecclefiam S. Mariæ de Catapano, & Ecclefiam S. Mariæ de Anadigito: In tenimento Civitatis Venufii Ecclefiam S. Luciæ Virginis: In tenimento Francavillæ Ecclefiam S. Luciæ: In Civitate Acheruncia Ecclefiam S. Anaftafiæ, extra ipfam Civitatem Ecclefiam S. Petri: in Civitate Tulbii Ecclefiam S. Angeli, & Ecclefiam S. Theodori: In loco Jenzani Ecclefiam S. Vitalis, extra dictum locum Ecclefiam S. Angeli de Forminiano: In Monte Milone Ecclefiam S. Mariæ de Reclufa.*

Majori adhuc liberalitate idem Monafterium profequentes eodem Diplomate eidem conceflerunt *in dicta Civitate Melphia duas vineas, quæ noftræ Curiæ pertinent*, quarum defcripferunt fines: *in territorio Tarantinæ Civitatis Cafale Genzanellum cum villanis fuis, cum vineis, terris cultis, & incultis, aquis, platheis, pafcuis, & jufticiis fuis, & cum omni poteftate generalis dominii, & habet hos fines ... In ipfa Civitate Tarentina quartam partem Regii Cafalis, quod eft juxta prædictum locum Genzani, necnon, & Ecclefiam S. Mariæ de Murcveteri cum vineis,* oli-

olivetis, & terris suis. Quæ omnia prædicta ita concedimus, tradimus, & confirmamus prædicto Monasterio . . . ut sint semper libera, & exempta amodo ab omni servitio publico, vel tributo, & ab omni humana molestatione, & infestatione quieta. Denique eidem Monasterio confirmaverunt bona omnia ab eorum decessoribus donata, speciatim vero *tenimenta, quæ sunt circa ipsum Monasterium, & sunt distincta per limites, & fines suos, & obedientias ipsas*. Eos vero fines late patentes in eodem Diplomate expresserunt.

Ex alio quoque Diplomate expedito anno 1100. a Roberto Loritelli Comite, qui jure etiam summæ potestatis utebatur in locis ad se pertinentibus, apparet prædictum Comitem eidem Monasterio concessisse Pagum, & Ecclesiam S. Laurentii in Mallo in Buccini territorio, cum hominibus, & vassallis, ejusque latissimis prædiis, quorum limites descripti fuerunt; ei quoque donasse quartam partem bajulationis prædicti Pagi eo tantum cum onere, ut pro Sacris faciendis Sacerdotes duo ibi alerentur.

Tandem Rogerii quoque Regis Diploma fuit exhibitum editum die 1. Octobris anni 1151. Inde autem liquet, prædictum Principem ob vitam, & religionem Rogerii Abbatis Monasterii de Bancio, *& preces quampluriuias quas sæpe sæpius nobis fudit pro Castello Banciæ ipsi Monasterio olim a Nortmannis nostris subtracto* (id sane contigerat cum vetustiores Nortmanni Regni Provincias invaserunt) rursus ei concessisse *dictum Castellum Banciæ cum hominibus, terris, aquis, pratis, pascuis, lignis, & cum omnibus, quæ ei pertinent, ac cum justiciis, & rationibus suis, ut semper sit in potestate, & dominatione prædicti Abbatis, & successorum suorum, ad faciendum de eo, & in eo omnia quæ voluerint omni futuro tempore, n stra, & nostrorum omnium tam præsentium, quam succedentium, inquietitudine remota*. In eo addidit sibi compertum esse, prædictum Monasterium a patruo suo Roberto in suam fidem, & clientelam receptum fuisse, *& ab ejus filiis Duce Rogerio, & Boemundo consobrinis auctum pariter, & ditatum, prout in privilegio, quod oculata fide perspeximus, continetur*. Hinc & ipse in

in mundiburgium suum illud recipiens ei confirmavit donationes prædictorum Ducum Rogerii, & Boemundi, addita concessione Pagi Cervaricii, necnon tenimenti S. Gervasii, & tenimenti S. Agathæ. Ei quoque concessit *liberam facultatem coadunandi & affidandi homines in locis, & Casalibus suis undecumque habere poterant, præter servos empticios angarios assuetos: fideles autem homines per villas, loca, casalia, vel obedientias suas habitantes, & habitaturi, Abbatibus suis, sive Rectoribus, de omnibus, præterquam de crimine læsæ Majestatis, respondeant.*

His ita transactis, Curiæ visum, ex prædictis monumentis aperte liquere de Regio patronatu in controversam Abbatiam. Grimoaldus Beneventi Princeps ab ipso sæculo IX. de prædicto Monasterio pro suo arbitrio statuit, tamquam ad se pertinente, eo pendere jusso ab Abbate, & Monasterio Casiuensi. Si ea de re nulla documenta suppeterent, hoc unum Grimoaldi factum satis evinceret, Monasterium opera Longobardorum Principum fuisse extructum, dotatum. Dominium enim penes eum esse præsumitur, qui pro domino agit, quam juris regulam proponit Jurisconsultus in *L. Titia ff. de solut.*

Insequutæ dotationes in Monasterium collatæ a Neapolitanis, seu Dynastis, seu Regibus, penes quos in territorio suo summa erat potestas, Regium jus patronatus magis ostendunt. Prædictæ dotationes bona feudalia complectebantur, & res a Principatu decerptas. Ejusmodi fuit donatio facta a Duce Rogerio, ejusque fratre Boemundo, Pagi Carratelli in territorio Castri Saraceni cum pertinentiis suis, feudi Gulielmi Ebuecurtensis cum vassallis, Pagi Genzanelli cum pertinentiis suis in territorio Tarentino, quartæ partis Regii Casalis in eodem territorio positi, præter latiora prædia concessa per decessores Principes in ambitu Monasterii, & præter tot Ecclesias cum bonis suis. Ejusmodi quoque fuit donatio facta per Comitem Loritelli Robertum, Pagi, & Ecclesiæ S. Laurentii in Mallo cum rebus ab eo pendentibus. Ejusmodi denique fuit, eaque potissima, donatio Rogerii Regis Castri Banciensis, quo privatum fuerat Monasterium sub

ipsum

ipsum Nortmannorum ingressum in Regnum, & Pagi Cervaricii, & tenimenti S. Gervasii, & S. Agathæ, cum jurisdictione in aliis quoque locis Monasterio donatis, & cum immunitate a tributis, aliisque juribus in Diplomate enarratis.

Per Ecclesiæ Canones jus patronatus deferri jubetur ad privatos quoslibet, qui ad quotidianas Ecclesiarum necessitates eis suas substantias largiuntur. *Can. Nemo, de consecrat. dist.* 1. Id ipsum confirmavit Imperator Justinianus *Nov.* 57. *cap. ult.* Igitur potiori jure patronatus in Monasterium S. Mariæ de Bancio addici debet Neapolitanis Principibus, qui largitionibus suis de Principatus bonis illud ditarunt. Id juris ipsi Principatui hæret. Id ipsum igitur Felicissimo Ferdinando, ejusque in Regno successoribus adjudicari debet.

Controversum sane Monasterium per ætatem Grimoaldi Principis Monasterio Casinensi concessum, ac subjectum fuerat. Sed insequutis temporibus, quale fuit opulentorum Monasteriorum commune fatum, Abbatibus Commendatariis commendatum fuit, qui id unum curarunt, ut reditus inde perciperent. Commendatio id genus contra Principis mentem cœptata, quod alias contigisse constat, dissolutioni ipsius Monasterii occasionem præstitit, bonis ab Abbate retentis. Quod quidem veteribus Ecclesiæ regulis adversatur in *Can. Monasterium* 30. *caus.* 16. Res igitur ipsa flagitat, ut Abbatia per decessores Principes dotata, locupletata, ejusque patronatus, ad successores in Regno redeat. Hinc Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Monasterium atque Abbatiam S. Mariæ de Bancio cum omnibus feudis, Ecclesiis, Granciis, obedientiis, ac juribus generatim omnibus, fuisse, & esse Regii patronatus; Principem igitur, ejusque in Regno successores non minus in patronatum ipsum redintegrari oportere, quam in jus eligendi Abbatis quoties Abbatiam vacare contingerit, pariterque in jura omnia, quæ Principi Patrono competunt. Ne vero jus Principis detrimentum patiatur, prædictum Monasterium, & Abbatia inter reliquas Regias Abbatias, & Monasteria in libris Curiæ describatur.*

In

In causa reintegrationis Regii juris patronatus in Abbatias S. Joannis in Lamis, & S. Mariæ de Pulsano. Die 7. Novembris 1782.

IN Curia Capellani Majoris judicium est institutum de origine duarum Abbatiarum, S. Joannis in Lamis scilicet, & S. Mariæ de Pulsano, non minus insignium, quam in Regno antiquarum. Promotor Fiscalis contendit libello suo, utramque & Regii patronatus esse, & in eas Regiam Coronam redintegrari oportere. Citationibus igitur per edictum expeditis, ut controversia denunciaretur omnibus, quorum interesset: in Curia adfuerunt tantum Procuratores D. Nicolai Colonna Nuncii Pontificii apud Catholicum Regem, & D. Josephi Carafa, quorum alter a Romana Curia obtinuit Abbatiam S. Joannis in Lamis, alter vero Abbatiam S. Mariæ de Pulsano. Dato postmodum, & compilato termino probatorio, in eo Promotor Fiscalis ad adprobandam intentionem suam, de utriusque Regia dotatione decretoria monumenta exhibuit.

Ecclesia, quam liberalitate Principum Principatusque bonis dotatam fuisse constat, Regio juri patronatus obnoxia est; etsi in liberalitate exercenda dotis nomine usi Principes non sint.

Sane is primo ostendit, undecimo labente sæculo, cum adhuc Constantinopolitani Principes quibusdam Regni Provinciis imperitabant, neque Regnum per Nortmannos omnino debellatum fuerat, prædictos Constantinopolitanos Principes per Catapanos suos ad regimen mittitari solitos Provinciarum, quæ sub Græcorum fide manebant, de bonis ad Majestatem pertinentibus opulentam dotem constituisse Monasterio S. Joannis in Lamis, qua Benedectini Monachi per id temporis ibi degentes laute sustentare se possent. Profecto ex monumentis ab eo productis liquet, anno 1006. Constantinopoli imperante Basilio, Alexium Xiphea Protospatarium, & Italiæ Catapanum privilegium dedisse *Alexandro Monacho, & Abbati Monasterii S. Joannis de Lamis nomine ipsius Monasterii*, quo ei concessit late patentia territoria his finibus circumscripta, *a Castello Bizzani ubi habitant homines ipsius Monasterii, & vadit ad locum Leocarelli, & ascendit ad viam Rubelli, & sali: ad caput Lameputei, & ferit ad casam maximam, & inde vadit ad antrum Vulturi, & ferit ad montem*

tem Condizzi &c. Quare præcipimus hos terminos perpetuo quietos dicto Monasterio permanere pro servitio Dei, & dicti Monasterii S. Joannis de Lama.

Præterea constitit, anno 1008. sub eodem Imperatore Basilio Joannem Curcua novum Italiæ Catapanum *eidem Alexandro Monacho, & Abbati Monasterii S. Joannis de Lama* altero privilegio suo novam concessionem fecisse prædictorum prædiorum intra designatos limites, atque in ea concessione ita addidisse: *Unde præcipimus, ut nullus audeat hos terminos ipsi Monasterio calumniose removere, seu in eis aliquam turbationem inferre; sed ipsum Monasterium sit cum Monachis suis quietum, & liberum, per hoc sigillum, quod Nos facimus, & damus ipsi Monasterio, ut nullus Episcopus, Archiepiscopus Italiæ audeat aliquod impetere, sed sit in demanio, & potestate Monasterii supradicti.*

Ostensum est quoque, anno 1029. sub Romano Argyropolo Constantinopolitano Principe a Christophoro Protospatario novo Italiæ Catapano novum privilegium fuisse concessum *Petro Monacho, & Abbati Monasterii S. Joannis de Lama, & Monachis, & posteris suis:* eo autem prædia latius patentia Monasterio fuisse concessa, unde Monachi lautiora alimenta perciperent. Ita enim in privilegio legitur: *Ut sint in servitio Dei melius animemus, & habeant unde abundanter vivere possint, damus eis, & concedimus terras, & loca cum ipsis terminis videlicet: A Monte Guardiæ Riniani per vadum, qui vadit ad viam S. Andreæ de Stagita, & vadit ad Pirum . . . & ferit in . . . de Brandiza, & invertit in medio fluminis Candelarii, & recto tramite vadit ad concam Capitis Montis Tabernarii, & inde vadit ad Montem prænominatum Guardiæ Riniani. Unde præcipimus, ut nullus inter hos terminos audeat invadere, seu molestiam facere, aut ipsum Monasterium perturbare, sed sint securi in ipsis terris suis in servitio Dei, & Monasterii supradicti &c.*

Adprobatum est ulterius, anno 1031. sub eodem Romano Argyropolo, ipsius jussu per Bivianum Protospatarium novum Italiæ Catapanum eidem Monasterio fuisse factam am-

ampliorem prædiorum concessionem, quorum remotiores Montes limites erant, ut inde Monachis alimenta suppeterent, iique de vitæ sustentatione nusquam solliciti pro incolumitate Principis Deo preces offerrent. Sic enim in Diplomate legitur:

Quia ipsi, qui apud Deum in habitu monachali vivere cupiunt, & Deo servire, & placere volunt, justum visum est, ut eis & donum totius bonitatis demus, & meritum, quo perfecta sancta Religio augeatur, ut qui in Ecclesia morantur, cum tota mente Deum orare debeant pro nostro sanctissimo Imperatore, & ceteris Christianis. Quare invenimus Domnum Petrum Abbatem Monasterii S. Joannis de Lama justificatum nobis a Leone Venerabili Archiepiscopo de Civitate Siponti, & aliis bonis hominibus, quod præcepta Domini bene & laudabiliter ipse, & Monachi dicti Monasterii custodiunt, unde visum est nobis, quod terras laboratorias, & alias eis necessarias tribuamus, unde ipse, & sancti Patres, qui in præfato Monasterio habitant, vel habitaturi erunt, sufficienter & optime habeant unde vivere possint, & Deo servire valeant. Qua de causa mandato, & voluntate sanctissimi Imperatoris nostri, damus, & concedimus tibi Domno Abbati Monasterii S. Joannis de Lama, & posteris tuis nomine ipsius Monasterii, loca videlicet, terras, quæ incipiunt a Monte calvo, quomodo descendit per vallonem, & descendit ad stratam, quæ dicitur Francesca, ubi sunt magni lapides, & ascendit per vallonem ad lacum rubeum, & postea descendit per vallem Termitosani ad cisternam S Mariæ ad Corellum, & ascendit per vallem jumentorum, & pergit usque ad flumen Candelarii, deinde ascendit per flumen usque ad vallem, quæ dicitur Rubellum, & per Rubellum ad vallem, quæ est Vulturarii, & quomodo ascendit ad Guardiolam, & vadit ad Montem Codizzi, & vadit ad Turricellam, & inde pergit ad locum, qui dicitur Jova, ubi surgunt aquæ, & vadit ad Montem Guardiæ, deinde vadit per vallem inter duas petras, quæ sunt rubræ, & deinde ad flumen prænominati Candelarii in locum, qui vocatur Blectizzi, & recto tramite vadit sicut petræ fixæ sunt, & vadit ad puteos, qui sunt in via, & vadit per ipsam viam ad locum, qui dicitur Trojolum in

in flumine, & ascendit per ipsum flumen ad locum ubi est conversio fluminis, ubi petræ fixæ sunt, & recto tramite vadit ad locum, qui dicitur Profica, & recto tramite vadit ad stratam Francescam, et hoc itinere vadit ad Montem, qui dicitur Castellum, et de ipso Monte vadit ad locum, qui dicitur Oculum ad Cotinum de Sambuco, et inde vadit ad locum, qui dicitur Callone de Urso, et inde vadit ad Montem Formicosum, et inde pergit recto tramite ad locum, qui dicitur Dentale, et inde vadit ad locum, qui dicitur Petrosa, et inde recto tramite vadit ad Monticellum, qui est contra de Montecalvo, et venit per prædictum Montem ad priorem finem. Unde Ego prænominatus .... pro servitio præfati Monasterii, et pro gaudio, et salute sanctissimi Imperatoris nostri, de mandato, et voluntate ipsius, dono, & concedo, atque confirmo præfato Monasterio S. Joannis Lama, & tibi Domno Petro Abbati ipsius Monasterii, & Monachis, & posteris suis, prænominatas terras & loca infra prædictos terminos designatos, cum terris cultis, & incultis, planitiis, atque montibus, pratis, pascuis, atque paludibus, aquis, nemoribus, sylvis, arboribus fructiferis, atque infructiferis &c.

Constitit denique, anno 1052. jussu Constantini Monomachi per id temporis Orientis Imperatoris per Argyrum novum in Italia Catapanum fuisse confirmatas concessiones omnes a decessoribus Principibus eidem Monasterio factas. In Diplomate ea verba occurrunt: *Quapropter omnes donationes, concessiones, munitiones, possessiones, confirmationes, & libertates olim traditas, & concessas Abbatibus, & Monachis S. Joannis de Lama, & ipsi Monasterio per antecessores nostros, tibi Domno Vito Abbati dicti Monasterii S. Joannis, & posteris tuis nomine & pro parte ipsius Monasterii, & ipsi Monasterio jussu Imperiali in perpetuum confirmamus, sicut per privilegia, seu scripta dicti Monasterii invenimus concessas, atque assignatas*. Id insuper additum, quod post Abbatis mortem, *Monachi ponant Abbatem secundum regulam, quem viderint honestum, & probum*.

Sub Constantinopolitanis Principibus his ita transactis, Nort-

Nortmannorum in nostris Provinciis valescente potentia, ex ipsorum Privilegiis Monasterio controverso concessis Regius etiam patronatus facile evinci potest. Anno scilicet 1095. cum Comitatus Montis S. Angeli jure Majestatis erat penes Henricum gente Nortmannum, filium Roberti Comitis, eum adiit Abbas Monasterii S. Joannis in Lamis, conquestus de injuriis, quas Monasterii prædiis inferebant Oppidulorum incolæ demanio prædicti Comitis finitimorum, Cives Riniani scilicet, S. Eleutherii, Castripagani, S. Nicandri, & Caniani. Eum igitur rogavit, ut patrocinio suo Monasterium adversus injurias tuendum susciperet, ne quod in posterum detrimenti caperet. Per eam occasionem Græcorum Principum Privilegiis prædicto Monasterio concessis rite agnitis, eorumque interpretatione facta, idem Henricus aliud Diploma edidit, in quo rem omnem ita narravit:

Ego Henricus gratia Dei Comes Montis S. Michaelis Archangeli filius, & heres qu. Roberti Comitis bo. me. præsenti publico scripto clarefacio, quod cum sederem in palacio meo intus in Castro prædicti Montis S. Michaelis Archangeli, venit Domnus Benedictus Abbas Monasterii S. Joannis de Lama, & conquestus est coram me de multis oppressionibus, & injuriis, quas faciebant ei, & dicto Monasterio, homines Terrarum vicinarum demanii nostri, videlicet Riniani, S. Eleutherii, Castripagani, S. Nicandri, & Caniani, super territorio, & pertinentiis dicti Monasterii, petens a me humiliter, quod pro reverentia sanctæ legis, & B. Joannis Baptistæ deberem super his remedium adhibere, necnon territorium dicti Monasterii declarare, & ipsum de fine in finem designare, ac etiam ipsum confirmare deberem, & dictum Monasterium in suis juribus defendere, & tueri. De quibus Ego illum interrogavi, si haberet inde aliquas rationes, vel cautelas, qui instanter ostendit coram me quinque scripta publica Græcorum, bullata ex plumbo, & vocato interprete, ea legi feci coram me, quorum continentiæ publicorum scriptorum græcorum sunt hæ.

Hoc in loco Diplomatis fuerunt insertæ quinque illæ Græcorum Principum concessiones latine redditæ, quibus allatis Henricus addidit: *Iccirco*

Iccirco in præsentia Rodelvini Judicis, & Joannis Clerici publici nostri Curialis Prothonotarii, adstantibus mecum Guidelmo fratre nostro, quamplurimis Magnatibus, et aliis hominibus demanii nostri . . . Visis, lectis, et intellectis omnibus scriptis publicis Græcorum prædictorum in præsentia nostra, voluntate, et honore Dei, ex pia devotione, quam ad ipsum sanctum Monasterium qu. Robertus pater noster habuit, et ego similiter habeo, tibi Domno Benedicto Abbati prædicti Monasterii S. Joannis de Lama, tuisque successoribus, et ipsi nostro Monasterio, omnia quæ in dictis scriptis Græcorum continentur, sicuti præscripta sunt, indulgeo, et in perpetuum confirmo, et ita de fine in finem designo.

Inde descripsit Comes prædiorum limites, quæ concessa fuerant, & prout in Græcorum Principum Privilegiis enunciabantur, subnectens: *Unde de his omnibus tam per me designatis, quam per scripta publica Græcorum, sicut superius est expressum, et nostro Monasterio traditis, cum omnibus infra se habentibus, cum terris cultis, et incultis etc., atque cum omnibus pertinentiis suis sicut scripta sunt, tibi Domno Benedicto Abbati Monasterii S. Joannis de Lama, et tuis successoribus nomine, et pro parte dicti Monasterii, ac ipsi Monasterio transitive tradidi, et in perpetuum confirmavi, et per fustem pro parte dicti Monasterii te, tuosque successores investivi ad semper habendum etc.*

Digna etiam sunt, quæ observentur, quæ sequuntur in eodem Diplomate verba. Inde enim apertius liquet de concessorum prædiorum immensitate. Indidem quoque constat per id temporis duos ibi vicos fuisse, Divi Joannis Rotundi scilicet, ac S. Marci, qui temporibus mox insequutis in magnam incolarum frequentiam excreverunt. Verba autem Diplomatis sunt:

Ea etenim ratione, ac conditione, ad resecandas omnes lites, & controversias, quæ inter te pro parte dicti Monasterii, & posteros tuos, & homines Terrarum dominii nostri vicinarum dicti Monasterii, scilicet Riniani, S. Eleutherii, Castripagani, S. Nicandri, & Caniani, aliquo possent tempore devenire, statui-

tuimus de voluntate nostra, & voluntate Partium, locorum, & Terrarum prædictarum, quod liceat hominibus ipsarum Terrarum per totum territorium dicti Monasterii superius designatum, tam ipsis, quam eorum animalibus libere aquam, & herbam accipere, ligna, & marraminas incidere, absque impedimento, & damno Monasterii supradicti, & terras laboratorias de vestra voluntate laborare, & de fructibus exinde exeuntibus dicto Monasterio sicut condecet respondere: homines vero tam dicti Monasterii, quam S. Joannis Rotundi, quam S. Marci, Vasalli dicti Monasterii, qui infra dictum Territorium habitant, seu habitaturi erunt, vadant libere per totum Territorium prædictarum Terrarum demanii nostri viciniorum nostri Monasterii, scilicet Riniani, S. Eleutherii, Castripagani, S. Nicandri, & Caniani, tam ipsi, quam dictum Monasterium, & ipsorum animalia capiendo libere aquas, & herbas, ligna, & marraminas incidendo, sine calumnia, & damno alicujus hominis dictarum Terrarum, & terras laboratorias in ipsis Terris demanii nostri prædictarum Terrarum laborent, & de fructibus exinde exeuntibus patronis ipsorum terrarum respondeant secundum consuetudinem Terrarum ipsarum.

Quæ hactenus exposuimus, de Regio patronatu in Abbatiam S. Joannis in Lamis dubitari non sinunt. Inde enim evincitur, eam opulenter liberalitate Principum, ac bonis Principatus fuisse dotatam. Neque vero interest, in prædictis concessionibus nullam dotis mentionem fuisse injectam. Sane ubi Constantinopolitani Principes Monasterio, ejusque Monachis, latissima illa prædia concesserunt, *ut habeant unde abundanter vivere possint*, ut in altero Diplomate dicitur, *& ut sufficienter, & optime habeant unde vivere possint*, ut in altero legitur, re ipsa dotem Monasterio constituerunt. Leges enim res ipsas, non verba spectari jubent. Aliunde *Nov.* 57. *cap.* 2. mentione dotis omissa, præscribit, ut patronatum habeat *expendens in Ecclesia ministrantibus alimenta. Nov.* etiam 123. *cap.* 18. jus patronatus addicit generatim omnibus, *qui expensas ipsis Clericis ministrant*. Idem Henricus in confirmatione concessionum in Monasterium collatarum, & in nova concessione sua, jus Regii patronatus agnovit.

vit. Neque alia de causa in Diplomate suo controversum Monasterium *nostrum* frequenter appellat, nisi quia dos ejus e manu Regia profecta fuerat, ac bonis Majestatis constituta.

At vero aliud in præsenti controversia decretorium productum est documentum. Inde autem apertissime liquet, Neapolitanos Principes de controverso Monasterio pro arbitrio statuisse, quod quidem de Regio patronatu dubitari non sinit. Id scilicet Diploma est Regis Gulielmi II. anni 1177., quo dotarium constituit uxori suæ Henrico Angliæ Rege prognatæ. In eo autem hæc occurrunt:

Quia vero nostra dignum est celsitudine, ut tam nobile & insigne conjugium decenti Dodario debeat honorari, per hoc præsens scriptum damus, & in Dodarium concedimus præfatæ Reginæ carissimæ uxori nostræ Comitatum Montis S. Angeli, Civitatem Siponti, & Civitatem Vestæ, cum omnibus justis tenimentis, & pertinentiis earum.

In servitio autem concedimus ei de tenimentis Comitis Solfridi Alesinam, Peschizam, Bicum, Caprile, Baranum, et Sflicizum, et omnia alia, quæ idem Comes de honore ejusdem Comitatus Montis S. Angeli tenere dignoscitur.

Concedimus etiam ei similiter Candelarium, Sanctum Clericum, Castellum Paganum, Bersentium, et Cagnanum.

Post hæc vero subdit: *Insuper concedimus, ut sint de honore ipsius Dodarii Monasterium S. Joannis de Lama, et Monasterium S. Mariæ de Pulsano, cum omnibus tenimentis, quæ ipsa Monasteria tenent de honore prædicti Comitatus S. Angeli. Ita quidem, ut ipsa Regina uxor nostra prædicta omnia semper recognoscat ab heredibus nostris, nobis nostra ordinatione in Regno succedentibus, et de omnibus præscriptis tenimentis servitium, prout exigit feudum eorum, integre, et illibate jam dictis heredibus nostris faciat, et maneat semper in eorum fidelitate.*

Hoc autem Guilelmi Diploma non solum Regium patronatum ostendit in Monasterium Divi Joannis in Lamis, sed in Monasterium etiam S. Mariæ de Pulsano. Licet enim ob temporis vetustatem primæ ejus dotationis monumenta desint, exploratum est tamen, prædictum Monasterium S. Mariæ

riæ de Pulſano per Neapolitanos Principes fuiſſe dotatum ipſius Principatus bonis, ac præſertim prædiis in Montis S. Angeli Comitatu poſitis. Expreſſim id legitur in Guilelmi Diplomate, ubi is concedens Monaſterium S. Mariæ de Pulſano, & Monaſterium S. Joannis in Lama hæc addit: *Cum omnibus tenimentis, quæ ipſa Monaſteria tenent de bonore prædicti Comitatus S. Angeli*. Vetuſtiorum igitur temporum ea de re monumentis poſthabitis, Regium patronatum in Monaſterium S. Mariæ de Pulſano illud luculenter evincit, quod jure quam optimo illud poſſederint Neapolitani Principes, idque Guilelmus dotarii titulo in conjugem ſuam tranſtulerit edicens, Monaſterium prædicti Comitatus bona habuiſſe.

Hoc ipſum autem apertius conſtat ex Diplomate Friderici II. Foveæ edito 13. Maji ann. 1225. In eo Fridericus in tutelam, & mundiburgium ſuum recepit Monaſterium S. Mariæ de Pulſano cum omnibus obedientiis ſuis, eique confirmavit, ac rurſus conceſſit bona omnia ab eo poſſeſſa, ac ſpeciatim *omnes terras, quas dictus qu. fel. mem. Guilielmus Rex II. in loco, ſine ulla exactione terratici, vel herbatici, noſtris Bajulis aliquando tribuendo, ipſi Monaſterio donavit*. Itidem ei confirmavit, ac rurſus conceſſit bona omnia Monaſterio ab iis conceſſa, qui in Comitatu Montis S. Angeli, ac finitimis Regionibus imperitarunt, ac ſpeciatim *Eccleſiam S. Joannis de Vento in territorio Caſtri Plietri, quamque Maſtolius Troyſius Dei, & Regis gratia Dominus Caſtri Plietri eidem Monaſterio donavit: Monaſterium S. Petri Opinæ novæ in Iſchitella, quod qu. ... Paulus Dei, & Regis gratia Dominus Caſtri Iſchitellæ donavit dicto Monaſterio, cum Eccleſiis, terris, vineis, ſylvis, molendinis, & omnibus juribus, ac pertinentiis ſuis: duas petias terrarum, quas qu. Jonatas Dei, & Regis gratia Civitatis Comes in territorio prædictæ Terræ Civitatis dicto Monaſterio donavit, unam videlicet in partibus Orientis juxta vallonem, qui dicitur Radicoſa, alteram in partibus Occidentis, quæ dicitur Iſola juxta flumen Fortorii*. Itidem, ei conceſſit, *ut per totum dominium noſtrum, ubi poſſeſſiones, & tenimenta dictum Monaſterium habuerit, poſſit aſ-*

fidare, *&* *diffidare ; & ubique Monachi*, *vel homines præfati Monasterii possint libere emere*, *& vendere quæcumque voluerint*, *& nullum jus*, *actionem*, *seu platbeaticum aliquod solvere teneantur*. Denique vetuit Imperator, *quod in piscationibus*, *quas idem Monasterium habet in mare Siponti*, *& S. Leonis*, *atque in Pantano Barani*, *nullus absque licentia Abbatis Pulsanensis audeat venari*, *vel piscari*.

Cum constet igitur, Abbatias S. Joannis in Lamis, & S. Mariæ de Pulsano per Neapolitanos Principes opulenter fuisse dotatas, atque in eas patronatum exercuisse, Curia censuit, prædictarum Abbatiarum patronatum ad Principem, ejusque in Regno successores pertinere. Id & jus civile jubet, & ea in re Canones cum jure civili conveniunt. Eo accedit, prædictis Abbatiis feuda etiam fuisse concessa. Absurdum autem foret, ut ad libitum exterorum Principum eis quisquam investiatur. Id ipsum igitur suadet, ut in controversas Abbatias patronatus necessario Principi asseratur. Cum summa quidem Principum Neapolitanorum injuria Romana Curia veterem Monasteriorum formam invertit, atque concessit Commendatariis, qui redituum unice studiosi ea dissolvi sunt passi: æquissimum tamen videtur, ut Regalis Corona in jus suum vetus restituatur, cum facultate & eligendi Abbatis, & Abbatias ipsas æquius melius ordinandi, prout ipsius religioni videbitur. Eapropter Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ejusdem, ita decrevit: *Monasterium sive Abbatiam S. Joannis in Lamis*, *ac Monasterium sive Abbatiam S. Mariæ de Pulsano*, *cum feudis*, *bonis*, *juribus*, *reditibus*, *exemptionibus*, *Ecclesiis*, *Granciis*, *& pertinentiis omnibus*, *fuisse*, *& esse de Regio patronatu : proinde in eum Regiam Coronam redintegrari oportere*, *sicut præsenti sententia redintegratur*, *ac restituitur*, *cum facultate eligendi Abbatis*, *quoties Abbatias vacare contigerit*, *& cum reliquis juribus e Regio patronatu pendentibus : salva facultate Principis secus statuendi de Abbatiarum bonis*, *prout ejus religioni visum fuerit*, *ob extinctionem corporum*, *quibus liberalitate Neapolita-*

no-

norum Principum concessa fuerunt. Ne quando autem injuria temporum jus Principis calumniam patiatur, tam dictum Monasterium sive Abbatia S. Joannis in Lamis, quam præfatum Monasterium sive Abbatia S. Mariæ de Pulsano referantur in libros Curiæ inter Monasteria, & Abbatias, in quas jus patronatus Principi competit.

In causa Regii patronatus in Monasterium S. Michaelis Archangeli Montis Caveosi. Die 6. Februarii 1783.

PRomotor Fiscalis Regalis Coronæ ab ipso anno 1772. actionem instituit in Curia Capellani Majoris, ut declararetur Regius patronatus in Monasterium S. Michaelis Archangelis PP. Casinensium Montis Caveosi, quippe non dotatum tantum, sed locupletatum quoque bonis decessorum Principum, qui in nostris Provinciis jura Summi Imperii exercuerunt. Actionem autem ab eo institutam adprobavit quoque Regiæ Coronæ Patronus. Lite vero denunciata prædicti Monasterii Patribus, ejus Regiam fundationem ac dotationem ingenue sunt professi, e veterum Nortmannorum Principum liberalitate manantem. Proinde declararunt se Regium patronatum oppugnatum non ire.

Dos, quam summi Imperantes Cœnobio constituerunt, Regium jus patronatus tribuit. Posito autem jure patronatus Regio, cū pro bono ipsius Cœnobii videatur a veteri eligendi Abbatis forma recedendum non esse; ea haud immutata, Abbatis confirmatio ad Principem spectat.

Maturiori igitur examine in controversiam instituto, aperte constitit, actionem Promotoris Fiscalis exploratissimis documentis innixam esse. Primo enim ostensum, quod mense Februarii anni 1082. Umfredus ex antiquorum Nortmannorum genere, *misericordia Dei Omnipotentis, prout Deus vult, Comes Montis Scaviosi* respiciens, quod Monasterium S. Michaelis Archangeli, *videbatur habere hereditatem parvissimam, & non valebat se ibidem regere ad eorum utilitatem*, Diplomate suo declaravit, accessisse se Simeonem dicti Monasterii Abbatem, & coram suis Equitibus eidem concessisse, & tradidisse *mediam hereditatem de Murro de illa parte fluminis Bradani*, dimidium scilicet latifundii, de Murro dicti, trans Bradanum flumen, cujus & descripsit fines. Quibus descriptis hæc addidit: *Infra hos ergo fines inclusam ipsam medieta-*

 tem

tem supradictam de Murro, cultum, vel incultum, donavi, atque concessi tibi, tuisque successoribus, o prædicte Domine Abbas, ut habeatis, & possideatis, & dominetis pro præfato Monasterio.

Ulterius Promotor Fiscalis docuit, Radulfum Machabeum filium Umfredi, una cum Guidelmo fratre suo, alio Diplomate mensis Septembris anni 1099. concessisse *Ecclesiæ S. Michaelis de Monte Scavioso, & tradidisse in dotem, eo quod nullam Ecclesiam oportet ædificari sine dote, in die dedicationis illius, coram Episcopis eamdem Ecclesiam dedicantibus, scilicet Tricaricensi Librando, Potentino Girardo, Gravinensi Guidone, Mutilensi Amuro, ibidem adstante etiam Comite Goffredo, filioque ejus Roberto, uxoreque ejus Sichelcaita, Riccardoque Seneschallo, aliisque proceribus, necnon pluribus Militibus, Ecclesiam S. Salvatoris, quæ sita est in Castello, quod Comes Robertus edidit, & Ecclesiam S. Basilii, quæ est in Territorio Appii.* Postea vero subdit: *Confirmoque illi prædictæ Ecclesiæ ea quæ pater meus obtulit pro redemptione animæ illius ipsius ibidem sepulti .... In primis Ecclesiam B. Laurentii Martyris cum cunctis suis pertinentiis: Et Ecclesiam S. Juliani cum finibus suis: & ipsas roccas cum omnibus finibus suis; & Murrum cum divisionibus suis ex ista parte fluminis, & ultra transeuntibus: & veterem Civitatem, quæ Ancora vocatur; Et Ecclesiam S. Joannis de Avenella cum ipso eodem Castro, quod Avenella vocatur, cum integris suis pertinentiis; & medietatem omnium terrarum mihi pertinentium in Metaponto: & medietatem proficui portus: & Ecclesiam S. Mariæ, quæ sita est in loco, qui cornu vocatur, cum pertinentibus sibi: & Ecclesiam B. Nicolai de Appio, & fines suos: necnon Ecclesiam B. Benedicti de Acina: & Ecclesiam B. Viti: Et Ecclesiam S. Mariæ de Locorio: Et Ecclesiam S. Mariæ de Monte Scavioso, quæ vocatur nova, cum omnibus suis pertinentiis: Et Ecclesiam S. Nicolai, quæ est sub meo Castello; Et Ecclesiam S. Luciæ cum integris sibi pertinentibus; simul & Ecclesiam S. Mariæ, quæ Veterana vocatur: Et Ecclesiam S. Simeonis, quæ edita est juxta Turrim Severianam: & Ecclesiam S. Protomartyris Stephani de Rio,* cum

cum olivis, & vineis: & vineas, quæ sunt in loco, qui vocatur Rupe: Et Ecclesiam S. Martini cum vineis; & Ecclesiam S. Leonis cum vineis, & terris, & omnibus ad se pertinentibus. Hæc autem omnia volumus, ut ipsa Ecclesia, & Gubernatores illius, absque contrarietate, libere, & integre habeant, possideant, ad honorem, & utilitatem.

Præterea constat, Comitissam Emmam Comitis Rogerii filiam, Civitatis Severianæ Dominam, viduamque memorati Radulfi Machabei, mense Septembri anni 1110. alio Diplomate concessisse prædicto Monasterio, ejusque Abbatibus, quod tenerent, & dominarentur *libere, secure, & absolute cunctas possessiones, territoria, villas, terras cultas, & incultas, cellas quoque, & obedientias, homines quoque, qui ibidem serviunt, tam in prædicta Civitate Severiana, quam vir meus una mecum construxit, quam etiam in Casalibus, vel Castellis, aut ubicumque sunt, & habitant in Terris prædicti S. Michaelis, ut nec ego, nec mei heredes audeamus ab eis petere datium, aut servitium, vel angariam, seu placzam erga eos exigere.... Etiam licentiam vobis damus in prædicta Civitate, vel in cunctis locis vestris, vel nostris, homines affidare unde opportunitas exiget*. Et rursus eamdem Emmam Comitissam mense Julio anni 1119. insimul cum Rogerio Machabeo ejus filio, cum vellet *de suis rebus propriis ditare, & amplificare* prædictum Monasterium, eidem concessisse Castrum dictum *Passabanti* cum suis pertinentiis, juxta fines in Privilegio descriptos, cum facultate *congregandi ibi villanos unde opportunitas exegerit, plantandi vineas & pomaria, & operandi quicquid proficuum Ecclesiæ fuerit*: eidemque tradidisse jura terragiorum, & decimarum, & fidæ in compluribus locis in Privilegio descriptis.

Constat insuper Federicum II. Imperatorem, visis concessionibus Monasterio factis a memorata Comitissa Emma, confirmatis per Regem Rogerium illius fratrem, ea omnia rata habuisse alio Diplomate expedito mense Martio anni 1222. in quo hæc sunt verba: *Nos igitur considerantes sacram Religionem ipsius Monasterii, & devotionem fidei, quam Abbas, & Fratres ejus semper ad nostram Majestatem per effectum*

fectum operis habuerunt, attendentes etiam Ill. Regis Rogerii pietatem, qua memorandæ sororis suæ opus acceptans, donationem simul, & devotionem ipsius Monasterii per Privilegium, quod vidimus authenticum, confirmavit, concedimus & nos Abbati Joannitio, & successoribus ejus, & Fratribus eorumdem, & ipsi Monasterio S. Michaelis de Monte Caveoso Privilegium præscriptum, quod & fecit prænominata Domina fundatrix, & omnia quæ continentur in eo, tam videlicet possessiones, cellas, obedientias, homines, quam etiam libertates, & in perpetuum confirmamus.

Et rursus idem Imperator mens. April. ejusdem anni 1222. pro ampliori confirmatione Privilegiorum prædicti Monasterii aliud expediit Diploma ita conceptum: *Terras, Villas, Ecclesias, possessiones, tenimenta, medietatem etiam totius reditus Civitatis SS. Trinitatis, quæ hodie dicitur Turris Maris, & omnia alia jura, quæ ex concessione Emmæ Comitissæ Civitatis Severianæ, olim Amitæ nostræ, ipsius Monasterii fundatricis, & concessione etiam Umfredi, & Radulfi Machabei Dominorum Montis Caveosi, ac Regis Rogerii prædecessorum nostrorum memoriæ recolendæ, vel quocumque alio justo modo eidem Monasterio concessa, donata, & confirmata esse noscuntur, de speciali celsitudinis nostræ gratia confirmamus eidem.*

Quæ hactenus allegata sunt monumenta, dubitari non sinunt de Regio patronatu in Monasterium S. Michaelis Arcangeli Montis Caveosi. Sane prima ejus dotatio a Comite Umfredo facta concessis Monasterio prædiis late patentibus. Facta autem concessio fuit, ut haberet necessaria vitæ subsidia, *eo quod videbatur habere hereditatem parvissimam, & non valebat se ibidem regere*. Comes quoque Radulfus eo prognatus, Machabeus cognomento, qua die dedicata fuit Ecclesia, eidem concessit diversis in locis vineas, oliveta, aliaque prædia non pauca, Castrum Avenellæ cum territorio suo, & Ecclesias duodeviginti diversis in locis positas una cum bonis, quæ ipsarum in mancipio erant. In concessione vero ita edixit, *Trado in dotem, eo quod nullam Ecclesiam oportet ædificari sine dote*. Comitissa etiam Emma cum eodem Mo-

Monasterio liberalem se præstitit, quia, ut ipsa declarat in Diplomate suo, *Ecclesiam Beati Michaelis Arcangeli sitam in præscripta Civitate de suis rebus propriis dotare, & amplificare* voluit. Denique Fridericus in Diplomate suo memoravit *dotationem ipsius Monasterii* ab Umfredo, Radulfo Machabeo, & Emma Comitissa factam, quam etiam *Fundatricem* vocavit: meminit etiam confirmationis Rogerianæ. Ne quando autem ea de re controversia fieret, suam quoque confirmationem addidit. Quod igitur intendit Promotor Fiscalis in dubium revocari non potest, controversum scilicet Monasterium, Neapolitanorum Principum liberalitate, Principatus ipsius bonis dotatum ac locupletatum fuisse.

His itaque præstitutis, exploratum in jure est, non minus dotem, quam ipsius addimenta jus patronatus dotanti deferre, quamvis in dote constituenda id expressim reservatum non fuerit. Id aperte edicit ipse Pontifex Clemens III. in *cap. 25. de jure patr.* Eam Pontificis sententiam ita exhibet Glossator ad *Can. 9. dist. 1. de consecrat.*: *Jus patronatus ipso jure debetur, etiamsi non petat, vel in pactum deducat.* Id & Doctores ferme omnes sequuntur, & æquissimum videri debet. Ipsa enim rei natura postulabat, jus patronatus deferri iis, qui Monasteria, aut Ecclesias dotarent, ut ita pensaretur eorum pietas, qui substantiis suis ipsis consuluissent. Enimvero si id juris privatis denegari non debet, potiori jure Principibus competit, si ab ipsorum decessoribus ipsius Principatus bonis Ecclesiæ dotatæ fuerint. Ea enim in specie jus patronatus inter Majestatis jura referri debet. His de causis in omnibus Catholicorum Provinciis receptum est, ut, si jus patronatus aliquod ad Principes pertineat, id neque præscriptione, neque diuturno inusu amitti possit.

His illud accedit, controversi Monasterii Patres adversus Regium patronatum nihil produxisse; ingenue enim confessi sunt ejus fundationem unice repetendam a liberalitate decessorum Principum, qui in Regni Provinciis jus Summæ Potestatis exercuerunt. Nihil igitur Curia impedimenti vidit, cur ejus Monasterii patronatus Principi denegandus esset, ac tum

tum ipse, tum ejus in Regno successores in jus primævum redintegrarentur.

Quod autem ad Abbatis electionem, liquet anno 1480., Monasterio S. Michaelis Arcangeli Montis Caveosi tunc temporis jam commendato, ejusque renunciatione facta per Balthassarem de Baucio Commendatarium, Ferdinandum I. Aragonium a Xisto IV. petiisse, ut controversum Monasterium observantiæ monasticæ subjiceretur. Princeps enim optimus resciverat, id Monachis fuisse pene destitutum, ejusque ædificia ruinæ proxima. Ea de causa Princeps cum prædicto Pontifice egit, ut memoratum Monasterium uniretur cum Congregatione Divæ Justinæ Patavinæ, ut regeretur juxta ejus Congregationis *Constitutiones*, *ritus*, *&* *mores*, *ac regularia instituta*. A Principe autem petita unio exequutioni mandata fuit a prædicto Pontifice eo ipso anno 1480. Enim vero Congregatio Divæ Justinæ ex veteri instituto, quæ ea unita sunt, Monasteriorum Abbates ab omnibus Abbatibus capitulariter collectis una cum Generali Ordinis Præsidente eligi jubet, quæ quidem Congregationis lex mire profuit & paci in Monasteriis, & disciplinæ observantiæ conservandæ. Id igitur suadere videtur, ut in Abbatibus eligendis a veteri ritu non recedatur. His accedit, supplici libello suo ejus Monasterii Patres Regi exposuisse, præsentem Monasterii statum ab ipso Rege Ferdinando I. originem suam habere, eique preces obtulisse, ne redintegrato in Monasterium Regio patronatu, vetus forma eligendi Abbatis immutaretur, quæ & Monasterii quietem, & regularem observantiam mire juvit; idque ipsum servatum fuisse in redintegratione Regii patronatus in Monasterium Divi Laurentii Aversani. Clementissimum vero Principem Regiis suis codicillis 7. Septembris 1782. Curiæ mandasse, ut in dicenda sententia earum precum rationem haberet. Proinde Curia censuit, quod ad Abbatis electionem, in præsenti rerum statu a veteri Congregationis ritu in Abbatibus eligendis recedi non oportere. Ne quid tamen Regius patronatus detrimenti caperet, Curiæ visum, Abbates rite electos a Principe etiam confirmandos,

dos, neque posse munus suum suscipere, antequam a Principe confirmationem electionis obtineant. Quapropter tota de re sententiam Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ejusdem ita dixit: *Provisum, & decretum est, Monasterium S. Michaelis Arcangeli Benedictini Ordinis, dotatum ac ditatum ipsius Principatus bonis liberalitate veterum Neapolitanorum Principum, fuisse & esse Regii patronatus: proinde Regiam Coronam in patronatum suum redintegrari oportere in prædictum Monasterium sibi competentem una cum bonis ejusdem omnibus, feudis, vicis, granciis, obedientiis, Ecclesiis ad Monasterium pertinentibus, secundum primævum statum, & naturam, cum facultate Abbatum confirmandorum, quoties electi fuerint: eorumque electiones neque ratas futuras, neque jus aliquod electis deferre, antequam confirmationem electionis a Principe obtinuerint: denique Regem, ejusque in Regno successores jura omnia, quæ Principi Patrono competunt, in Monasterium exercere posse; ne quid autem detrimenti Regia juria patiantur, prædictum Monasterium describi in libris Curiæ inter alias Ecclesias, & Monasteria, in quæ jus patronatus Principi competit.*

In causa redintegrationis Regii patronatus in Abbatiam sive Monasterium S. Mariæ in Cryptis in Monte Drogo. Die 13. Martii 1783.

ANno 1777. Fisco nunciatum, Abbatiam Sanctæ Mariæ Cryptensis in Monte Drogo in Territorio Vitulani in Principatu ulteriori, Regii patronatus esse. Post nunciationem negotio omnino neglecto, anno 1780. Dominicus Ciaraldus a Rege supplici libello petiit, ut sibi mandaretur ejus causæ patrocinium, ut Corona Regia in controversum patronatum redintegraretur. Ciaraldi interpellatione ad Curiam Capellani Majoris remissa per Principem, Regiis codicillis Curiæ mandatum, ut audito Regiæ Coronæ Advocato, eodem Ciaraldo, aliisque, quos audiri oporteret, rite de tota re sententia diceretur. Per edictum igitur citationibus expeditis, de lite certiores facti sunt omnes, quorum interesset: judicio

Fundatio Ecclesiæ, æque ac dos e Principatus bonis derivata, Regium jus patronatus constituit: quod intelligendum est etiam si reservatus patronatus non fuerit.

cio autem tantum adfuit Ferrantius Loffredus e Marchionibus Trevici, cui Abbatia commendata fuerat. Ab eo tamen declaratum, se Regio patronatui in prædictam Abbatiam non adversari. Ita termino probationibus præstituto, allegata sunt monumenta, unde Regius patronatus evinci posset.

Primum omnium producta sunt testimonia Ferdinandi Hughelli, atque Augustini Lubini. Ii enim de præsenti Abbatia loquuti in Diœcesi Beneventana posita, in eamdem sententiam convenerunt. Ita enim uterque: *Altera Abbatia est S. Mariæ de Crypta inter duo juga montium, horrido ac pene impervio situ ædificata ab Atenulfo I. Beneventano, ac Capuano Principe, circa annum Domini* 940., *& a Benedictinis Monachis exculta usque ad annum* 1443., *quam in Commendam concessit deinde Nicolaus V.*

Ostensum est etiam, eamdem Abbatiam mox dotatam ac locupletatam fuisse liberalitate Nortmannorum Principum, qui Longobardis devictis nostris Provinciis imperitarunt. Quamvis vero ad eas concessiones adprobandas Diploma tantum fuerit exhibitum Roberti Domini S. Lupi, & Pretæbubulæ, qui anno octavo Guilelmi Regis donavit Monasterio S. Mariæ de Monte Drogo solidam startiam cum finibus late patentibus, pascuorum usum, & ligna cædua per omne territorium suum: producta sunt tamen Privilegia Friderici II., & Alphonsi Aragonii, & Ferdinandi I., unde liquido constant concessiones Monasterio factæ superioribus temporibus ab ipso Rege Guilelmo, aliisque Nortmannis Principibus. Iis compertis ab eodem Friderico, Alphonso, & Ferdinando, superiores concessiones iteratæ, & confirmatæ sunt, aliis concessionibus superadditis.

Revera ita in Diplomate suo memoratus Robertus edicit: *Ego Robertus filius olim Ingolphi bona voluntate mea ... concessi, atque donavi, & tradidi tibi Domino Roberto Monacho & Priori Ecclesiæ S. Mariæ Montis Drogi ad partem ipsius Ecclesiæ, integram unam startiam, quæ est in loco, ubi Molina dicuntur: item pascua pro omnibus animalibus jam dictæ Ecclesiæ: præterea & incisiones quomodocumque utiles ipsi Ecclesiæ, & ibi*

& ibi inservientibus, in toto tenimento nostro infra territoria villæ meæ, quæ vocatur S. Lupi, & Petræ Bubulæ.

In Privilegio vero Friderici, Catanæ dato die 9. Julii anno 1209. antequam Friderico Imperium deferretur, narratur, Joannem Priorem una cum Conventu S. Mariæ Cryptensis in Monte Drogo per duos Monachos, preces prædicto Principi obtulisse, ut Privilegio suo confirmaret prædiorum quorumdam concessiones a Rege Guilelmo II., aliisque Monasterio factas. In hunc autem modum Fridericus confirmationem indulsit: *Supplicationes vestras benignius admittentes, tenimenta omnia, quæ a prædicto Rege Guilelmo bo. me. jam dicto Monasterio collata fuerunt, Terram videlicet in Monte Drogi, in quo ipsum Monasterium est constructum, & Terram, quæ dicitur Defensa, a supradicto Rege Guilelmo bo. me. eidem Monasterio concessas, de innata benignitatis nostræ clementia dicto Monasterio S. Mariæ de Crypta concedimus propterea, & nostro Privilegio confirmamus. Quædam etiam alia, quæ petitis confirmari, ad supplicationem vestram certis nominibus duximus exprimenda: Tenimentum videlicet quod Robertus Ingolphus in territorio Petræ Bubulæ dicto Monasterio contulit: Terras laboratorias, quas Comes Joannes Alifio in prædicto Monte jam dicto Monasterio donavit: Petium terræ, quod Comes Rogerius de Andria in loco, qui dicitur Prata, ipsi Monasterio concessit: Terram, quæ dicitur sylva plana, quæ est juxta Civitatem Thelesiæ, a Comite Guilelmo Casertæ dicto Monasterio collatam &c. Præterea concedimus memorato Monasterio S. Mariæ pro animalibus suis libera pascua per totum demanium nostrum: insuper jam dictum Monasterium . . . . . sub nostræ Majestatis protectione ac defensione recipimus &c.*

In alio autem Friderici Privilegio 1. Februarii anni 1221. imperium jam adepti res ita narratur: *Quod post sollemnem Curiam nostram noviter Capuæ celebratam, Religiosus vir Dominus Placidus Venerabilis Prior Monasterii S. Mariæ de Crypta ad Curiam nostram accedens Majestati nostræ instanter, & humiliter supplicavit, quatenus divinæ pietatis intuitu, & spe retributionis æternæ, quasdam possessiones, quas Mona-*

 ste-

sterium ipsum habere dignoscitur per loca & fines designata in instrumentis concessionis ipsarum possessionum factæ dudum ipsi Monasterio a Dominis earumdem possessionum, prout in instrumentis ipsis continebatur, & in prædicta nostra Curia eodem tempore Majestati nostræ pre parte dicti Monasterii præsentatis, ipsi Priori pro parte prædicti Monasterii de gratia benignitatis nostræ concedere, & confirmare perpetue dignaremur. Nos itaque attendentes honestam vitam, & laudabilem conversationem .... omnes prædictas possessiones in instrumentis ipsis contentas, inferius denotatas ... de nostra speciali gratia, de novo ipsi Monasterio eleemosinaliter donamus, & concedimus, libere & absolute, absque servitio & adjutorio personali & reali Curiæ nostræ, vel aliquibus fidelibus nostris debito, seu debendo, & de Imperiali benignitate nostra in perpetuum confirmamus, non obstante Constitutione aliqua a prænominatis prædecessoribus nostris, & Majestate nostra edita, seu confirmata, vel amodo promulganda, eidem Monasterio contraria in prædictis.

Recensuit mox Imperator bona omnia, quæ complectebatur ipsius seu concessio, seu confirmatio. Eorum autem numerus ingens fuit. Memorabantur enim vici cum pertinentiis suis, demania, luci, immunitates a publicis functionibus, atque alia quæ ab iis tantum concedi possunt qui jure Majestatis utuntur.

Præterea ex alio Privilegio Regis Alphonsi Aragonii expedito Neapoli die 24. Martii anni 1444. liquet, ejus temporis Abbatem ei exposuisse, *quod cum jam longissimo tempore retroacto ob devotionem ipsius gloriosissimæ Virginis Mariæ per aliquot Magnates, & Dominos hujus Regni, nonnullasque alias personas ... plura fuissent prædia donata pleno jure, accedente consensu, & auctoritate Sacræ Sedis Apostolicæ, ac Imperialis, & Regni hujus Regiæ Majestatis, tunc cum dictum Monasterium recepisset, & habuisset, prout in antiquis Privilegiis, & memorialibus, & scripturis ipsius Monasterii latius continetur:* contra concessiones tamen vim iniquorum & spolia Monasterium patiebatur. Proinde cum Monasterium rogasset Alphonsum, ut denuo sibi concederet prædicta bona, ne

qua

qua ei molestia crearetur, Princeps indulgentissimus & vetera privilegia confirmavit, & petitam concessionem indulsit. Ita enim Monasterium non solum bona retinere poterat, quorum concessionis tempore in possessione erat, sed illa etiam vindicare, quæ ei fuerant adempta.

Denique Rex Ferdinandus I. alio Privilegio suo dato Neapoli 26. Martii anno 1471. ita edixit: *Sane nuper pro parte venerabilis viri Galterii Gallaroli Abbatis venerandæ Ecclesiæ, seu Monasterii S. Mariæ de Crypta supra Vitulanum fidelis nostri dilecti, fuit nobis expositum, quemadmodum dicta Ecclesia seu Monasterium S. Mariæ ex piis oblationibus, concessionibus, legatis, atque eleemosinis & gratiis prædecessorum Regum, Principum, Comitum, Baronumque, & aliorum hominum & personarum ejusdem B. Virginis, Ecclesiæque prædictæ devotarum: & præsertim ex piis oblationibus, & concessionibus, necnon confirmationibus felicissimæ recordationis Regis Guilelmi, Rogerii, deinde augustæ memoriæ Federici, ac etiam recolendæ memoriæ Regis Alphonsi Patris & Domini nostri, tenuit & possedit, ac nunc tenet & possidet Ecclesias SS. Simeonis & Pauli cum omnibus suis pertinentiis, sitas in Territorio Montis Corbini, & Guardiæ Campi clari, cum jure patronatus in Ecclesia S. Mariæ de Vitulano, ac diversas vineas, domos, startias, sylvas, desensas, nemora, oliveta, jardena, hortos, & alias terras cultas, & incultas, sitas & positas tam in Territoriis Montis Corbini, Morconi, Casalis Orculæ, in Civitate Capuæ, in Civitate Beneventi, in Civitate & districtu Thelesiæ, in Territorio Terlicosii, in loco, qui dicitur Petra Bubula, & in loco, qui dicitur Arcus, quam etiam in Territorio, & Castro Petræ Montis Corbini, in Casalibus Vitulani, Foliarii, Salæ, Coeziani, in pertinentiis, & districtu Jovii, in loco ubi dicitur Culiano, & ad Pratum, & in pertinentiis Castri Limatæ, & in Monte Drogi: Item domum, molendinum, & startiam, quæ dicitur Sylva plana, item molendinum de Nassarellis in pertinentiis Limatæ cum certis reditibus in Territorio Solipacæ, ac cum juribus in & supra pratis, terris, vineis, nemoribus, herbagiis, & pascuis in Bositro, & plano, in aquis, in molendinis, in viis,*

viis, *&* *femitis*, *&* *omnibus aliis libertatibus*, *&* *immunitatibus in dicto Castro Toccbi*, *ejusque Casalibus*, *&* *Territorio; necnon etiam Casale Ferrarisii cum pertinentiis suis: Item omnia demania*, *excadentias*, *actiones*, *&* *conditiones in Terris*, *&* *aquis*, *quas Pelusina Domina Terlicosii in pertinentiis ipsius Castri quondam ipsi Monasterio obtulit & donavit: cum gratiis etiam immunitatibus*, *francbitiis*, *exemptionibus*, *auctoritatibus*, *&* *potestatibus*, *videlicet quod animalia ipsius Monasterii ubilibet per totum Regnum*, *tam per Terras demaniales*, *quam etiam aliorum Magnatum*, *Principum*, *Comitum*, *Baronum*, *libere pascant*, *&* *quod res & bona ipsius Monasterii sint exempta*, *immunia*, *&* *libera a plateis*, *plateaticis*, *solutionibus*, *&* *quod Oblati ipsius Monasterii non teneantur ad aliquam collectam*, *gravamen*, *aut servitium reale*, *vel personale*, *&* *eum omnibus aliis auctoritatibus*, *potestatibus*, *jurisdictionibus*, *prærogativis*, *&* *gratiis*, *prout & quemadmodum per ejusdem Abbatis partem latius eontineri assertum est in scripturis*, *literis*, *&* *Privilegiis de ipsis donationibus*, *&* *oblationibus*, *earumque confirmationibus factis*, *&* *signanter in Privilegio præfati Imperatoris Federici dato Aversæ anno Domini* 1221. *die* 1. *Februarii*, *ac in Privilegio præfati Domini Regis Alphonsi Patris nostri dato in Civitate Neapolis* 24. *Martii* 1444. Cum igitur Monasterium Principem rogasset, ut prædictas concessiones sibi confirmaret, Rex Ferdinandus, iis distinctis ac numeratis, addidit: *ea omnia confirmamus*, *ratificamus*, *acceptamus*, *& de novo concedimus*.

Prædictis monumentis inspectis, Regalis Coronæ Patronus hanc actionem instituit: *Instat*, *Monasterium sive Abbatiam in actis deductam redintegrari juribus Majestatis*, *cum jure eligendi Abbatem*, *aliisque juribus ad Regiam Abbatiam sive Monasterium pertinentibus: necnon describi in libris Rev. Capellani Majoris inter Abbatias sive Monasteria Regii juris patronatus*.

Jam vero allegata Diplomata apprime evincunt, Abbatiam seu Monasterium S. Mariæ Cryptensis in Monte Drogo fundatam, ac dotatam fuisse liberalitate veterum Principum

pum Neapolitanorum ipsius Principatus bonis. Æquissimum igitur Curia censuit, patronatum prædicti Monasterii ad Principem pertinere; Regiam vero Coronam in eum redintegrari oportere, quamvis in concessionibus suis Neapolitani Principes expresse sibi patronatum non reservarint. Diserte enim Justinianus in *Novell.* 57. *cap. ult.* patronatum ei competere jussit, *qui ædificaverit Ecclesiam, aut etiam aliter in ea ministrantibus alimenta expenderit*. Id ipsum edixit Clemens III. in *cap.* 25. *de jure Patron.* Eamdem juris Pontificii regulam proposuit Glossator ad *Can. IX. dist.* 1. *de consecrat.*, sic enim ibi: *Jus patronatus ipso jure debetur, etiamsi non petat, vel in pactum deducat*. Sed ea in re argumentis haud opus, nam ipsum Concilium Tridentinum patronatum ei asserit, *qui Ecclesiam construxerit, aut jam erectam, quæ tamen sine sufficiente dote fuerit, de suis propriis & patrimonialibus bonis competenter dotaverit*. *Sess.* 14. *cap.* 12. *de Reform.* Ea Concilii sanctio ab æquitate naturali manat; patronatu enim fundatori concesso gratam se præstat Ecclesia adversus eos, qui facultatibus suis Ecclesias dotant. Neque vero interest, dotis vocabulum in concessionibus usurpatum non esse. Nam non oportet leges calumniari, neque verba captare, sed qua mente quid dicatur aut fiat, animadvertere. Quapropter si leges patronatum ei deferri jubent, qui de suo Ministris alimenta constituit, nemo inficias iverit, dotis vocabulo contineri prædia, & alia id genus bona, unde Ecclesiarum Ministri alimenta percipiunt. Proinde Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consil. D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Abbatiam, seu Monasterium S. Mariæ Cryptensis in Territorio Vitulani Diœcesis Beneventanæ, fuisse, & esse Regii patronatus, atque in eum Regalem Coronam redintegrari oportere una cum omnibus bonis, feudis, Ecclesiis, cellis, obedientiis, præeminentiis, jurisdictionibus, aliisque juribus, quæ ad Principem Patronum pertinent. Ne quid autem detrimenti Regia jura capiant, Abbatia describatur in libris Curiæ inter alias Ecclesias, Monasteria, & Abbatias Regii patronatus.*

In

In causa redintegrationis Regii patronatus in Abbatiam, sive Monasterium S. Anastasii, & S. Eliæ de Carbone. Die . . . Aprilis 1783.

Dos Monasterio constituta a veteribus Dynastis, qui Neapolitanis regionibus imperitarunt, tum Principatus bonis a recentioribus Regibus aucta, Regium jus patronatus tribuit, quod, prout cetera Regalia, præscriptioni nô subjacet.

REgi optimo rite denunciatum fuit, Monasterium S. Anastasii, & S. Eliæ de Carbone Basiliensis Ordinis in Lucania positum Regii patronatus esse, & per summam injuriam a Romana Curia Abbatibus Commendatariis fuisse traditum. Ita ab ipso anno 1780. sub die 12. Augusti Regiis codicillis Curiæ Capellani Majoris mandatum, ut audito Regiæ Coronæ Patrono cum Partibus, quoad petitam patronatus redintegrationem rem omnem cognosceret, ac sententia sua definiret. Quapropter citationibus per edictum expeditis, ut judicio adessent, quorum res interesse posset, ac termino probationibus præstituto, in eodem termino producta sunt monumenta, quibus de petito Regio patronatu constaret.

Principio allegatum Diploma est Hugonis Claromontani, ejusque conjugis Gimargæ scriptum anno 1077., quo prædicti Principes obsequium præstituri Ecclesiæ, *ejusque Pastoribus beneficium & bonorem exhibere volentes*, Abbati controversi Monasterii concesserunt amplissima prædia, ut Fratres in eo degentes necessitatibus suis inde consulerent. In eo autem ita prædicti Principes: *Igitur dum prænominati Hugo Clarimontis, & Gimarga uxor ejus, apud Claromontem essemus, tu Blasius Abbas Venerabilis S. Anastasii, qui dicitur de Carbone, veniens ad nos multimodis precibus rogasti nos, ut Monasterium tuum prædictum, quod sub regimine nostro in Terra nostra adjacet, cum tenimento suo, tibi, & tuis successoribus, cum Privilegio nostræ auctoritatis & donationis, perpetuo concederemus. Nos autem cognoscentes ipsum Monasterium bonorum & religiosorum Monachorum vita & regula permanere: non solum ipsum tenimentum, verum etiam de alio nostro tenimento, ut ipsum Monasterium abundanter pro laborando, & animalia sua pascendo augeretur, tibi & successoribus tuis largiri voluimus. Annuentes enim tuæ sanctæ petitioni, pro salute animæ nostræ, nostrorumque omnium Parentum tam vivorum, quam defunctorum, bujus-nostri Privilegii auctoritate Monasterium ipsum*

cum

cum omni tenimento suo, & obedientiarum suarum in ipso habentium, tibi & tuis successoribus perpetuo concedimus, donamus, & confirmamus. Mox fines descripserunt prædiorum late patentium, quæ ipsorum Privilegio Monasterio concessa fuerant. In eorum autem limitibus Oppidum Carbonis fuit extructum, quod ab ipso Monasterio nomen accepit. Ad ejus enim loci ambitum paulatim confluxerunt homines, ac præsertim Coloni, qui ab Abbate eo vocati fuerunt concessa prædia colendi causa.

Præterea allegatum est Diploma Riccardi Siniscalchi Rogerii magni filii, ejusque conjugis Albendæ ann. 1100., quo ad preces Nili ejusdem Monasterii Abbatis ei concesserunt latissima prædia S. Mariæ de Ponte. Sed juvat ipsa Diplomatis verba hic interserere: *Ego Riccardus Siniscalcus magni qu. Rogerii filius, una cum Albenda uxore mea, dum resideremus apud Maxafram, & venisset ad nos Dominus Nilus Ven. Abbas S. Anastasii de Abbatia quæ dicitur Carbonum, una cum Tristano Monacho suo, & requisisset a nobis, ac deprecatus fuisset, quatenus tenimentum S. Dei Genitricis Virginis Mariæ de Hospitali Ponti sibi donaremus & concederemus: nos autem divina inspiratione commoti, exaudientes Dei viri dignas & justas petitiones, pro amore Dei, & remedio animæ Patris mei commemorati gloriosæ memoriæ, & Roberti Guiscardi Ducis Italiæ, & Rogerii Ducis Barii filiorum ejus, & omnium Parentum nostrorum defunctorum, atque remissionem omnium peccatorum nostrorum, donavimus, & concessimus prædictum tenimentum S. Mariæ prædicti Hospitalis Ponti Domino Nilo prædicto Abbati, & Tristano Monacho, & omnibus successoribus suis, ad dominandum & possidendum quiete & libere omni futuro tempore. Similiter donavimus, & confirmavimus & concessimus prædictæ Abbatiæ Carbonis, & Domino Nilo prædicto Abbati, omnibusque rebus suis mobilibus, & immobilibus, una cum omnibus tenimentis suis, quorum fines ita incedunt &c.*

Insuper fuit exhibitum celebre Privilegium a Boemundo expeditum, filio & herede clarissimi Boemundi Antiochiæ Principis, anno ab Orbe condito 6633., idest anno Christi

 1125.,

1125., quo inter alia bona controverso Monasterio opulenta Scanzanæ defensa concessa fuit. In eo narrat prædictus Princeps, sibi a Nilo Abbate fuisse exhibitum Privilegium patris sui Boemundi pro Monasterio scriptum, quo immunitas ei indulgebatur ratione bonorum omnium, quæ ad Monasterium pertinebant, precibus additis, ut illud confirmaret. Abbatis precibus Princeps annuens, ei immunitatem a publicis collationibus confirmavit, & bonorum omnium, quæ a Boemundo Monasterio concessa fuerant, novam concessionem indulsit. Statim autem addidit: *Quinimo non solum per hoc nostrum Privilegium ratificavimus & confirmavimus prædicta omnia, sed etiam Pontem Pollicorii una cum venerabili & sacro Monasterio B. Virginis, & ejus Casali, una cum Ecclesia Beatiss. Virginis, quæ est in Scanzana, una cum territoriis per hos fines confinatis, idest ab occidente quomodo descendit a fonte, qui dicitur dello Cremida, seu Cepollaro, & per radicem Montis qui dicitur Murica, qui descendit recto tramite usque ad flumen, qui dicitur Chelandra, & quomodo prædictum flumen descendit usque ad mare, & per littus maris descendit ad Ecclesiam S. Georgii, & quomodo a dicta Ecclesia S. Georgii ascendit ad fontem, qui dicitur Ducato, & ab hoc fonte ascendit ad alium fontem prædictum dello Cremida. Omnia prædicta territoria, cum injuste ablata fuerint, & usurpata dictæ Ecclesiæ, illi restituimus, ut ex nunc in antea habeat & possideat absque nullo impedimento, & molestia, quemadmodum prædicta Monasteria B. Virginis, quæ est in prædicto Ponte Pellicorii & Scanzanæ, tenuerunt, & possederunt, & omnia prædicta bona, ut supra dictum est, habeat, & possideat prædictum Monasterium B. Martyris Anastasii, & ejus Abbas, & successores in perpetuum, absque nullo impedimento.*

Productum est quoque aliud Privilegium Alexandri & Riccardi Dominorum Claromontis datum mense Septembris anno ob Orbe condito 6634., scilicet anno Christi 1126., quo Monasterio confirmantur omnes prædictæ concessiones. In eo autem ita scribunt pientissimi Principes: *Cum dominium & potestatem Pollicorii a Domino Boemundo accepissemus,* ve-

venisti ad nos sanctissime Abbas Domine Nile, petens a nobis, ut tibi & successoribus tuis confirmaremus Pontem Pollicorii cum Ven. Monasterio S. Mariæ, & jurisdictionibus ejus, necnon Ecclesiam Dei Genitricis Iscanzanæ cum ejus possessionibus, ferens etiam alia Privilegia & felicis recordationis conjugum Riccardi Siniscalchi, & Dominæ Albendæ Amitæ nostræ, & Illustriss. Principis Domini Boemundi, in quibus quæ ab illis in locis prædictis tibi concessa fuerant, & per te juste & quiete obtenta & possessa continebantur. Nos igitur indignum arbitrati tuas in hujusmodi re preces despicere . . . . ea quæ ab illis tibi donata & concessa fuerunt, nos Fratres prædicti toto animo confirmamus, & benigne rata habemus amodo & in perpetuum, ut dicta Monasteria sine aliquo gravamine & perturbatione, tamquam a nobis accepta obtineas, & possideas tu, & tui successores . . . . Præterea Pontem prædictum Pollicorii cum Monasterio S. Mariæ, & Ecclesiam Dei Genitricis Iscanzanæ cum bonis & jurisdictionibus eorum, ut dicimus, tibi confirmantes, confirmamus ea (quod justum esse, & animabus nostris conferre arbitramur) cum campis etiam, qui sunt in circuitu eorum, juxta confinia infrascripta &c.

His accedit ipsius Regis Rogerii Privilegium scriptum anno ab Orbe condito 6640., nimirum anno Christi 1132. Eo celeberrimus ille Princeps rogatus ab eodem Abbate Nilo confirmavit, & ratas haberi jussit concessiones Monasterio factas a Roberto Guiscardo Apuliæ Duce, ab ejus filio Boemundo, a Riccardo Siniscalcho ejusque conjuge Albenda, a Regina uxore sua, & Boemundo juniore nepote suo, & Privilegium a se ipso concessum antequam anno 1130. populorum suorum consensu Augustum Regis nomen assumpsit. In eo autem ita edicit Rogerius: *Hinc est quod cum sanctissimus Nilus Abbas Monasterii S. Martyris Anastasii cognomento de Carbone, existente Serenitate nostra in Civitate Tarenti, ad nos venisset, & Privilegia sibi concessa a felicis recordationis Domino Roberto Guiscardo Ill. Duce, & a filio ejus Boemundo, necnon a Riccardo Siniscalco, & Albenda ejus uxore, & a piæ memoriæ Regina, & ejus filio Boemundo nepote nostro, ac*

 etiam

etiam Privilegium nostrum, quod ei prius concesseramus, ostendisset, a nobis petiit, ut hæc omnia per Privilegium ab Imperio nostro sibi confirmarentur . . . . Quapropter ejus petitioni annuentes, omnia prædicto Monasterio prius concessa, & ab eo obtenta, & juste possessa, juxta suorum Privilegiorum tenorem confirmamus & approbamus, quatenus ea omnia inviolata habeat & possideat semper, & in perpetuum usque in sæculi consumationem.

A Rogeriano Privilegio diversum non est Diploma Guilelmi I. datum Panormi mense Octobri anni 1154., quo confirmavit Privilegium Rogerii parentis sui. Sic enim ibi Augustissimus Princeps: *Nobis itaque in palatio Urbis Panormi de more residentibus cum Comitibus & Magnatibus nostris, Lucas venerabilis Archimandrita Monasterii Carbonensis preces humillimas & devotas clementiæ nostræ fudit, ut Privilegium quoddam a Genitore nostro Illustrissimo Rege Rogerio prædecessoribus suis, & eidem Monasterio suo factum, Græcis litteris scriptum mense Madii decimæ Indictionis, sibi pie renovari, & nostro signaculo decorari, nostroque sigillo roborari juberemus. Nos itaque solita consuetudine ad pia provocati, volentes semper devotos actus prædicti Domini, & gloriosissimi Regis patris nostri b. m. perenni observantia celebrari: Privilegium ipsum paternis liberalitatibus sibi concessum, eo modo & forma ut scriptum est, confirmavimus, salvis tenoribus & conditionibus in eo descriptis.*

Sed & adversus prædictum Monasterium Friderici II. pietas præteriri non debet. Is enim Privilegio Melphi dato mense Septembri anni 1232. non solum Monasterio confirmavit superiorum Principum concessiones, sed liberalitatem quoque suam cum eo exercuit. Sic enim ibi pientissimus Imperator: *De innata ergo clementia & beneficentia nostra . . . concedimus & donamus dicto Archimandritæ, & successoribus suis, necnon eidem Monasterio in perpetuum tenimentum terrarum de demanio nostro, quod est in Pollicorio inter flumen Acri, & tenimentum Scanzanæ, sicut est per quatuor latera designatum. Ab Oriente est mare. A Meridie dictum flumen Acri. Ab Occidente territorium S. Nicolai de Sylva conjunctum cum territorio*

rio Montis Albani. Ab Aquilone tenimentum Scanzanæ: salvo jure, si quod ibidem habet Domus Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, & Ecclesia S. Juliani: tenendum ipsum libere sine aliqua rei vel juris diminutione, absque contrarietate & molestia alicujus, sicut tenimentum ipsum tempore Regis Guilelmi II. recordationis inclytæ Curia possidebat . . . De abundatiori ergo gratia nostra damus prædicto Monasterio liberam potestatem habere propriam barcam in flumine Acri . . . . cum qua, & in qua possint ultro citroque, gratis, & libere, & intuitu Dei, transvehi quilibet transeuntes, sine aliqua Camerariorum, Bajulorum, & quorumcumque hominum contrarietate. Quam barcam in eodem flumine omni futuro tempore teneatur habere propter concessionem, quam ei facimus de tenimento prædicto. Salvo mandato, & ordinatione nostra.

Productæ sunt denique binæ Regiæ litteræ Ferdinandi Regis, altera mense Junio, altera Octobris expedita anno 1472. Prima is concessit brachium Regium Monasterio contra Vassallos suos, qui detrectabant ejus jurisdictionem, ac solitas præstationes solvere denegabant: altera mandavit quibusdam Commissariis, ut re inspecta æquius melius decernerent de petitione Romani Archimandritæ, ad quem jure Monasterii sui Carbonis Oppidum pertinebat. Is enim supplici libello suo a Rege petierat; ut duos alios Bajulos in eo Oppido creare posset, quoniam ob auctam incolarum copiam duo Bajuli ad id usque temporis creari soliti bajulatus officium ad Monasterium spectans ferre non poterant.

Ex productis monumentis liquet, controversum Monasterium cum veterum Dynastarum, qui Neapolitanis regionibus imperitarunt, tum recentiorum Regum, in quos eorum jura migrarunt, liberalitate donatum ac locupletatum fuisse. Inde igitur necessaria consequentia liquet, Regium ejusdem Monasterii patronatum Regi Neapolitano asseri oportere. Cum enim publicis Principatus bonis dotatnm Monasterium fuerit; Regni etiam successoribus veluti per manum traditus patronatus fuit. Tralatitium est in utroque jure, jus patronatus deferri omnibus, qui de bonis suis alimenta consti-

tne-

tuerunt Ecclesiarum Ministris, quamvis id sibi expressim non reservarint. Id æquissime placuit, ut ad dotandas Ecclesias pii homines facilius allicerentur, hoc ab Ecclesia hostimentum sperantes. Id igitur juris potiori ratione Principibus asseri debet, qui bonis e Corona delibatis Ecclesias ac Monasteria, eorumque Ministros ditarunt. Quin patronatus a Principibus ita quæsitus inter Majestatis jura referri debet, quod neque alienari, neque præscribi potest, ut ex regulis juris publici, & Divalibus ea de re scriptis Curia frequentissime pronunciavit. Quapropter eadem Curia Ill. & Rev. Capellani Majori, cum voto Domini Regii Consil. D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ejusdem ita censuit: *Abbatiam, ac Monasterium S. Anastasii, & S. Eliæ Carbonensis in Lucania positum, largissime dotatum ac locupletatum non solum ab antiquis Neapolitanis Dynastis, sed a Regibus etiam successoribus, fuisse, & esse Regii patronatus; proinde Regiæ Coronæ restituendum cum omnibus suis bonis, feudis, Ecclesiis, Granciis, obedientiis, privilegiis, pertinentiis quibuscumque, ac præsertim cum jure eligendi Abbatis, quoties casus vacationis extiterit, & reliquis juribus, quæ Principi Patrono competunt, exercendis cum ab optimo Rege Ferdinando, tum ab ejus in Regno successoribus. Ne vero jura Majestatis aliquid detrimenti capiant, prædictum Monasterium describatur in libris Curiæ inter alias Ecclesias, & Monasteria Regii patronatus.*

In causa Regii juris patronatus Monasterii S. Mariæ de Patiro, seu Patiros Ordinis Monachorum Basilianorum Rossanensis Civitatis. Die 10. *Maji* 1783.

Ex fundatione, vel dotatione jus patronatus acquiritur. Regii juris patronatus cōsequens est, ut nulla existimetur erectio in Commendam a Romana Curia facta bonorum,

CUm ab mense Majo anni septingentesimi sexagesimi tertii supra millesimum concertatio orta esset in Rev. Curia præclarissimi Capellani Majoris hujusce Regni pro redintegratione Regii juris patronatus Abbatiæ, & Monasterii S. Mariæ de Patiro, seu Patiros Ordinis Monachorum Basilianorum Rossanensis Civitatis citerioris Calabriæ, quodque Monasterium Romana Curia admodum liberaliter Sacerdotibus sæ-

fæcularibus, quoad vixerint commendare consueverat; tandem die vigesima prima mensis Maji anni millesimi septingentesimi septuagesimi secundi per clarissimum laudatissimumque Dominum tunc Consultorem ipsiusmet Rev. Curiæ, quæ exscribitur, sententia dicta fuit: *Die* 21. *mensis Maji* 1772. *Visis &c. Dicimus, decernimus, ac eadem Curia declarat, Abbatiam Ven. Monasterii S. Mariæ Novæ Odegitriæ, corrupte de Patirio, Consentinæ Provinciæ, supradictis bullatis litteris per Curiam Romanam provisam, & ab ipsius Ven. Monasterii Mensa, particulari præbenda separatam, fuisse, & esse Regii juris patronatus, numerandam, et inscribendam inter ceteras Regales Abbatias Regni, ac reintegrandam juribus Majestatis, cum omnibus juribus, et actionibus, bonis, redditibus, præeminentiis, jurisdictionibus, dignitatibus, integroque ejus statu, et specifice cum jure per S. R. M. eligendi Abbatem in eadem Abbatia: Idem vero Monasterium, fuisse, et esse pariter Regii juris patronatus numerandum et inscribendum inter cetera Regalia Monasteria Regni, ac redintegrandum juribus Majestatis cum omnibus juribus, et actionibus, jurisdictionibus, præeminentiis, exemptionibus, dignitatibus, tenimentis, et omnibus pertinentiis suis, et cum integro ejus statu juxta primævam sui naturam. Et insimul cum jure Regii Assensus præcedentis pro conventuali electione canonice facienda titulo Regii juris patronatus, et Regii Assensus subsequentis pro ea confirmanda, instituendique unum, vel plures Commissarios, qui vice et nomine Serenissimi Regis Patroni partes suas debeant interponere electioni tractandæ, toties quoties casus vacationis contigerit.*

que Monasterio addicta sunt: consequens etiam est, ut jus eligendi Abbatē ad Principem spectet.

Ab hacce sententia reclamavit vir exactissimus, & ardenti studio peculiarium jurium Regiæ Coronæ succensus Promotor Fiscalis D. Sebastianus Albani, quique, mandante etiam nunquam satis laudatissimo Domino Advocato Regalis Coronæ, appellationem proposuit adversus modo exscriptam sententiam; porro exposuit, dupliciter læsa fuisse Regiæ Coronæ jura: primo siquidem ratum, acceptumque habebatur hujusmodi sententia, rite recteque per Romanam Aulam fuisse discissum, atque discerptum Regale Monasterium, ejusque

que Regium jus patronatus in Abbatem Commendatarium, & Abbatem Conventualem, seu Claustralem, redditusque ejusdem pessum ivisse contra Regii juris patronatus primævas fundationis leges. Discinduntur siquidem redditus pro ampliori parte in usum, sive mavis in abusum Abbatis Commendatarii; & reliqui præparcissimi addicuntur pro Monachorum miserrimis alimoniis, itaut ne minimum quid supersit pro sartis tectis habendis ædificiis, sacrisque supellectilibus curandis.

Postremo sane eademmet sententia divellitur, ut ait Promotor Fiscalis, immo exenteratur ex juribus Majestatis, & a potestate Principis Patroni jus eligendi Abbatem, illud quippe jus, quod non solum est insertum, infixumque visceribus, ut ita dicam, Regii juris patronatus, atque Regali Diademati Principum fundatorum Monasteriorum; verum etiam illud idem jus, quo Rex Rogerius in suo Diplomate anni 1130. usus fuit eligendo Lucam Monachum in Præfectum, seu Abbatem ipsiusmet Monasterii, ut *fol.* 11. *et* 20. *a t.* visitur. Cui quidem appellationi iisdemque rationibus inhæsit Procurator Monasterii *fol.* 48 *et* 49.

Ab anno 1772., quo supraexscripta sententia lata fuit, ad decimam tertiam diem usque mensis Januarii anni 1781. judicium interceptum est; prædicta siquidem die Regali Rescripto Augustissimi Clementissimique nostri Principis, causa appellationis mihi demandata fuit, *fol.* 92. At cum de hoc appellationis judicio certiores facti fuerint tam Monasterii Procurator, quam Procurator Rev. Abbatis Commendatarii, immo ipse studiosus, & pervigil Promotor Fiscalis Regiæ Coronæ; unum tantum restat, ut sententiam scilicet meam in hocce appellationis judicio dicam, proferamque. Et ut quod mihi in mandatis per Suam Regiam Majestatem datum est, rite recteque exequar, breviter quædam ex Regis Rogerii Diplomate hic adnotanda, exscribendaque esse duco.

Nemo profecto inficias ire potest, quin Diploma Regis Rogerii anni 1130. in actis editum, sit verum, legitimum, atque authenticum, licet exscriptum ex apographo; satis

ſatis enim, immo uberrime in actis illius veritas firmata eſt. Verum enim vero ego pro majori ejus confirmatione, & quorumdam nominum in eo minus proprie fortaſſe deſcriptorum explanatione, cartham adducam anni 1112., quæ per præclariſſimum, ornatiſſimumque virum Ludovicum Antonium Muratorium in ſuis Diſſertationibus *Antiquitatum medii ævi* exſcripta legitur. Hic ſane laudatiſſimus vir in *Diſſertatione* 28. *De diverſis pecuniæ generibus, quæ apud veteres in uſu fuere*, *tom.* 2. *pag.* 785., ut commonſtraret inter alia pecuniæ genera adfuiſſe, *ſchyſatum* ſeu *ſcyſatum*, quod quam maxime uſu habitum illo ævo fuit in hoc Regno, affert chartam venditionis Caſalis S. Apollinaris factæ Chriſtodoro Admirato Willelmi Ducis Apuliæ a Fulcone de Bulangerio, ut in jus Monaſterii S. Mariæ de Patiro transferatur, anno 1112.

Ex hac porro charta legitur, Fulconem de Bulangerio anno 1112. venundediſſe Chriſtodoro Admirato Willelmi Ducis Apuliæ Roberti Guiſcardi nepotis Caſalem S. Apollinaris pro quingentis *ſchyſatis*, & tribus equis, *pro offerre*, *dare*, *et tradere Monaſterio S. Mariæ de Patiro*; in qua quidem charta hæc habentur verba: *Quapropter ego* (*Fulco*) *requirens voluntatem Domini Ducis Willelmi*, *et Comiteſſæ* (quæ, ut ait Muratorius, fuit *Ala*, ſeu *Adala* Willelmi mater) *ejuſque filii Rogerii Comitis*, *atque Riccardi Seneſcalchi Ducis ipſi Valivi*, *quorum quippe conſenſu do*, *et concedo ſupradicto* (Chriſtodoro) Ammirato *ipſum jam dictum Caſalem*, *cum villanis*, *ſilvis*, *terris*, *aquis*, *ac paſcuis*, *cunctiſque Caſalis ipſius pertinentiis*.

Comperitur ſiquidem ex hac authentica charta, quod non rite exſcriptus fuit ex apographo Diplomate Regis Rogerii, Chriſtodulus Amiras, ſed tranſcribendum oportebat Chriſtodorus Ammiratus. Pariter liquet mendoſe fuiſſe exſcripta ſequentia verba: *Quæ emit Protonotarius Chriſtodulus Amiras cum poſſeſſionibus Phulode Baſolzeres*; tranſcribendum ſane erat: *quæ emit Chriſtodorus Ammiratus cum poſſeſſionibus a Fulcone Bulangerio*. Quas ſane res a Chriſtodoro Ammirato emptas a Fulcone Bulangerio, & Monaſterio donatas,

Rex Rogerius eidem Monasterio confirmavit, rataque habuit cetera omnia, & præsertim ea quæ a Duce eidem Monasterio contradita fuerant. Quique Dux, cujus Rex Rogerius in suo Diplomate crebro meminit, intelligendus sane est pro Duce Willelmo.

At quidquid sit de mendis hisce, quæ in transcribendis vetustis chartis non effugiunt etiam maximos viros, & rem diplomaticam, & characteres summopere optimeque callentes, ut nonnunquam sibi accidisse non diffitetur ipse rei diplomaticæ magister præclarissimus Mabillonius; elicitur tamen, ut mea fert opinio, ex præfata charta, quæ apud Muratorium prostat, magis elucescere, atque refulgere veritatem Regis Rogerii Diplomatis in actis editi; etenim confirmat Rogerius Rex prædicto suo Diplomate anno 1130. quæ a Christodoro Ammirato anno 1112. empta fuere a Fulcone Bulangerio, ut Monasterio S. Mariæ de Patiro offerret, daret, traderet cum consensu, & voluntate Ducis Willelmi; confirmatque pariter, quæ ab eodemmet Duce, a decessoribus suis, & a semetipso eidem Monasterio, & pro Monachorum substentatione, atque levamine, & pro sartis tectis curandis sacris supellectilibus, ædificiisque, & suppetiis omni jure debitis Christi pauperibus ferendis, contradita fuerant.

Hisce itaque prænotatis, consentaneum modo est disquirere de existentia Regii patronatus super Monasterio S. Mariæ de Patiro, seu Patiros, sive sit S. Mariæ Novæ Odegitriæ. Jam extra dubitationis aleam est, fuisse ditatum, dotatumque Monasterium modo dictum tam ab Duce Willelmo Roberti Guiscardi, seu Wiscardi ex filio nepote, quam ab ipsomet Rege Rogerio, eorumque prædecessoribus, cui quidem Monasterio tum alia bona, tum S. Apollinaris Casalis ex voluntate, & consensu prædicti Ducis Willelmi, atque Comitissæ Adelæ suæ matris, a Christodoro Admirato ejusdemmet Ducis, donata fuere; quasque donationes confirmavit Rex Rogerius suo Diplomate anni 1130. in actis exhibito. Nullus profecto est, qui nesciat jus patrona-

natus acquiri summo jure, & jure proprio per dotationem, fundationem, atque constructionem; ita sane sancivit Justinianus in *Novellis* 57. *cap.* 2., *et* 123. *cap.* 18., quodque non inficiantur, immo inculcant ex Concilio Toletano IX. anni 655. *Canon. Filiis* 31. & *Canon. Decernimus* 32., atque *Can.* 33. *caus.* 16. *qu.* 7. & *Can.* 4. *caus.* 18. *q.* 2., sicut postremo ex prædictis tribus conditionibus necessariis rei adjunctis, jus patronatus ipso jure acquiri statuit Clemens III., vel potius Cælestinus III. in *Cap. Nobis* 25. *Extra de jure patronatus*; eapropter satis concinne, atque apposite, immo jure proprio, dixit Rex Rogerius in sæpe laudato Diplomate: *Quod prædictum Sanctum Monasterium Regium sit, ac proprie nostrum*, *fol.* 12. *et* 22. *locis sign.* Jure igitur ait Rex Rogerius: *Prædictum Sanctum Monasterium Regium sit*, nam erant tunc temporis Monasteria Regia, seu Regalia, erantque alia, quæ Episcopalia dicebantur, in quibus discriminatim, diversoque medio Abbates eligebantur, ut paullo post, pro causæ necessitate, & ne Regium jus quid detrimenti capiat, demonstrabo; indeque quid juris esse debeat definiam contra eviscceratores, atque obtrectatores jurium Regalis Coronæ.

Igitur si negari nequit, quin Monasterium S. Mariæ Novæ Odegitriæ, seu de Patiro in ipsa sua fundatione fuit Regii juris patronatus, ac temporis processu fuit Regium declaratum, & peculiaris juris Regalis; nemo profecto poterat illud a dominio fundatorum auferre, vel quoquo modo attentare. Statuunt porro Sacræ Regulæ, Monasteria esse in dominio cujuscunque, etsi infimæ fortunæ, fundatoris; propterea ab eo auferri ipsæmet Sacræ Regulæ præpediunt, vetant, interdicunt. Mandavit enim Romana Synodus *anni* 827. *cap.* 21. ex recollectis per Labbæum *tom.* 9. *Conciliorum*, refertque etiam Gratianus *caus.* 16. *qu.* 7. *Can.* 33. hisce verbis: *Monasterium, vel Oratorium canonice constructum, a dominio constructoris, eo invito, non auferatur.* Si non est ergo auferendum Monasterium a dominio cujuscumque humilis generis patroni, seu fundatoris, quo pacto, quaque ratione

per Romanam Aulam auferri poterat Monasterium Regium a dominio, atque proprio, & peculiari jure Principis fundatoris? Prosequitur quippe eadem Romana Synodus: *Liceatque illi (Constructori, seu Fundatori) Presbytero, cui voluerit, pro sacro officio illius Diœcesis, cum consensu Episcopi, ne malus (Presbyter) existat, commendare*. Statuit igitur Romana Synodus, Monasterium auferendum non esse a dominio fundatoris, immo sui juris esse commendare idem Monasterium illi Presbytero, cui ipsi fundatori libuerit, modo sit per Episcopum Presbyter approbatus, ne fortasse malus existat.

Immo Patres Concilii Toletani IX. ab anno usque 655. peculiariter interdixerunt Episcopis, ne quoquo modo præsumerent Rectores ullos ordinare, spretis fundatoribus; secus vero ordinationem fore irritam, & ad eorum Episcoporum verecundiam, illos esse ordinandos, quos iidem ipsi fundatores condignos eligerent.

En Canonis II. prælaudati Concilii verba: *Quod si spretis eisdem fundatoribus, Rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam noverit esse, & ad verecundiam sui alios in eorum loco, quos iidem ipsi fundatores condignos elegerint, ordinari*; prostat apud Labbæum *to. 7. Concilior.*

Priusquam ultra progrediar, monendum esse existimo, verba *commendare Monasterium, vel Ecclesiam*, quibus usi fuerunt Patres nedum prælaudatæ Synodi Romanæ, sed quamplurimorum Conciliorum ad sæculum XI. usque, non aliud sane denotabant, nisi conferre Ecclesiam, vel Monasterium Presbytero, qui tantum ordinandus erat per Episcopum; ab sæculo XI. in posterum illa formula in alium detorta fuit sensum; ita porro advertit doctissimus, eruditissimusque Boehmerus in notis ad suprascriptum *Can. Monasterium*, secundum editionem Decreti Gratiani, quam ipse curavit variantibus lectionibus, suisque notis refertam Halæ Magdeburgicæ typis dari anno 1747., ait enim vir clarissimus *n. 86. Integrum jus patronatus in duobus constituitur in Canone præcedenti, in*

in jure eligendi idoneos ad curam Ecclesiæ; in jure offerendi eos Episcopis ordinandos. Utrumque designatur voce commendationis *in hoc textu, qua appellatione sæpe totum jus patronatus in antiquis monumentis venit . . . . . Secundum hos Canones itaque* commendare Ecclesiam Sacerdoti, *nihil aliud erat, quam eidem conferre Ecclesiam, ipsumque officium sacrum, atque Episcopi consensus primario ideo desideratus fuit, ut probaret candidatum, & probatum ordinaret. Sed jam in Concilio Bituricensi de anno* 1031. *Can.* 22. *hæc formula in alium detorta sensum.*

Redeo nunc unde digressus sum: vetant sane, prohibentque antiqui Canones auferri Monasteria a dominio fundatorum; interdicunt, ne aliis Presbyteris Monasteria ipsa commendentur, ni illis, quos iidem ipsi fundatores elegerint; ceteroquin ad verecundiam, dedecus, & opprobrium eorum, qui hocce facinus patrare præsumpserint, fas sit fundatoribus Monasteria commendare, atque conferre iis, quos ipsimet fundatores, seu patroni condignos elegerint.

Ex hisce profecto Sacrarum Regularum, seu Canonum sanctionibus causa Regii juris patronatus Monasterii S. Mariæ de Patiro dicta est; etenim in comperto est, idem Monasterium fundatum, extructum, ditatumque, seu dotatum fuisse per Ducem Willelmum, Regem Rogerium, prædecessoresque suos, ipsumque Regem Rogerium edixisse illud esse *Regium*, & *proprie*, atque peculiariter *suum*, eapropter illud ipsum *per potentiam suam Lucæ* ejusdem Monasterii Monacho *commendavit*, contulitque. Si igitur posteriori ævo Romana Aula hoc idem Monasterium ob temporum injuriam, spreto fundatore, seu Patrono Principe, invasit, occupavit, eumdemque Principem de proprio jure deturbavit, & ad sui libitum idemmet Monasterium aliis commendavit, atque Regiæ fundationis leges, omni jure reclamante, fregit, delevit, pessundedit, & redditus, proventusque illius, exsecuit, discidit, discerpsit; cur ad verecundiam sui non debet Augustissimus Rex noster justissimus Regni, & jurium Regiæ Coronæ successor redintegrari in ipsius Monasterii Regio jure patronatus? in illo sane quidem jure, quod est co-

pu-

pulatum, immo quod semper hæret infixum Majestati, & dignitati ejusdem Coronæ, a qua prorsus divelli nequit, sicuti ab igne calor abstrahi potis non est.

Et tametsi Curia tunc Rev. Capellani Majoris, ejusque disertissimus, præclarissimusque, atque omnigenæ literaturæ exornatissimus Dominus Consultor, sua superius exscripta sententia diei 21. mensis Maji anni 1772. redintegraverit juribus Majestatis Monasterium S. Mariæ Novæ Odegitriæ, seu de Patiro juxta primævam naturam; ratam nihilosecius habuit, confirmavitque distractationem, & discissionem ejusdem Monasterii per Aulam Romanam factam, & ut concinne, appositeque dicam, eadem sententia firmavit potuisse Curiam Romanam idem Regium Monasterium in commendam cuilibet tradere, & separare, atque dividere Mensam Monasterii, seu Monachorum a ceteris proventibus, hosque pro majori, & uberiori parte, & pene reditus omnes bonorum omnium Monasterii deglutiendos Abbatibus Commendatariis in perpetuum in liberam commendam addicere; licet fartum tectum præstitisset S. R. M. jus eligendi Abbatem, fortasse Commendatarium, nam ex eadem sententia liquide non depromitur de quonam Abbate electio Principi Patrono servatur.

Hanc sententiam, ut in antecessum commemoratum est, acceptavit diligentissimus Dominus Promotor Regalis Coronæ quoad redintegrationem Regii juris patronatus super præfato Monasterio; a ceteris vero, sedulo expetente etiam præclarissimo, & jurium Regalis Coronæ Domino Advocato apprime studiosissimo, appellationem protulit; eique inhæsit Procurator Monasterii.

Ego siquidem, ut quod sentio libere, ingenueque aperiam, non abs re ab exscripta sententia appellatum esse reor; bona tamen venia tam maximi viri sententiæ auctoris hoc dixerim. Non redintegratur certe Regium jus patronatus juxta primævam sui naturam juribus Majestatis, semel ac firmetur divisio, atque separatio duarum Mensarum, & pro constanti, firmaque habeatur præbenda bonis Regii Monasterii

ſterii per Curiam Romanam ſuis bullatis literis impoſita, atque proviſa. Primæva ſane natura Regii juris patronatus Regalis Monaſterii S. Mariæ Novæ Odegitriæ, tantum abeſt, ut per prædictam ſeparationem debilitari quiverit, ut ipſe Rex Rogerius, quaſi divinans quid aliquando ſecuturis temporibus contingere potuiſſet, in anteceſſum indemnitati patronatus in hunc modum proſpexerit: *Nec liceat cuivis filiorum noſtrorum, ſucceſſorum Principum, Magiſtratum, aut Eccleſiaſticarum perſonarum hæc perturbare, aut iis quovis modo moleſtiam afferre, ſive auferre ab illo* (Monaſterio) *vel minima quælibet, eo quod prædictum Sanctum Monaſterium* (Lucæ Monacho collatum) *Regium ſit, ac proprie noſtrum; & hæc omnia ſuperius enumerata confirmavi, & auctoritate munivi. Si quis autem deprehenſus fuerit præter præſentis noſtri ſigilli* (hoc eſt Diplomatis) *vim quidquam agere, aut in contrarium facere, ſive damnum inferre, aut innovare, aut a prædicto noſtro dono auferre, nos ipſos, & filios, heredeſque noſtros adverſarios, & ultores habebit; inſuperque maledictionem Sanctorum, & Deiferorum CCCXVIII. Patrum incurrat; deinde ita maneat hoc demum firmum, & inconcuſſum, uſque ad terminum ſæculorum, fol.* 12. *&* 22. Quos quidem trecentos & octodecim Patres non alios intelligendos eſſe apud omnes ita compertum eſt, niſi Patres Magni Concilii Nicæni anni 325. generalis primi, ubi 318. Patres interfuere; inibi porro *Can.* 63. ſecundum verſionem Arabicam Franciſci Turriani, vel *Can.* 68. Arabicæ verſionis Abrahami Ecchellenſis, de bonis Eccleſiarum, earumque adminiſtratione quædam præſcribuntur. Vide Labbæum *tom.* 2. *Concilior.*

Hæc profecto fuit primæva natura Regii juris patronatus Regalis Monaſterii S. Mariæ Novæ Odegitriæ, ſeu de Patiro; hæ fuerunt immutabiles leges fundationi ejuſdem adſcriptæ, copulatæ, immo inſertæ; quæ primæva natura preſſim Rex Rogerius vetuit, prohibuitque attentari, atque penitus innovari, interdixitque filiis, heredibus, ſuiſque ſucceſſoribus Principibus, præſertim vero, maximeque Eccleſiaſticis perſonis minima quælibet auferre; & in contrarias

par-

partes euntes, atque verſantes, ultores habere juſſit ſeipſum, filioſque, atque Regni Principes ſucceſſores. Si igitur hæc fuit primæva natura hujuſce Regii juris patronatus, quam nemo, etiam Princeps, vel Pontifex attentare potis eſt, ut viri eruditi, & de firmitate juris patronatus optime meriti, docent, quia leges fundationis juris publici ſunt; quonam ſyſtemate, quæſo, redintegratur Regium jus patronatus Monaſterii S. Mariæ de Patiro, ita diſcerptum, & disjectum juribus Majeſtatis, & Regali Coronæ *juxta primævam naturam?* primæva natura quippe illius fuit, ut nec minimum quid e bonis Monaſterio dono datis auferri liceret; in præſentia vero per præbendam a Romana Curia ſuis bullatis literis proviſam, maxima pars, immo quaſi omnia bona ab illo ablata, atque divulſa ſunt, & Abbatibus commendatariis tam retroacto ævo, quam nuperrime per Aulam Romanam electis addicta, & contradita ſunt. Ita ne redintegratur juribus Majeſtatis Regium jus patronatus, ſic dilaniatum, atque eviſceratum, *juxta primævam ſui naturam?*

Inſuper primæva natura Regii juris patronatus Monaſterii S. Mariæ de Patiro ſecum annexum, infixumque, immo indiviſum traxit jus, atque poteſtatem eligendi Abbates ejuſdemmet Monaſterii; quam ſane poteſtatem jure exercuit Rex Rogerius, qui *per ſuam potentiam*, hoc eſt, poteſtatem, & jus, Præfecturam ipſius Monaſterii *commendavit* (ut ſupra exſcriptus Canon Concilii Romani ſtatuit) ſeu contulit Lucæ Monacho modo dicti Monaſterii. Quodque hoc jus, & exercitium fuerit ferruminatum, immò inviſceratum Regali Diademati omnium Principum Patronorum talium Monaſteriorum, poſthæc diſquiram.

Primæva natura igitur Regii juris patronatus Monaſterii S. Mariæ de Patiro, ſibi copulatum habuit jus eligendi omnes Abbates in poſterum futuros ejuſdemmet Monaſterii; ſententia vero paullo ante exſcripta, non commendationem, ſeu collationem Monaſterii Abbatibus, quos Rex voluerit eligere, redintegrat juribus Majeſtatis, ſed tantum *jus Regii Aſſenſus præcedentis pro electione canonice facienda per Mona-*

nachos, *&* *Regii Assensus subsequentis pro electione per Monachos facta confirmanda*; redintegratque *jus instituendi unum vel plures Commissarios, qui vice, & nomine Serenissimi Regis Patroni, partes suas interponere debeant electioni tractandæ*. Ecquænam, amabo, erunt hæ partes interponendæ per Commissarios, seu rectius & concinnius, per Missos Dominicos, electioni tractandæ per Monachos? orandi fortasse Monachos tunc gregatim collectos, ut in Abbatem eligant bonæ frugis virum, vel præbendi testimonium tractandæ electioni?

Partes profecto, quas Missi Dominici (qui Commissarii dicuntur) interponebant in electionibus Abbatum Monasteriorum Regalium, seu Regii juris patronatus, non erant sane nomine Regis præstandi assensum pro Monachis gregatim colligendis, congregandisque, indeque præsentiam suam commodandi tempore tractandæ, seu peragendæ electionis Abbatum; hisque per Monachos electis, Regis nomine, & vice assensum impertiendi; at erant, consistuntque ipsæ partes in jure eligendi nomine Regis ex eisdemmet Monachis Abbates, hisque Monasteria commendandi, idest conferendi. Hæ porro extra dubitationis aleam sunt partes, hocce siquidem est jus Regium, quodque præcipue Rex Rogerius exercuit in electione Lucæ Monachi Monasterii S. Mariæ de Patiro, præficiendo eum in Abbatem ejusdemmet sui Regalis Monasterii, ut ipse Rex testis est in supralaudato Diplomate.

Et ne hujuscemodi jus, atque potestas nimia, & immodica videatur quibusdam jurium Regalium obtrectatoribus, præmonendum esse existimo, retroacto ævo, quo exemptionum abusus nondum suas fixerat radices (contra quas inter ceteros apposite reclamat S. Bernardus *lib.* 3. *de consideration. cap.*4. ad Eugenium III., ipsisque obstrepuerunt Patres Concilii Constantiensis, ut comperitur ex Reformatorio *cap.* 20. apud Dominum Hard *tom.* 1. *Concil. Constant. p.*10. *pag.*620., easque perstringunt doctissimi viri Archiepiscopus de Marca *Concord. Sacerd. & Imper. lib.* 3. *cap.* 16. Espenius *part.* 3.. *Jur. Ecclesiastic. tit.* 12. *cap.* 4. Boehmerus *lib.* 3. *Decretal. tit.*35.

tit. 35. de Statu Monachor. §. 24. *& seqq.* ceterique eruditi viri) retracto, inquam, ævo, dico, & ante sæculum XI., Monasteria alia dicebantur Episcopalia, quæ Episcoporum jurisdictioni, correctioni, & potestati subjiciebantur; alia Imperialia, seu Regalia nuncupabantur, quæ vel a Principibus fundata, vel ut plurimum ab ipsismet ditata, & amplissimis latifundiis donata fuere, ut videre est in Joachim Vadiano *de Collegiis, Monasteriisque German. Veter. lib.* 1., qui prostat apud Goldastum *tom.* 3. *Rer. Allemanicar. pag.*17. *& sequent.*, Auberto Mireo in Codice *donationum piarum, & de donationibus Belgicis*, & ut ceteros prætercam, legere licet in *Sicilia Sacri* Rocchi Pirri.

In hisce porro Monasteriis Abbas, seu qualiscumque Prælatus a Principe solum eligebatur, præficiebaturque; qua de re testem do Monasterium S. Galli in Helvetia, fundatum, ditatnmque per Pipinum, filiumque suum Carolum; de quo quidem Monasterio, cum concertatio orta fuisset inter Archiepiscopum Constantiensem, & Monachos, sequentia leguntur apud Goldastum *tom.* 2. *Rerum Allemanicar. in Centuria chartar. carth.* 96. *Sed in solo Imperatorum arbitrio stare, quem ei loco* (Monasterio) *præficiat*.

Omnia profecto Monasteria Imperialia, vel Regalia nullius jurisdictioni erant mancipata, sed Archicapellano Palatino, quem nos Capellanum Majorem appellamus, suberant; electio eapropter Prælatorum a solo Principe, vel a Missis Dominicis vice ipsius peragebatur. Quæ quidem disciplina non solum in Occidente, verum etiam in Oriente firmo talo stetit. Affero luculentum testem, Innocentium nempe III. Pontificem Maximum, videlicet Jnrisconsultorum jurisconsultissimum, ut phrasi Alteserræ utar. Ipse siquidem *lib.* 13. *epist.* 39. Baluzianæ editionis ad Heracliensem Archiepiscopum, & Cardicensem, & Fermipolensem Episcopos hæc ait: *Cum libera Monasteria, quæ Imperialia vocantur, Græcorum quoque dominio nulli essent Archiepiscoporum, vel Episcoporum subjecta, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus inquisita, & cognita veritate, in Monasteriis illis Regalibus Re-*

gni

gni Thessalonicensis, quod Græcorum tempore Archiepiscopis, vel Episcopis subjecta non erant, non permittatis Archiepiscopos, vel Episcopos juris aliquid indebite usurpare.

Soli igitur Principi Regalia Monasteria subjiciebantur, & ex suo arbitrio pendebat, præficere Monasteriis Prælatos; non abs re porro Rex Rogerius in ipso Monasterio S. Mariæ de Patiro Lucam Monachum elegit Abbatem. Neque enim in hoc solo Monasterio visitur, electionem Abbatis factam fuisse per Reges fundatores, sed in aliis quampluribus, immo in omnibus per Dynastas Normannos erectis, dotatisque Monasteriis idem jus eligendi Abbates, Prælatosque fuisse adhibitum, atque exequutioni demandatum per eosdemmet, successoresque ipsorum in propatulo est. Comes Rogerius profecto erexit, dotavitque Monasterium S. Angeli de Brolo, inque eo elegit Abbatem Fratrem quemdam Erasmum, ut videre est apud Rocchum Pirrum in *Sicilia Sacra, notitia* 10. *vol.* 2. *pag.* 1224. *lit. D.*, apud Petrum Burmannum in *Thesauro Antiquitatum, & Historiarum Siciliæ;* quo jure deinde usi fuere Rex Alphonsus, qui anno 1449. elegit Bessarionem Abbatem, & Rex Joannes anno 1464. præfecit Barsanophrium Lanza, ut ex eodem Pirro *loco laudato lit. F.* in comperto est. Ast ne tempus frustra teramus pro explanando, Principes Normannos plene, & omnino usos fuisse jure eligendi, præficiendique Abbates in Monasteriis per ipsos fundatis, atque ditatis, adeat, cui libet, modo laudatum Rocchum Pirrum tam in *Sicilia Sacra*, & præcipue in *notitiis Monasteriorum illius*, quam in *disquisitione* 3. *de electione Præsulum Siciliensium*, quæ prostat mihi in collectione Petri Burmanni *in fine vol.* 3. *Thesauri antiquitatum, & Historiarum Siciliæ, a pag.* 51.

Ex hisce plane constat, quam apposite in sententia pro Regio jure patronatus Monasterii Tremitensis per me explanata fuit epistola Decretalis sive Clementis III., sive Cælestini III., quæ incipit *Nobis, Extra de jure patronatus* (licet posterior ævo, de quo loquimur) ibique firmissimis rationibus demonstravi illam nedum excipere Regium jus pa-

tronatus Monasteriorum, Ecclesiarumque Collegiatarum; sed etiam patefeci, eamdemmet Decretalem epistolam merito jure nunquam receptam fuisse ubique Regnorum Catholicorum Principum, & præcipue in utraque Sicilia; de qua re ne denuo actum agam, ad nuperrime in medium allatam sententiam pro Regio jure patronatus Tremitensis Monasterii me refero.

Neque obsistit, vetitum esse Abbatibus regimen Monasterii suscipere, Monachos suos benedicere, ceterasque functiones exercere, nisi prius solemniter ipse benedictionem a Romana Curia consequutus sit; etenim talis benedictio necessaria minime est, nec est de essentia exercitii muneris Abbatialis; profecto hujuscemodi benedictionis nulla Regula Monastica meminit; in antiquis historiis, monumentisque ecclesiasticis ne verbum quidem ejusdem fit; neque sua primordia duxit, nisi in fine sæculi XI., ut præclare docet laudatissimus vir Espenius *in jur. Ecclesiast. univers. part.* 1. *tit.* 31. *cap.* 10. *num.* 11. *& seqq.* Nec obstat *Can.* 14. VII. Synodi relatus etiam a Gratiano *Can.* 1. *Distinct.* 69., ubi legitur, Abbates manus impositionem ab Episcopis accepisse; nam ut apposite advertunt Balsamon, Zonaras, ceterique ad eumdem Canonem, ipsum siquidem loqui de Abbate in Presbyterum ab Episcopo ordinatum, ex quo non immerito corripitur Glossa ad dictum Canonem, existimantem illam manus impositionem accipiendam esse pro benedictione Abbatiali; cum benedictio Episcopalis neutiquam promotionem Abbatis facit, ut scripsit Ivo Carnotensis per eumdem Espenium laudatus.

Immo docet Tamburrinus *de jure Abbatum*, *tom.* 1. *disput.* 11. *qu.* 3. hodie non benedici Abbates triennales, nec eapropter ipsis abnuuntur eædem prærogativæ, & privilegia, quibus utuntur ceteri Abbates benedicti. Benedictionem Abbatis necessariam non esse affirmat quoque Auctor anonymus in Opere Gallico idiomate conscripto, cui titulus est: *Traitè du droits du Roy sur les benefices de ses etats*, *tom.* 1. *chap.* 4. *n.* 3. *pag. mihi* 97.

At-

Attamen five neceffaria fit, five non Abbatis benedictio, non inde inficias ire licet jus effe Principibus fundatoribus eligendi Abbates in Monafteriis Regalibus, feu Regii juris patronatus: etenim fequuta electione Abbatis per Principem peracta, abfonum non eft, quin ipse Abbas benedictionem accipiat five ab Epifcopo, ut primævus mos erat, five a Romana Curia.

Præterquamquod mirari fummopere fuccurrit, quonam pacto tam magni fit ifthæc animi averfio aliquorum erga jus electionis Abbatum Principibus copulatum in Monafteriis Regii juris patronatus. Nonne Rex nofter Auguftiffimus elegit tertio quoquo anno Prælatum, feu Priorem Clauftralem Monafterii Montis Carmeli majoris hujufce Civitatis? Mittimus majora Beneficia, quorum collationem pleno jure exercet, femper ac cafus vacationis contingat; fatius profecto eft meminiffe, quod Rex Apuliæ habet collationem omnium Beneficiorum fui Regni, ut affirmat Gloffa *in principio qu. 7. cauf. 16.* verbo *Ecclefias*. Quod quidem jus habendum non eft ceu fimplex affertio Joannis Semeca, aut Bartholomæi Brixienfis, qui gloffas per modo dictum Joannem Decreto Gratiani fæculo XII. appictas expulit, & a mendis expurgavit; fed exiftimari debet tanquam conftans & immutabile axioma habitum non folum a trigintaquinque Romanis Correctoribus, qui felecti fuerunt prima vice a Pio IV., deinde a S. Pio V., & poftremo a Gregorio XIII. Summis Pontificibus emendandi caufa Decretum Gratiani, & qui prædictæ Gloffæ nihil omnino vel addidere vel detraxerunt: fed etiam ab ipfomet Gregorio XIII., quippe qui fua Bulla diei 2. Junii anni 1582. juffit: *ut quæ emendata, & repofita funt, omnia quam diligentiffime retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur*. Proftrat hujufmodi Bulla initio Decreti Gratiani; & qui ampliora de Gratiani Decreto, Gloffifque edifcere mavult, adeat Differtationem Jufti Eningii Boehmeri *de varia Decreti Gratiani fortuna*, præmiffam fuæ editioni ejufdem Decreti typis datæ Halæ Magdeburgicæ 1747. Igitur non folum Joannes Glof-

Gloſſator, & Correctores omnes Romani faſſi fuere, jus eſſe Regi Neapolitano conferendi Beneficia omnia ſui Regni; ſed etiam (quod ſummopere notandum eſt), quia hoc idem quammaxime confirmavit, comprobavitque ipſe Summus Pontifex Gregorius XIII., ſanciendo nihil penitus addendum, mutandum, neque imminuendum eſſe ab eo, quod Gloſſa, Correctoreſque Romani repoſuerunt, emendaverunt; immo diligentiſſime eſſe retinendum.

Sed quorſum iſthæc perverſa pervicacia abnuendi Principibus fundatoribus, atque patronis Monaſteriorum jus eligendi Abbates eorumdem? Nonne definitum, ſancitumque eſt Regali Diplomate diei 10. Februarii anni 1772., jus eſſe Principibus Patronis eligendi Abbates, Prælatoſque Monaſteriorum, Eccleſiarumque Conventualium? ita ſane; & ne videar a vero digredi, en Regalis Reſcripti verba: *Eſſendoſi comunicato a' due Miniſtri Paoletti, e Belli la rappreſentanza fatta da V.S. Illuſtriſs. toccante la cauſa da deciderſi in grado di appello del Regio patronato della Trinità di Mileto, ha il Re in viſta delle riſpettive loro riſpoſte fatto ad eſſi ſentire, che memore la M.S. di non eſſer queſta la prima volta, in cui ha dovuto ſoccorrere alla oſcitanza de' ſuoi Magiſtrati, e frenarne gli arbitrj, col ricordar loro le leggi, e le regole, che debbono tenere ferme nel giudicare; dice S.M. che ſiccome l'entrare in termini di economia è fuori della facoltà del Giudice, circoſcritta nella eſecuzione delle leggi; così vuole ancora la M.S. che ſi reſti nella intelligenza, che nella cauſa del Regio patronato di Bagnara ſi ebbe per maſſima fondamentale della Sovranità, che nella reintegrazione al Regio patronato di Chieſe Conventuali, quando non ſia mutata l' antica forma, ed eſtinta la Conventualità (nel qual caſo reſta al Sovrano la libertà di dar altra forma, come tutto giorno ſi pratica) non dee controvertirſi il dritto di eligere, che al Re appartiene &c.*

Scite igitur, & perquam ſapienter inſequendo canonum œconomiam, mandavit, atque conſtantiſſime præſcripſit Rex noſter Clementiſſimus, ſuique juris apprime callentiſſimus, non eſſe obſiſtendum, neque concertandum Principi Patrono

no Monasteriorum, Ecclesiarumque Conventualium jus eligendi Abbatem, ni velimus in frusta concidere jus Regium patronatus. Si igitur priscorum Canonum sanctio, si mos & consuetudo, si jus peculiare hujusce Regni Regum, si denique Augustissimi Regis nostri Rescriptum statuunt, præcipiuntque juris esse Principis Patroni electionem Abbatum, Prælatorumque Monasteriorum, & ceterarum Ecclesiarũ Conventualium, quæ Regii juris patronatus sunt, ecquisnam tam obstinate, & pertinaciter esse potis est, qui sine intermissione animum suum obfirmet in avellenda a Regia Corona hoc jus electivum? nemo profecto, nisi qui a proprio consilio deflectere renuit, quia alter viam veritatis aperuit.

Ex hisce porro, quæ hactenus disseruimus, perspicue patet firmo talo stare in Regiis patronatibus Monasteriorum, ceterarumque Ecclesiarum Conventualium jus eligendi Abbates, Prælatosque; laude, atque constantia afficiendum esse propterea disertissimum Promotorem Regiorum jurium patronatuum D. Sebastianum Albanum, utpote qui ab altera parte paullo ante exscriptæ sententiæ Rev. Curiæ Capellani Majoris reclamavit, appellavitque, ex quo modo dicta pars ultima ejusdemmet sententiæ jus eligendi Abbatem Monasterii S. Mariæ Novæ Odegitriæ, vulgo *del Patiro* nuncupatæ, Regi nostro invictissimo denegavit, solumque *Regium Assensum præcedentem pro Conventuali electione canonice facienda titulo Regii juris patronatus*, aliumque *Regium Assensum subsequentem pro ea confirmanda* concessit; *instituendique unum vel plures Commissarios, qui vice & nomine Serenissimi Regis Patroni, partes suas debeant interponere electioni tractandæ toties quoties casus vacationis contigerit* (prout asseritur in *Cap. Nobis 25. de jure patronatus*) permisit. Quam quidem hujusce Capituli assertionem in sententia per me dicta in causa Tremitensis Monasterii, prorsus explosi, refelli, & in hoc Regno præcipue illam receptam non fuisse solide, firmiterque demonstravi.

His igitur explanatis, definimus, decernimus, & declaramus, *rite, appositeque fuisse decisum per Rev. Curiam Capel-*

pellani Majoris ejusque tunc præclarissimum, omnigenaque litteratura refertum Dominum Consultorem, Monasterium S. Mariæ Novæ Odegitriæ, seu del Patiro *fuisse, & esse Regii juris patronatus; redintegrandum eapropter illud esse, sicut redintegrari mandamus juribus Majestatis, Regiæque Coronæ, in omnibus servata forma legum in fundationis limine per Serenissimum quondam Regem Rogerium statutarum, præceptarumque. Nullamque profecto declaramus discissionem bonorum ejusdemmet Regii patronatus, atque commendationem ipsiusmet Monasterii per Curiam Romanam factam, inconsulto, atque penitus inscio Principe Patrono, legibus fundationis obsistentibus, reclamantibus; salvis tamen juribus eidemmet Regi Patrono de redditibus; bonisque addictis Abbati Commendatario disponendi in aliud pium vel publicum opus, necessitatemque, prout pientissimo, religiosissimoque suo Regali animo melius, rectiusque visum fuerit. Necnon definimus, decernimus, & declaramus, annexum, infixum, atque ferruminatum fuisse & esse Regiæ Coronæ jus eligendi Abbatem in prælaudato Monasterio S. Mariæ Novæ Odegitriæ, seu* del Patiro *ac in ceteris omnibus aliis Monasteriis, atque Ecclesiis Conventualibus Regii juris patronatus, semper ac casus vacationis contigerit; salvisque quoque ipsimet Regi Patrono juribus omnibus, quæ quomodolibet ei competunt tam ex causa Regii juris patronatus, quam vi eminentis & supremi dominii, ac Summæ Potestatis.*

In causa Regii patronatus Abbatiæ, & Monasterii S. Joannis in Flore. Die 6. Junii 1783.

Jus patronatus ex constructione, dotationeque Monasterii proprio jure consequitur. Cum Principes Monasterium extruxerint, & dotaverint, proprietarii dicuntur bonorum, quo-

MOnachi Cistercienses citerioris Calabriæ reclamaverunt, & provocaverunt a Rev. Curia præclarissimi Capellani Majoris, atque ab sententia dicta a disertissimo doctissimoque ejusdemmet Rev. Curiæ Consultore in causa Regii juris patronatus Florensis Monasterii, & supplicem libellum Clementissimo Regi nostro obtulerunt, ut Judicem eis daret, qui in appellationis judicio modo dictam sententiam perpenderet, distringeretque; quique definiret, Monasterium Florense

rense non esse Regii juris patronatus, neque unquam retroacto ævo extitisse Ordinem Regularem Florensem ullum, qui Ordinem distinctum, dissimilem, atque separatum a Cisterciensi unquam fuerit, prout utrumque adfuisse laudata sententia declaravit, decrevitque.

Ast cum Augustissimus Rex noster suo Regali Rescripto diei 21. mensis Julii anni 1781. mihi in mandatis dedisset, ut in hujusce causæ cognitione versarer; omni præterea, quo par est conamine curavi, ut invictissimi Principis præcepta sarta tecta haberem, & ad hanc concertationem perscrutandam tenues vires meas impenderem. Ut igitur ad rem deveniam, non abs eadem re esse puto, si quod hactenus in hacce causa actum est, hic in medium adducam; & ut omnia in ordinem digerere valeam, initia hujusce Ordinis Florensis referre necessarium esse censeo; quæ ne in dubium revocari queant, inter ceteros dabo testes Scriptores ejusdemmet Ordinis Cisterciensis.

rum reditus Monachorum sustentationi inserviunt. Hinc Curiæ Romanæ non licet, Monastero extincto, bona illi addicta in commendam erigere, cum in plenam fundatoris potestatē revertantur.

Ad Principem spectat jus eligendi Abbates, Prælatosque in Monasteriis, & Ecclesiis Regii juris patronatus.

Satis superque notus est celeberrimus Abbas Joachim. Hic licet Monachus Familiæ Cisterciensis fuisset, & Sambucinæ professus, indeque Abbas Monasterii Curatii Diœcesis Marturanensi, labente tamen sæculo XII., ab Ordine modo dicto discessit, novumque Ordinem nuncupatum Florensem Pontificia auctoritate instituit; inde dictum *Florensem*, quod primum Joachim Abbas Monasterium in loco nuncupato *de Flore* construxit, illudque B. Joanni Baptistæ dicavit, uti refert Angelus Manriquez Abbas Generalis ipsiusmet Ordinis Cisterciensis *tom.* 3. *Annalium Cisterciensium*, *anno* 1190. *cap.* 6. *Inter hæc* (nam neque annus certus constat) *Joachimus Abbas*, *sive perfectioris vitæ*, *sive quæ plerumque per speciem perfectionis inquietant animos*, *novarum rerum cupidus*, *& Petram altam*, *quam tamen Petram olei ab unctione vocasset*, *pertæsus dudum*, *majores adhuc secessus in solitudine*, *& remotiores eremos*, *seu verius divisionem* (*neque enim fugam a Cistercio dicam*) *meditabatur*. Exinde aliquibus interjectis, ex Jacobo Græco Cisterciensi Monacho, prosequitur: *Placuit ergo* (*Deo disponente*) *in Albonetho*, *ubi proprie de Flore est* no-

nomen, vestigia premere. Locus siquidem Floris amne duplici; a meridie scilicet Albula, a septentrione vero Netho alluitur; qui . . . Albanethum efficiunt. In Flore porro duobus remanentibus, Converso scilicet & Laico, si quomodo, modo pastorum inquam, magalia, & casunculam, tuguriumve struere daretur, Pater Joachim ad Rainerium adbuc in Petra manentem rediit: ex mutui denique aspectus exbibitione lætantes, ubi primo in Flore constructum habitaculum sensere, se illuc confere procurant.

A casula igitur, & tuguriolo, seu *casuncula*, ut cum ipsismet Cisterciensibus Scriptoribus loquar, ramulis compacta in loco dicto *de Flore* collocato in montanea Silæ initium fluxit Monasterii Florensis per Abbatem Joachim extructi, ut novum Ordinem a Cisterciensi maxime diversum divisumque institueret. Hunc discessum ab Ordine Cisterciensi, atque institutionem, fundationemque novi Ordinis, in posterum Florensis denominati, idem Manriquez testatur eodem *tomo 3. Annalium Cisterciensium ad annum* 1193. *cap.*2. *n.*7. hisce verbis: *Sed hinc etiam conjectari licet, Joachimum, etsi a nostris jam exemptum, nequaquam eos infensos, aut ipsum aversantes expertum esse; quippe apud quos Panormi hospitabatur*. Hoc idem non inficiatur Ferdinandus Ughellus Abbas Monasterii SS. Vincentii, & Anastasii Cisterciensis Ordinis, & Congregationis Indicis Consultor *tom.*9. *Italiæ Sacræ edit. ann.* 1721. *de Cusentino Archiepiscopo num.* 11., en verba ipsius: *Hac tempestate, eoque* (Bonhomo scilicet) *Archipræsule, B. Joannes Joachim signis, virtutibus, ac prophetiæ dono illustris quondam Monachus Sambucinæ, mox Abbas Curatii Ordinis Cisterciensis in Marturanensi Diœcesi, Monasterium Floris S. Joannis Baptistæ titulo insigne in hac Cusentina Archidiœcesi ad radices Silæ Sylvæ inter duo flumina Albulam, & Nethum in loco horroris, & vastæ solitudinis de consensu Archiepiscopi construere cœpit anno* 1189. *& novam Monachorum Congregationem, seu Ordinem Florensem instituere. Hanc Pontifices Maximi suis Diplomatibus confirmarunt, liberamque a Capitulo, Ordineque Cisterciensi fecerunt.*

Abbas Joachim ergo antea Monachus Cisterciensis ab hoc

hoc Ordine discessit, seque divisit, & novum Ordinem, novamque Congregationem Florensem a Pontificibus probatam, ac ab Capitulo, & Ordine Cisterciensi quam maxime diversam, ac dissimillimam instituit, fundavitque. Hæc namque, quæ laudati viri maximæ existimationis jure merito habiti ab Cisterciensibus ipsis fatentur, memoriæ hominum prius mandata fuere a Cornelio Pelusio Priore ejusdem Monasterii Florensis, & in hoc Regno Vicario, & Visitatore Ordinis Cisterciensis in libro, quem composuit de fundationibus ceterorum Monasteriorum hujusce Ordinis Florensis, atque a Jacobo Græco, & nuperrime a Gregorio Lauro Sagittarii Abbate. Igitur nulla animi fluctuatio habenda est, Ordinem Florensem alium toto cœlo extraneum fuisse a Cisterciensi; quodque in propatulo quam maxime esse comperitur ex Bulla Cardinalis Cencii a latere Legati mensis Martii anni 1200., qua concessum fuit eidem Abbati Joachimo, & Unfredo Colino aliam Abbatiam in loco dicto *Albanetho secundum statuta Ordinis tui, & formam, seu libertatem, quam tibi, & successoribus tuis, & Domui tuæ de Flore a Romano Pontifice constat, esse concessam*. Prostat apud eundem Manriquez *ann.* 1190. *cap. 6.*

Hoc profecto Monasterium Florense, quod, ut ita dicam, a suis incunabulis ortum, exordiumque traxit a casula quadam in montanea Silæ, & præsertim in loco *de Flore* ab Joachimo Abbate, & ab ejus Converso, & Laico structa, paullatim perquam ditissimum evasit, & amplissimis latifundiis fuit refertum; quod sane factum fuit ex dotatione, atque ditatione præcipue Henrici VI. Svevi, Imperatricis Constantiæ Nortmannæ ejus uxoris, eorumque filii Imperatoris Friderici II.

Ac primo Henrici VI. Diploma licet in actis hujusce causæ editum non sit, nihilosecius per supralaudatum Angelum Manriquez, utpote exscriptum a Chartulario ejusdemmet Monasterii, typis datum visitur laudato *tom.* 3. *Annalium Cisterciensium anno* 1193. *cap.* 2. *n.* 4. Dixi *Chartularium* Monasterii, nam inficete ab aliquibus appellantur *Archiva*

loca illa Monasteriorum, ubi adservantur Diplomata, chartæ, præcepta, ceteræque Regum donationes iisdem Monasteriis satis superque elargitæ, cum peculiariter *Chartularia* dicenda sint, teste eodem clarissimo Joanne Mabillonio in laudatissimo, præclarissimoque Opere *de Re Diplomatica:* cum Archivorum nomenclatio tantum donata sit locis illis, quæ Principum auctoritate constituta sunt ad publicas scripturas sartas tectas curandas, custodiendasque per aliquem ibidem ab eodem Principe præfectum, ut apud doctissimum virum Abasuerum Fritschium in Opusculo *de jure Archivi, Cancellariæ* videre est.

Imperator profecto Henricus VI. anno Dominicæ Incarnationis 1195. pridie nonas Martii, decimæ tertiæ indictionis dono dedit Abbati Joachimo, & Monasterio ejus S. Joannis de Flore (quod tunc constabat ex pauperrima casula, seu potius tuguriolo) *annuos quinquaginta bizantinos exsolvendos in festivitate S. Joannis Baptistæ ex redditibus salinæ de Neto, quæ est in territorio Sanctæ Severinæ.*

Prima igitur dos hujusce Florensis Monasterii, seu potius casulæ, constituta legitur per Imperatorem Henricum VI. pro levamine, & alimoniis Abbatis Joachimi, & duorum, triumve Monachorum secum ibi tunc temporis congregatorum pro explendis sacris. Verum nos non fugit, veritatem hujus Diplomatis pernegari per nuperos Monachos Cistercienses in libello per eosdemmet in actis edito, *fol.* 148. *ad* 153. At quam fatua sit atque emendicata hujuscemodi inficiatio, dein cum de aliis chartis, diplomatibusque sermo erit, differemus; satius modo est perspicere, quod sive stilus Svevorum Cancellariæ perpendatur, sive notæ chronologicæ eidem adscriptæ exacte reputentur, veritas illius dilucide patefiet; fert porro illud diem 6. Martii mensis anni 1195. decimætertiæ indictionis; hæc siquidem indictio in modo dicto anno decurrebat, ut iis, quibus res chronologica, atque diplomatica non latet, satis nosse datum est. Sed cogimur inviti fateri, periisse hodiernis Monachis Cisterciensibus frontem, semelac tam audacter abnegant supradi-

dictam Henrici dotationem, cum ex opposito (missis aliis antesignanis Scriptoribus Cisterciensibus) Angelus Manriquez loco nuperrime laudato *num.* 5. de hacce Henrici donatione verba faciens, ita, post illam exscriptam, ait: *Hactenus Privilegium Monasterio Florensi satis utile; sed longe honorificentius ejus Abbati, ob cujus sanctitatem (absque ullo alio motivo designato) collatum dicitur. Porro ex eodem etiam perspicuum est, intra hoc biennium adauctum tertium Cœnobium de Calabro Mariæ, quod supra inter Florenses numeravimus, ut credam facile quæ septem agnoscuntur Florensi subdita, atque observantia speciales Joachimi leges, ipso adhuc vivente, cuncta exorta*. Quæ quidem septem alia Monasteria Florensis Ordinis, omnium facillimum ac tutissimum est affirmare, etiam pari modo per ipsosmet Cistercienses Monachos fuisse, una cum eorum latifundiis, occupata. Sed ad rem redeamus.

Hanc profecto donationem, seu primam dotationem per Imperatorem Henricum VI. Monasterio Florensi collatam, non solum Imperatrix Constantia confirmavit, ratamque habuit, verum illam summopere adauxit, & bonis propemodum innumeris ampliavit, ut perquam clare liquet ex ejusdemmet Imperatricis Diplomate dato in Civitate Messanæ mense Januario anni Incarnationis Dominicæ 1198. indictione prima, quippe quæ excurrebat in modo dicto anno. Prostat siquidem hoc Diploma in actis exscriptum a suo autographo reperto, atque adservato in chartulario ipsiusmet Florensis Monasterii; quodque exemplū legitur pariter apud Ferdinandum Ughellum Monachum Cisterciensem loco nuperrime laudato, *de Cusentino Archiepiscopo n.* 14.

Multæ aliæ in actis editæ sunt chartæ Imperatoris Friderici II., ceterorumque hujusce Regni Serenissimorum Regum, ex quibus comperitur non solum Florense Monasterium exædificatum, ditatum, dotatumque fuisse per eosdemmet Principes, verum etiam alia adsuisse extructa in eodem amplissimo solo montaneæ Silæ; nos siquidem consulto hasce ceteras chartas hic referre negligimus, ne simus aliis fastidio, atque satietati, & ne sententiam nostram protraha-

hamus ultra id, quod ſententiæ dicendæ conſentaneum eſt. At de duabus tantum chartis, quæ etiam exſcriptæ leguntur apud laudatum Ughellum (teſtem omni exceptione majorem, utpote qui Monachus Ciſtercienſis fuit, quemque Ciſtercienſes ipſi jure quidem optimo magni faciunt) de duabus, inquam, hiſce chartis hic quædam commonefacere, æquum non eſt præterire. Una eſt ſententia Bonhomi Archiepiſcopi Cuſentini, Riccardi Abbatis S. Euphemiæ, Simeonis de Manſiſtra Juſtitiarii Vallis Gratis, Vallis Signi, & Vallis Layni, Guillelmi de Biſiniano, Rogerii filii Johelis, & Alexandri filii Guilelmi Regiorum Juſtitiariorum; hac quidem ſententia definita fuit concertatio tunc temporis exorta inter Monaſterium Florenſe, & Monachos Monaſterii Sanctorum trium Puerorum Baſiliani Ordinis, mandatumque fuit, non eſſe deturbandum Florenſe Monaſterium a poſſeſſione *loci, qui olim dictus eſt Caloſuber, nunc autem Bonumlignum, & alterius loci, qui dicitur Feradonius, quam ceterorum tenimentorum, & terrarum, ſecundum quod ei* (Monaſterio Florenſi) *conceſſum fuerat a Domino Imperatore* (Henrico VI.) *& confirmatum a Domina Imperatrice per Privilegia ſua*. Dicta fuit hæc ſententia menſe Junio anni 1199. indictione 2., legiturque apud Ughellum loco laudato.

Verum cum non deſtitiſſent Monachi Monaſterii Sanctorum trium Puerorum a deturbando Monaſterio Florenſi in bonis prædictis, anno 1215. menſe Auguſto, indictione, quæ hoc anno decurrebat, tertia, fuit lis compoſita, finemque accepit per Lucam Archiepiſcopum Cuſentinum, & compoſitio iſthæc fuit confirmata per Bullam Honorii III. anno ſecundo ſui Pontificatus, in qua quidem Bulla concordia modo dicta inſcribitur, quæque cum compoſitione prædicta, ut refert Ughellus loco nuperrime laudato, ex Regiſtro Vaticani, *fol.* 215. exemplata fuit. Inque ea maxima pars bonorum a præfatis Auguſtis Monaſterio Florenſi donatorum, & in Sila collocatorum deſcribitur, atque dinumeratur. Altera eſt charta ſeu Diploma Friderici II., qui anno Dominicæ Incarnationis 1200. menſe Martio, indictio-

ctione III. concessit eidem Abbati Joachimo *liberam potestatem*, ut ædificare valeret *Domum Religionis in loco, qui dicitur Caput Album in extrema parte Silæ, quæ adjacet Civitati Cusentinæ*, in quo quidem loco pridem *receptaculum* quoddam positum erat *ad refugium* Fratrum (Monachorum) ejusdemmet Joachimi, quique Fratres *pro rebus necessariis exinde transire cogebantur*. Donavitque propterea eidem Domui Religionis ædificandæ *in loco ubi dicitur Caput Album possessionem adjacentem ipsi loco per spatium mille passuum tam in longitudine, quam in latitudine, ut de redditibus ipsius Fratres, qui ibi Domino sunt servituri secundum institutionem Ordinis vestri* (Joachimi) suppetias, atque alimentum percipere possent. Prostat hæc concessio apud laudatum Ughel'um in *Italia Sacra tom. 9. pag. 197. edit. an. 1721.*

Ex hoc autem, Diplomate non solum comperitur Fridericum II. confirmavisse donationes, atque dotationem Monasterio Florensi per suos Augustos genitores contraditas, verum etiam eruitur, dotavisse aliud Monasterium ædificandum secundum institutionem Florensis Ordinis in loco nuncupato *Caput Album*, eidemque possessionem positam in Sila longitudinis, & latitudinis unius miliarii tradidisse.

Hisce porro strictim prænotatis, modo præstat diluere effugium, atque tergiversationem per Monachos Cistercienses in supra adnotato eorum libello præfracte excogitatam. Abnegant ipsi veritatem, ingenuitatemque omnium Diplomatum, & chartarum in actis exhibitarum; abnuunt Ordinem Florensem fuisse diversum, & distinctum a Cisterciensi; immo toto animo, omnibusque nervis vafre contendunt, eumdem fuisse Ordinem Cisterciensem ac Florensem, nullumque discrimen inter utrumque extitisse. Verum enimvero cavillatio isthæc perquam facillime refellitur, modo quæ hactenus monuimus, reminiscamur. Quod attinet ad duorum Ordinum discrimen, nedum Manriquez, & Ughellus Monachi Cistercienses, verum etiam Bulla Cardinalis Cencii Legati a latere Summi Pontificis Innocentii III. dilucide ostendunt, Abbatem Joachimum novum Ordinem, novamque

que Congregationem instituisse prorsus dissimilem, atque exemptam a Congregatione, & Capitulo Cistercienfi; & regulis statutisque omnimode disparibus ac diversis illam submisisse. Si igitur ex Bulla coæva ipsimet fundationi, & exordio Ordinis Florensis in comperto est nihil commune habuisse Ordinem, seu Religionem Florensem cum Cisterciensi; si hoc contestantur firmiter, omnique dubitatione remota Angelus Manriquez, & Ferdinandus Ughellus res præteritas sui Ordinis apprime callentes; qua petulantia, quave perfricta, atque expudorata fronte negant moderni Monachi Cistercienses diversitatem unius ab altero Ordine? eadem sane audacia, atque oris contumacia, qua instruuntur ii, qui cum bonum jus non foveant, id omne quod ad condemnationem effugiendam animo occurrit, per fas nefasque objiciunt.

Negant insuper veritatem omnium Diplomatum, concessionum, chartarumque in actis exhibitarum. Proh protervitas? nonne chartæ istæ depromptæ sunt ab chartulario ipsiusmet Monasterii Florensis, ubi hactenus diligenter, attenteque servatæ sunt, ut effictum titulum amplissimorum latifundiorum in Sila per ipsosmet Monachos Cistercienses injuria detentorum, occupatorumque ostenderent, objicerentque cuicunque eos deturbare ausus fuisset, persuadendo insipientibus, atque simulando eadem bona fuisse Cisterciensibus elargita, atque donata? at quia nunc fabula detecta est, ad pernegandas easdem chartas impudenter confugiunt.

Attexunt præterea Cistercienses (ut suspectas modo dictas chartas faciant, & identitatem Religionis Florensis, & Cisterciensis suadeant) incompertum prorsus esse, quandonam, qua causa, quo Pontifice suppressus fuerit Ordo Florensis, ut inde factum fieri potuerit, ut addicerentur latifundia prædicta Ordini Cisterciensi; quodque (iidem Cistercienses prosequuntur) cum nunquam acciderit; eapropter verum non esse, immo falsum, Ordinem Florensem fuisse distinctum a Cisterciensi, & bona illi contradita, occupata postea a Cisterciensibus extitisse. Hæc sane Monachi Cistercien-

cienses obloquuntur atque objectant, ut Regium jus patronatus Monasterii Florensis debilitent, illudque a Principis diademate decerpant, divellantque. Verum ut effugium hoc, atque velamen, quod prætexere satagunt, nugasque quas Cistercienses garriunt, penitus diluamus, testem locupletem, classicumque nobis producere lubet unum Angelum Manriquez Monachum Cisterciensem in sæpenumero laudato *tom.3. Annalium Cisterciensium, cap. 6. n. 10. anno 1190.* Hic Annalium Cisterciensium Scriptor profecto, quem refellere non licet Cisterciensibus, disertissime refert, post excursos annos ducentos, Monasterium Florense, & cetera hujusce Ordinis Cœnobia, fortunasque eorum Cistercienses invasisse, quanquam afferat hoc accidisse propter legum, statutorumque Ordinis Florensis inobservantiam, & bona gubernandi causa.. En Manriquez verba: *Inter Florensia Monasteria numerantur de Calabro Mariæ; de Fonte Laureto; de Bagnariæ Sanctæ Mariæ & Martyrum; S. Joannis de Ulaneiis; de Succursu S. Mariæ de la Nova; & quædam alia. Quæ qualiter post ducentos plus minus annos, Joachimi legibus penitus abolitis, Cistercienses admiserint ad earum præscriptum gubernanda; si quis annales forsan prosequetur, dicturus erit.* Nec aliquis tam rudem se studeat esse, ut occupationem hanc excidere fidem sibi persuadeat; nam non hac vice tantum, sed sæpenumero facinus hoc Cistercienses patravisse testatur Summus Pontifex Alexander III. in epistola ad Cistercienses in quodam eorum Capitulo generali congregatos scripta, in qua eos sic perstringit, reprehenditque: *Nunc autem aliqui ex vobis pristinæ institutionis obliti penitus, vel ignari, contra Ordinis vestri gloriam, & decorem villas, molendina, Ecclesias, & altaria possident, fidelitates, & hominia suscipiunt, rusticos, & tributarios tenent, & omne studium adhibent, ut termini eorum dilatentur:* exscribitur a Jano a Costa *tom. 1. des Revenus Ecclesiastiques pag. 240.*

Profecto hinc plura colligi ex hactenus expositis datur, nempe, Monasteria Ordinis Florensis peculiariter appellata fuisse Florensia, non vero Cisterciensia; non alia siquidem de

de causa, nisi propter omnimodam amborum Ordinum diversitatem: insuper elicitur alias fuisse leges seu statuta Ordinis, sive mavis, Congregationis Florensis per Joachim fundatorem ei imposita atque præscripta, ab illis Cisterciensis Ordinis: ac denique eruitur omnia Monasteria Florensis Congregationis post plus, minusve ducentos annos occupata fuisse per Cistercienses, sub prætextu, ut ea gubernarent, regerentque solum, non autem ut ipsismet latifundia, redditusque omnes in proprietatem addicerent. Gubernatori profecto, sive administratori jus divinum, humanumque præscribit, mandatque ut ad rationes reddendas compellatur patrono Monasteriorum; sicuti qui vim ac potestatem effectumque juris patronatus norunt, in comperto habent; præsertim si Patronus Rex sit, qui tam ope juris patronatus, quam vi eminentis dominii Monachos, Clericosque omnes cogere potis est, ut rationem reddant de rebus Monasteriis ceterisque piis locis juris patronatus in fundatione addictis, vel postea auctis, deque usu reddituum illarum, maximopere si bona juris patronatus ab aliis gubernii causa administrata fuerint. Firmo talo stat igitur, non solum Monasterium S. Joannis in Flore, ejusque latifundia, præsertim ea in Regia Sila collocata; sed omnia alia Florensia, scilicet Florensis Ordinis Monasteria occupata fuisse una cum eorundem bonis per Cistercienses, post ducentos annos excursos ab illorum fundatione, atque institutione.

Ex his omnibus porro, quæ in antecessum prænotavimus, certo certius profluit, Monasterium Florense, seu S. Joannis in Flore fuisse per retroactos Principes hujusce Regni fundatum, utpote quod in fundo Silæ, quæ jurium Regalium semper extitit, extructum fuit; ab ipsisque Principibus possessionibus latitudine amplissimis in Regia Sila collocatis dotatum, ditatum, atque refertum. Hinc etiam extra omnis dubitationis aleam positum est, modo dictum Monasterium Florense fuisse, & esse Regii juris patronatus; per fundationem sane, atque dotationem jus patronatus proprio jure, non autem ex gratia, acquiri satis superque in com-

comperto est. Ita profecto sancivit Justinianus in *Nov.* 57. *cap.* 2. & 123. *cap.* 18., quodque statuerunt Sacræ Regulæ ex Concilio Toletano IX. *an.* 655. in *Can. Filiis* 31. & in *Can. Decernimus* 32., confirmavitque deinde sive Clemens III. sive potius Cælestinus III. fuerit, ut viri eruditi autumant, sua Decretali epistola exscripta in *cap. Nobis de jure patronatus*, data post annum 1191. teste præclarissimo, consultissimoque viro Justo Eningio Boehmero in notis ad dictam epistolam, *not.* 26. ut videre est in sua editione totius juris canonici, variantibus lectionibus suffulta. Concinne igitur, atque scitissime præclarissimus Consultor Rev. Curiæ Capellani Majoris sua sententia declaravit, Monasterium S. Joannis in Flore fuisse, & esse Regii juris patronatus, redintegrandum eapropter juribus Majestatis, Regiæque Coronæ invictissimi Regis nostri una cum omnibus ejus bonis, juribus, & secundum primævum statum, & pristinam ejus naturam.

His ita præstructis, libeat mihi gradum facere ad quamdam seriam animadversionem, quam mihi suggerunt verba omnium Diplomatum, sive ea inspicias Henrici VI., sive cetera Imperatricis Constantiæ, vel Friderici II. Imperatoris, omnia profecto isthæc verba, quæ leges fundationi addictas, præscriptasque constituunt, atque firmant, non aliud digito ostendunt, & commonefaciunt, nisi latifundia omnia fortasse nimis liberaliter data, profusaque fuisse pro dote unius Florensis Monasterii, & pro levamine Abbatis Joachimi, & Monachorum Ordinis Florensis per eumdemmet Joachim instituti successorum, seu melius, succedaneorum; de hac autem re ambigi nequit, & si quis dubitarit, diligenter quæso modo dicta Diplomata legat, & per nos animadversis obsistere profecto nequibit.

Progrediendum nunc est ad ea, quæ paullo ante adnotavimus, videlicet ad dissolutionem Ordinis Florensis, qui post plus, minusve ducentos annos ab ejus institutione, ipsis Cistercensibus testibus, penitus jam obsolevit. Fructus tantum reditusque traditi fuere Joachimo Abbati, ejusque

affeclis Monachis & successoribus ad sui victum, & ad farta tecta tuenda Monasteria, quæ sub regula prædicti Abbatis regerentur, ut legitur in Diplomate Friderici II. anno 1200. per Ughellum exscripto. Fructus, inquam, prædiorum ceterorumque bonorum, non vero proprietas eorumdem, concessa, & contradita fuerat. Hinc prono alveo fluit, fructus ipsos dissoluto, extincto atque abolito Ordine Florensi, qui ab Joachimo initium duxerat, ad fundatores, & dotatores penes quos proprietas remanserat, devolvi debuisse.

Fructus igitur, redditusque bonorum constituti, atque attributi, ut dixi, fuerunt Monasterio Florensi, ejusque Monachis in eodemmet Monasterio vitam ab oculis, & hominum convictu remotam ducentibus secundum institutum, & regulam per Abbatem Joachimum præscriptam; proprietas vero ipsorum bonorum a dominio eorumdem Principum fundatorum avulsa non fuit. Hoc sane, quod ex laudato Diplomate elicitur, peculiare est in omnibus juribus patronatus; perspicuum siquidem est id, quod statutum fuit in Concilio Romano *anni* 726. *Can.* 12. sub Eugenio II., prostatque apud Labbæum *tom.* 9. *Concilior.*, & refertur etiam a Gratiano *Can.* 33. *caus.* 16. *qu.* 7., inibi porro legitur: *Monasterium, vel Oratorium canonice constructum a dominio constructoris* (hoc est fundatoris) *invito non auferatur*. *Dominium* profecto, de quo Concilium verbum facit, nihil prorsus hic denotat, nisi Monasteria, Ecclesias, ceteraque pia loca per fundatores extructa, atque dotata, una cum bonis pro dote ipsis constitutis, esse in proprietate eorumdemmet fundatorū.

Hæc namque assertio nimis redundans fortasse quibusdam obtrectatoribus videbitur; sed ut eam tanquam firmissimum canonem juris patronatus commonstremus, en quod præscriptum legitur in Capitularibus Regum Francorum collectis per clarissimum virum Stephanum Balutium *t.*2. *p.*339. *cap.* 36. *Statutum est, ut si quis liber homo per consensum Episcopi Ecclesiam in sua construxit proprietate, fontesque ab Episcopo in ea fuerint consecrati; ideo non perdat suam proprietatem, sed si Episcopus voluerit, officium sacri baptismatis in suam Ecle-*

clesiam transferat, ipsa vero Ecclesia, a qua transfertur, in constructoris maneat jure. Legitur quoque hoc caput in legibus Langobardis *lib.* 2. *cap.* 47.

Hæc porro Monasteria per Principes dotata, Monasteria Regalia proprie appellabantur, & eousque ipsa Ecclesiæ disciplina existimabat illa esse in dominio, & proprietate Regum Fundatorum, ut a manu ipsorum Regum haberi dicerentur: ex iisdem enim Capitularibus per Baluzium collectis *tom.* 1. *pag.* 259. *cap.* 6. statutum legitur sub Carolo Magno *anno* 793. *De Monasteriis, & Xenodochiis, quæ per diversos comitatus esse videntur, ut Regalia sint; & quicumque ea habere voluerit, per beneficium Domini Regis habeat.* Prostat quoque in legibus Langobardis *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 30.

Insuper in Capitularibus Ludovici Pii *anni* 823. *cap.* 8. *eod. tom.* 1. *p.* 635. hæc habentur: *Abbatibus quoque, & Laicis specialiter jubemus, ut in Monasteriis, quæ ex nostra largitate habent, Episcoporum consilio, & documento ea, quæ ad religionem Canonicorum, Monachorum, Sanctimonialium pertinent, peragant, & eorum salubrem admonitionem in hoc libenter audiant, & obediant*. Reges siquidem ex eorum largitate dabant, concedebantque Monasteria per eos fundata, atque dotata Abbatibus, hosque eisdem Monasteriis præficiebant; de his vero, quæ ad religionem pertinebant, audire Episcopum, eique obedire necesse erat.

Hinc erat, quod de bonis eorumdem Monasteriorum Abbates, & Abbatissæ rationem Regi reddere debebant. Ex laudatis Capitularibus *eod. tom.* 1. *pag.* 174. *cap.* 20. legitur: *In alia Synodo nobis perdonastis, ut illa Monasteria, ubi regulariter Monachi, vel Monachæ vixerunt, hoc, quod eis de illis rebus dimittebatis, unde vivere potuissent, exinde si Regalis erat, ad Regem faciant rationes Abbas, vel Abbatissa; & si Episcopalis, ad illum Episcopum. Similiter & de illis vicis.* Depromptum est hoc caput ex Concilio Vernensi anni 755. congregatum sub Pipino Rege, & Episcopis in palatio Vernis; extatque etiam hæc Synodus apud Labæum *tom.* 8. *Concil. pag.* 417. *& seq. can.* 20. Quanta profecto fuerit Regum

gum poteſtas in exigendis rationibus ab Abbatibus, & Abbatiſſis modo dictorum Monaſteriorum, aliorumque omnium, qualiſque auctoritas ſuper illis adhibita, vide ſis conſultiſſimum Franciſcum de Roye in præclariſſimo Opuſculo *de Miſſis Dominicis*; de quibus ſane juribus nos etiam pleraque diximus in ſententiis Regiorum jurium patronatuum Monaſterii Tremitenſis, & S. Mariæ de Patiro, ſeu *Novæ Odegitriæ*.

Hanc ſane firmiſſimam diſciplinam, canoneſque, atque Regum ſtatuta proſequendo Hincmarus Remenſis Eccleſiæ Archipræſul Hedenulpho Epiſcopo Laudonenſi ſcribens, ſequentia urgere non deſtitit: *Eccleſias quoque in proprietatibus liberorum hominum, ac coheredum conſiſtentes, ut ſuæ tradantur Eccleſiæ, non debet* (Epiſcopus) *cogere; ſed ſecundum Synodalia, & Imperialia Capitula, quæ regularia eſſe probat Eccleſia, ſatagat quatenus dotis immunitates, ſicut ceteræ Eccleſiæ, auctoritate Regis, habeant, & ipſæ ab eiſdem liberis hominibus potiantur*. Extat apud eumdem Baluzium *tom. 2. Capitularium pag. 626. cap. 6.*

Ex hiſce igitur, quæ hactenus expoſuimus præclare comperitur, dominium, atque proprietatem bonorum pro dote Monaſteriorum, Eccleſiarumque juris patronatus conſtitutorum per fundatores, penes eoſdemmet manere; fructus vero, redditusque ſolummodo ipſorum bonorum in eadem pia loca pertranſire pro levamine, atque alimoniis Monachorum, ceterorumque Eccleſiæ Miniſtrorum, proque ſacris explendis, non ſecus ac uſufructuarii utuntur fruuntur bonis in uſumfructum legatis, donatiſve, quorum proprietas ſemper ſalva, & integra penes dominum ſtat, remanetque.

Ex iiſdemque quoque hucuſque explanatis, firmatiſque manat aliud juris axioma, nempe fructuario mortuo, uſuſfructus finiri, ait enim Juriſconſultus Paulus *lib. 3. ſententiarum receptarum, tit. 6. §. 33. Finitur uſuſfructus aut morte, aut tempore, morte cum uſufructuarius moritur*; unde infertur uſumfructum legatum, relictumque communitati, vel alicui cœtui, eo extincto, & penitus exoleto, uſuſfructus finitur, & ex-

& extinguitur; hæc namque eſt juris æconomia, atque axioma, teſte Juriſconſulto Modeſtino in *L. ſi uſufructus* 21. *D. Quibus modis uſusfructus, vel uſus amittitur: Si uſusfructus Civitati legetur, & aratrum in eam inducatur, Civitas eſſe deſinit, ut paſſa eſt Carthago; ideoque quaſi morte deſinit habere uſumfructum*. Et ex hoc eodem axiomate aliud, quod nequit avelli, profluit, videlicet, uſufructu finito, & extincto morte uſufructuarii, ad proprietatem redit, eique conſolidatur, ut ipſe Juriſconſultus Paulus in modo laudato loco, §. 28. edixit hiſce verbis: *Uſusfructus amiſſus ad proprietatem recurrit;* quodque etiam ſancitum fuit ab Imperatore Juſtiniano *lib.* 2. *Inſtit. tit.* 4. *de uſufructu* §. *ult.* ubi hæc habentur: *Cum autem finitus fuerit totus uſusfructus; revertitur ſcilicet ad proprietatem, & ex eo tempore nudæ proprietatis dominus incipit plenam in re habere poteſtatem*.

Tanquam firmiſſimum conſectarium pariter etiam ex adnotatis manat, extincto jam atque obſoleto prorſus Ordine Monachorum Florenſium, exactis jampridem ducentis annis ab ejus fundatione, & exordio, finitus extinctuſque fuit uſusfructus, hicque omni intercapedine ſublata recucurrit, reverſuſque fuit ad proprietatem, ſive, ut phraſi fori utamur, conſolidatus fuit cum proprietate, quæ penes Principes Fundatores indivulſa ſemper permanſit, quique propterea ab illo ævo uſque plenam in rebus, in uſumfructum Monaſterio & Monachis Florenſibus adſignatis, poteſtatem habuerunt.

Infertur inſuper ex præmonitis, non jure ex eiſdemmet latiſundiis fuiſſe diſſecta per Aulam Romanam bona illa omnia, quæ ad hanc diem viſuntur in Commendam Abbati Commendatario collata. Diſcindere profecto bona juri patronatus obnoxia, nefas eſt, maxime ſi jus patronatus Regium fuerit, inconſulto, inſcioque patrono; penſioni porro per Curiam Romanam nequeunt ſubjici Regia jura patronatus, immo nec patronatus privatorum hominum, ut appoſite differit Renatus Choppinus *de Sacra Politia l.* 1. *tit.* 4. *n.* 13., & *lib.* 3. *tit.* 2. *n.* 15., docetque Eſpenius, ut mittam

tam alios, *in jur. Ecclesiast. univers. part.* 2. *sect.* 3. *tit.* 11. *cap.* 6. *n.* 21. Non alia siquidem de causa Matthæus Paris in *Historia majori Angliæ ad annum* 1240. *pag. mihi* 362. refert, Legato Pontificio responsum fuisse: *Item cum Rex Angliæ, & Magnates tam jure hereditario, quam bona, & appropriata consuetudine habent jus patronatus Ecclesiarum Angliæ, & Rectores ad eorum præsentationem instituti nolunt, sicut nec debent, nec possunt in aliquam contributionem consentire, inconsultis patronis, quia sic possit ex Ecclesiis suis præjudicium generari.*

Igitur si nulli pensitationi subjici possunt bona Regii juris patronatus, quonam porro modo potuit Romana Curia discindere, atque discerpere bona Regii juris patronatus, illaque in commendam erigere, atque ad sui libitum Abbati Commendatario conferre? Eo minus potis erat, quia cum jam bona omnia per interitum, & extinctionem Florensis Ordinis in plenam potestatem invictissimorum Neapolitanorum Regum reversa jam erant; contra fas jusque discissio, seu ut phrasi forensi utamur, dismembratio illa attentari poterat contra bona Regiæ Coronæ.

Hisce omnibus ergo sic sedulo perpensis, dicimus, decernimus, atque declaramus, *Monasterium Florense, ejusque bona omnia sive allodialia, sive feudalia fuisse Regii juris patronatus, redintegranda eapropter ea esse Regiæ Coronæ cum eorum juribus, jurisdictionibus, accessionibus, & integro statu, prout hac nostra definitiva sententia redintegrari volumus, atque mandamus; nulla prorsus habita ratione discissionis bonorum in commendam datorum, inque Abbatiam per Romanam Aulam commendatam erectorum; liceatque proinde invictissimo pientissimoque Regi nostro Augustissimo eisdem bonis omnibus uti, iisque vel in publicum, aut in pium aliud opus collocandis, prout melius sanctiusque suo religiosissimo animo visum fuerit.*

Declaramus itidem ad sacratissimum Regem nostrum, ejusque faustissimos heredes, & successores pertinere præcipuum jus eligendi Abbates, aliosque Prælatos in omnibus Monasteriis, Ecclesiisque Conventualibus & Collegiatis Regii juris patronatus; abo-

abolita prorsus atque proscripta formula interponendi tantum partes suas in electione tractanda Abbatum Claustralium, quæ hucusque inconcinne, & præter modum in aliquibus sententiis interpolata visitur, quæque jura Regiæ Coronæ ferruminata, atque infixa debilitat, detrahitque.

BASILIUS PALMIERI.

In causa redintegrationis Regii patronatus in Abbatiam S. Joannis Tiresti apud Stylum. Die 8. Augusti 1783.

Sive fundatione, sive dotatione Principum in Ecclesiã, & Monasteriũ collata, Regium jus patronatus acquiritur: cui consequens est, ut Principi liceat Abbatem commendatariũ statuere ratione bonorum, quæ ex Monasterii patrimonio Curia Romana decerpsit; itẽ, ut ipsius Principis assensu Abbatis conventualis electio fiat.

JOannes Baptista de Aversa a Rege optimo supplici libello petiit, ut Abbatia Divi Joannis Tiresti, apud Styli Civitatem posita, Basiliensis Ordinis, Regii patronatus declararetur. Ita Regiis codicillis Curiæ Capellani Majoris mandatum die 14. Julii 1781., ut audito Regiæ Coronæ Patrono, rem omnem æquius melius definiret. Regis igitur mandata exequutura Curia ad controversiæ definitionem processit. Primum autem omnium citationem per edicta expedivit, ut ita certiores de judicio fierent, quorum quoquo modo interesse posset. Re ita transacta, judicio tantum adfuit Procurator Monasterii S. Joannis Tiresti, qui tamen nihil opposuit adversus Principis patronatum. Judicio quidem adfuit quoque Procurator Universitatis Guardavallis, is tamen adversus Regium patronatum nil protulit; tantum edixit, de quibusdam bonis sibi litem cum Monasterio esse, quod ad præsentem controversiam prorsus haud pertinet. Quapropter incusatis de contumacia generatim aliis, qui se judicio non stitissent, solitum probationum terminum Curia præstituit, iis anditis, qui in judicio præsentes erant. In eo documenta fuerunt exhibita, unde de Regio patronatu liquere poterat. Ita termino rite expedito, docnmentis productis perpensis, Curia controversiam definiendam suscepit.

Principio ex productis documentis apprime constat, Comitem Rogerium, Brutiis potitum, apud Stylum anno ab Orbe condito 6609., seu æræ Christianæ 1101. Privilegium

subscripsisse, quo sollicitudine sua pro sacris Templis exposita, ac perpenso, Monasterio Divi Joannis Tiresti ad sustentationem suam multa deesse, ei munificentia sua dotem constituisse, ipsi concessis terris, ac lucis late patentibus, finibus designatis, quorum ambitu continerentur. Sed e re erit ipsa Privilegii verba proferre, sic enim ibi:

Privilegium factum a me Rogerio Comite Calabriæ, & Siciliæ Venerabili Monasterio S. P. nostri Joannis Therefte Civitatis Styli, ejusque Abbati Bartholomæo Archymandritæ, mense Septembris Indict. IX.

Quoniam nos divinorum Templorum curam habere debemus, eorumque constructionem stabilire volentes, cum igitur multa necessaria desint Templo Patris nostri S. Joannis, Dei auxilio id abundanter providimus, concedendo eidem terras, & nemora, quæ terminantur hoc modo &c. Finibusque descriptis longe, lateque patentibus, ita subjunxit. *Hæc omnia permittimus possidere Monasterium ex nunc, & in perpetuum immutabiliter, quia sunt Deo consecrata. Et si aliquis præsumeret in aliquo tempore permutare, & defraudare huic Privilegio, sit a Domino Deo excommunicatus, & a nostra implacabili indignatione punitus. Et ordinamus bene observari hoc Privilegium a nostris heredibus, & successoribus, & ab omnibus hominibus.*

Præterea liquet anno Orbis 6613., qui incidit in annum Christi 1105., sororem ejusdem Rogerii Comitis, & Comitem Simeonem Rogerio prognatum, controverso Monasterio Abbatem confirmavisse Pancratium quemdam hujusmodi verbis: *Ego soror Comitis, simul cum ejus filio Comite Simeone, promittimus, & confirmamus Abbatem Monasterii Monachum nuncupatum Prancratium, quem elegerat Beatus Abbas Ubo, ex nunc, & deinceps sit Abbas, sicut ab eodem fuerat ordinatus, habeatque Monasterium, domumque prope Civitatem, duosque homines Hilarium, & Nicolaum Sacerdotem filium Prætelei.*

Constat insuper, eumdem magnum Comitem Rogerium, præter bona primo illo Diplomate concessa, eodem anno 1101. in Monasterium contulisse alia quoque prædia, & montes

tes cum finium designatione, ut vel inde liqueat eam concessionem a priori illa fuisse omnino diversam. Liquet etiam, anno Orbis 6648., seu anno Christi 1140., Privilegium magni Comitis Rogerii Regi Rogerio ejus filio Messanæ fuisse exhibitum, ut ab eo confirmaretur, & eorumdem bonorum concessionem fecisse Regem, ea tamen lege, ut Monasterium Regium, & soli Principi obnoxium censeretur. Verba Rogerii in Privilegio ita leguntur:

Residentibus itaque nobis die 24. mensis Octobris 6648. Indict. 3. in omni pace, & tranquillitate in Civitate Messanæ per virtutem Omnipotentis Dei nostri, cum Comitibus, & Principibus Potentiæ nostræ . . . . . accessisti coram nobis tu Pacomius Abbas Monasterii S. Joannis Therysle de Stylo, & ostendisti nobis Bullam celebris, & fel. mem. magni Comitis Patris Potentiæ nostræ cum sigillo plumbeo anni 6609. IX. Indict., qui dicto Monasterio concesserat terras, & montes, quorum confinia hæc sunt . . . Atque horum quoque bonorum descriptis finibus, hæc addidit: *Hæc promittimus, & concedimus tibi, fratribus, & successoribus tuis, & mandamus, hoc Monasterium esse francum, & liberum, & Regium, & neminem cognoscere debere, nisi nostram a Deo conservatam potentiam.*

Ostensum est denique ejus Regiæ fundationis memoriam per Historicos etiam fuisse servatam, & Græcum Scriptorem per Stephanum Barbarum latine redditum, post enarrata miracula ab eodem Sancto patrata, ita pergere: *Quibus permotus Rogerius Cœnobium, & Fanum, sicut hodie cernitur, condidit, consecrandum curavit. Item aliquos campos, & saltus dilargitus est, queis hoc sæculo Monasterium fruitur, & substentatur.*

Hactenus producta monumenta de Regio in controversum Monasterium patronatu dubitari non sinunt. Nam norunt omnes, utroque jure fuisse cautum per fundationem, ac dotationem in Ecclesias ac Monasteria patronatum acquiri. Proinde Curia censuit, Principi clementissimo, ejusque in Regno successoribus in prædictum Monasterium patronatum denegari non oportere; ejus autem patronatus effectum esse,

ut Principi non tantum liceat Abbatem Commendatarium destinare ratione bonorum, quæ ex Monasterii patrimonio Curia Romana decerpsit, sed & ut Abbatis Conventualis electio ipsius Principis assensu fiat, designatis etiam a Principe hominibus, sive Missis Dominicis, qui in electione partes suas interponant, neque electio rata censeatur, nisi per Principem confirmata fuerit. Quamobrem Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris cum voto Domini Regii Consil. D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Monasterium seu Abbatiam S. Joannis Tiresti apud Civitatem Styli, Basilienfis Ordinis, fundatam atque opulenter dotatam a Neapolitanis Principibus, fuisse, & esse Regii Patronatus; proinde Regiam Coronam redintegrari oportere, ut in præsenti redintegratur in prædicti Monasterii patronatum cum omnibus ipsius bonis, juribus, privilegiis, granciis, obedientiis, aliisque pertinentiis, cum jure eligendi Abbatis Commendatarii quoties eligere oportebit, ea etiam lege, ut non fiat Abbatis conventualis electio, nisi cum assensu Principis, eaque per Missos Dominicos expediatur, neque rata habeatur, nisi numine Principali confirmata fuerit. Ne quando vero jura Regia detrimentum capiant, prædictum Monasterium in libros Curiæ referatur inter alia Monasteria, & Abbatias Regii patronatus.*

In causa redintegrationis Regii patronatus in Abbatiam sive Monasterium S. Helenæ de Pantasia, Larinensis Diœcesis. Die 8. Augusti 1783.

Ex dotatione Monasterio facta ab iis, qui jura Majestatis exercent, Regium jus patronatus manat. Monasterio autem extincto, ac bonis ei addictis in cōmendam erectis, ad Principem spectat, vel Abbatem Commendatarium eligere, vel aliis piis usibus reditus addicere,

AUgusto Regi nostro denunciatum fuit, Abbatiam S. Helenæ de Pantasia, Larinensis Diœcesis, sive Monachorum olim Cœnobium jam inde extinctum, a Principibus hujus Regni fundationem, & dotationem accepisse, eoque Regii juris patronatus fuisse; ejus tamen reditus a Romana Curia Abbatibus Commendatariis, ab ea delectis, injuria permitti: proptereaque ipsis Abbatibus submotis, id jus patronatus Regiæ Coronæ redintegrandum esse. Hinc a Rege jussum, Capellani Majoris Curiam hanc causam ad normam juris

juris cognoscere. A Curia itaque primo per edicta omnes citati fuere, qui id sua interesse autumarent; atque inde, incusatis contumaciis, terminus ad probationes datus fuit. Tum productis antiquis monumentis ad dicti patronatus probationem, ac denique compilato termino, spectabilis Advocatus Regiæ Coronæ his institit verbis: *Fiscus Regalis Coronæ instat redintegrari juribus Majestatis Monasterium sive Abbatiam sub titulo S. Helenæ de Pantbasia cum omnibus bonis, juribus, jurisdictionibus, & integro statu, cum jure tamen per Principem Patronum eligendi Abbatem, si ipsi placuerit, aut ob jam extinctum Monachorum Conventum, addicendi bona piis usibus, prout melius Regis pietati & religioni visum fuerit. Et pariter instat describi Abbatiam, de qua agitur, in libris Curiæ Capellani Majoris inter ceteras Regias Abbatias.*

Hinc Curia quid verum justumve de productis documentis exquirens, ex eis pollentissimum præ oculis habuit; hoc est Diploma Longobardorum Principum Pandulphi patris, & Landulphi ejus filii, signatum anno XIII. Principatus Pandulphi, anno vero VIII. Principatus Landulphi, quod refertur ad Christi annum 976. In hoc enim Diplomate ipsi Principes ita effati:

Pandolphus & Landolphus filius ejus divina ordinante gratia Longobardorum Gentis Principes. Inter ceteras virtutes, quas statuit Jesus Christus ad salutem animarum, elemosinam largiri potiorem locum tenere. Quapropter noverint omnium fidelium nostrorum præsentium & futurorum sagaciores, quod nos divina inspirante clementia pro salute animarum nostrarum, & gloriosi Genitoris nostri, & omnium parentum nostrorum, dignum duximus ad bonorem Dei, & Beatæ Helenæ Reginæ, quamdam Ecclesiam ad suum honorem construere in nostro demanio infra Comitatum nostrum de Pantasio, & Ecclesiam possessionibus augumentare, & in eo Monacos & viros Religiosos statuere, qui Deo jugiter famulentur, & qui Deo serviant, necesse est, ut rebus temporalibus nutriantur, utile duximus quamdam partem terrarum de prædicto nostro demanio prædictæ Ecclesiæ franco, libere, & absolute donare & offerre. Ita quod nul-

nullus Castaldus, seu Bajulus, seu persona aliqua liceat prædictam Ecclesiam molestare in aliquo, nec ab eo aliquod auferre, sed liceat Monachis vel Abbati, qui pro tempore ad regimen ipsius Ecclesiæ fuerint instituti, ipsas terras quiete libere & absolute in perpetuum habere & possidere, & eas lavorare, & dare ad lavorandum cui voluerint. Item damus & concedimus tibi Johanni modo ordinato Abbati, & tuis successoribus, ut liceat vobis in ipsis Terris Casalia seu Villas ædificare, & homines ibidem amantiare, vineas plantare, necnon etiam quidquam ad utilitatem prædictæ Ecclesiæ de prædictis terrenis facere volueritis plenam & integram habeatis potestatem faciendi quidquid volueritis, sine contrarietate & molestia personæ alicujus & requisitione.

Et post designationem finium longe, lateque patentium, iidem Principes hoc addiderunt: *Quas possessiones cum omnibus infra se habentibus, & cum viis & anditis suis, cum Sylvis, terris cultis & incultis, cum herbis, & aquis, & cum omnibus pertinentiis suis, & cum omnibus infra se habentibus, sicut superius dictum est, france, ac quiete, & libere, & retenta aliqua non reservata, prænominatæ Ecclesiæ S. Helenæ, quam construere jussimus prope stratam publicam, infra Comitatum prædictum de Pantasia, sicut superius declaratum est, perpetuo concedimus, damus, tradimus, & assignamus, ad habendum, & possidendum &c.*

Alia quidem documenta producta quoque sunt, quibus patet, anno 1179. id Cœnobium, ejusque territoria, pagosque ibi constructos, Regem Guilielmum in Regiam tutelam recepisse; & anno 1256. molestiis a Riganthasia, Julii Anglone uxore, affectum, Judices Regios in eorum bonorum possessionem Monasterium retinuisse. Sed Curia his aliisque opus non esse judicavit. Cum enim jure Civili pariter ac Canonico certissimum sit, fundatione, & dotatioue patronatum acquiri; atque ex relato Diplomate satis perspicue constet, Longobardos Principes Pandulphum, & Landulphum, qui jura Majestatis tunc in partes hujus Regni habebant, Ecclesiam S. Helenæ fundasse ac condidisse, eamque

que inde Principatus bonis dotasse: nulli dubium esse debet, quin illud Cœnobium Regii juris patronatus fuerit, idemque nunc ad Augustum Regem nostrum, ejusque in hoc Regno successores pertineat. Eoque pariter bonum quidem jus dicere, æquumque postulare videtur spectabilis Advocatus Regiæ Coronæ, scilicet, ut Regis sit aut Abbates Commendatarios eligere, quatenus his velit istius Abbatiæ reditus permitti, aut aliis piis usibus eos reditus addicere, ob extinctionem jam longissimo ab hinc tempore illius Cœnobii, ad cujus dotem unice a prædictis Principibus ea bona donata fuere. Curia igitur Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza, ordinarii Consultoris ejusdem, ita decrevit: *Monasterium sive Abbatiam S. Helenæ de Pantasia, Larinensis Diœcesis, uti fundatam ac dotatam a priscis hujus Regni Principibus, fuisse, & esse Regii juris patronatus; ac proinde Regiæ Coronæ redintegrandum esse, prout præsenti sententia redintegrari mandatur, patronatum dicti Monasterii sive Abbatiæ cum omnibus ejus bonis, juribus, rationibus, Ecclesiis, Granciis, obedientiis, feudis, jurisdictionibus, aliisque quibuslibet pertinentiis, & cum jure ad Principem spectante eligendi Abbates Commendatarios ad perceptionem redituum dictæ Abbatiæ, aut assignandi ejus bona aliis piis usibus, spectatæ pietati ac religioni suæ bene visis, ob extinctionem Collegii, cui bona tempore fundationis fuerunt donata. Ne vero Regalia jura quid detrimenti capiant, prædicta Abbatia describatur in libris Curiæ inter alias Ecclesias, Monasteria, & Abbatias Regii juris patronatus.*

In causa redintegrationis Regii patronatus in Cœnobium, sive Abbatiam S. Mariæ de Ligno Crucis. Die 6. Septembris 1783.

Antiquiores patronatus Historicorum auctoritate recte probantur. Cum vero inter bona Monasterii ea inveniantur,

IN controversia instituta per Promotorem Fiscalem Regalis Coronæ in Curia Capellani Majoris de Regio jure patronatus in Cœnobium, sive Abbatiam S. Mariæ de Ligno Crucis, Coriolani Rossanensis Diœcesis sitam, hæ, quæ subnectuntur, in dato termino productæ probationes sunt perpensæ. Pri-

quæ nonnisi a Summa Poteſtate profiſciſci queant, Regia dotatio, Regiumque jus patronatus luculenter evincitur.

Primo teſtimonium ab honeſtioribus ac fide dignioribus Coriolani Civibus in judicio perhibitum de priſca majorum ſuorum conſtantique traditione, id Cœnobium ab Imperatore Friderico II. dotatum fuiſſe ſpatioſiſſimi agri donatione, in Coriolanenſe Territorio, denominati *lo Capo di Grati*; eumdemque conſequentibus ſæculis Abbates Commendatarios, a Romana Curia delectos, Cameræ Baronali in emphyteuſim dediſſe ad annuum canonem in frumento præſtandum, qui adhuc per dictam Abbatiam exigitur. Prætereaque ipſi teſtes ex accepta traditione perhibuere, poſt eam primam dotationem alia eidem Cœnobio bona largitos quoque fuiſſe antiquos Calabriæ Duces; qui Regum noſtrorum primogeniti ſucceſſoreſque ſupremo jure in hoc Regno dominabantur; additoque, quod eo inde Cœnobio a Romana Curia commendato, fato quodam omnium commendatorum Cœnobiorum, ſive potius Abbatum Commendatariorum aviditate, Monachi diſſipati abierint, ac Cœnobium everſum deſolatum deſtructumque fuerit, redituum majori parte ipſis Commendatariis addicta, reliquo a Romana Curia in alios uſus inverſo.

Id autem, quod Coriolani Cives teſtati ſunt, firmatur auctoritate duorum anteacti ſæculi Scriptorum, qui antiquam originem ac fundationem ſacrorum Italiæ locorum diligentiſſime inveſtigarunt. Hi ſunt Ferdinandus Ughellius, & Auguſtinus Lubinus: quorum primus in *tom. IX. tit. de Roſſanenſi Archiepiſc.*, alter vero in *Notitia Abbatiarum Italiæ lit. L.* concordi ſententia retulere, id Cœnobium bonis, privilegiiſque a liberalitate Calabriæ Ducum acceptis, ditatum fuiſſe. Inſuper prædictæ Coriolanenſium teſtationes etiam comprobantur quadam antiqua plathea anno 1622., ſervatis ſervandis confecta, in qua ita legitur:

Item exigit dicta Abbatia, & Commenda ſingulis annis in menſe Auguſti a Curia Baronali Terræ Coriolani modios tritici, ſive frumenti albi optimæ conditionis centum trigintaquinque, prætentio vero dictæ Abbatiæ centum octoginta, ex territorio, ſeu Prato dicto lo Capo di Grati, *ex contractu ſtipulato in an-*

anno 1506. *manu Antonii Armincarii a Ruſſano*, *conceſſo eidem Curiæ Baronali*. *Fuit dictum Pratum dictæ Eccleſiæ dictæ Abbatiæ Imperiali liberalitate tributum Federici Secundi Imperatoris inclitæ memoriæ in anno* 1220. *ſub die ſexta Martii*. *Extat tranſumptum ſcripturæ ab Archiepiſcopo B.M. Roſſanen. nomine Nicolai Gigli Civitatis Sancti Marci in anno* 1220. *ad inſtantiam Abbatiæ Ven. Monaſterii de Padula*.

Canoniſtarum autem concors conſtanſque ſententia hæc eſt, antiquiores patronatus auctoritate Hiſtoricorum rite recteque probari; dummodo hi antiqui ævi fuerint, & tempore affectationis vel fraudis non ſuſpecto ſcripſerint; eo magis vero hoc admittendum, ſi idem a pluribus & concorditer referatur: ſecus enim nihil utique certi eſſet: & fundamenta quidem humanæ fidei prorſus evertere videtur, qui concors Scriptorum teſtimonium in dubium vocare contenderet. Hiſque fundamentis complures Rotæ Romanæ deciſiones de antiquis patronatibus innixæ habentur, & præſertim *deciſio* 237. *n.* 9. 10. & 11. *part.* 18., & *deciſio* 306. *num.* 15. *part.* 14. *recent.*

Porro, quod ad antiquorum Hiſtoricorum fidem in judiciis, extat definitio Honorii III. in *cap. Cum cauſam de probat.*, res ſcilicet antiquas recte probari veterum librorum ope, per famam, & per adminicula id genus alia. Extat & Gloſſa ipſius juris Pontificii in *dict. cap. Cum cauſam*, ſic enim ibi a Gloſſatore monitum: *Nota ergo, quod ſcriptura librorum antiquorum facit fidem*. In eamque iverunt ſententiam *Card. de Luc. de jur. patr. diſ.* 57. *n.* 13. *de præem. diſ.* 2. *n.* 14. & *diſ.* 3. *n.* 10. *Lambert. de jur. patr. lib.* 2. *par.* 2. *in* 4. *art. decimæ qu. pr. n.* 13. *Caſſan. in Catal. par.* 10. *conſid.* 46. *circa fin. Surg. Neap. illuſtr. cap.* 12. *n.* 1., aliique ſexcenti.

Ad hæc, inter bona ab iſta Abbatia poſſeſſa inveniuntur deſcripta: *Le giornate delli Bracciali, che ſi devono dagli Albaneſi del Caſale di Paviglione al detto Convento. Di più la decima della calce*, quæ quidem jura ab homine privato Cœnobium adipiſci non potuit, ſed neceſſe habuit ſibi a Principibus hujus Regni concedi.

Omnium autem, quæ dicta sunt, vis profecto ex eo increbrescit, quod hujus Regni Principes fundatam habent intentionem de Ecclesiarum Cœnobiorumque fundatione ac dotatione; cum ex historiis, antiquisque monumentis constet, prædecessores Principes & Longobardos, & Normannos, & Svevos, & Andegavenses ad Ecclesias & Cœnobia fundandum, aut dotandum propensissimos singulariter fuisse, & Regni bona profuse largitos: qua quidem re innixa est juris Canonici Glossa *caus.* 16. *qu.* 7. *in princ.* verb. *Ecclesias*, quod scilicet ad Reges Apuliæ pertineret Ecclesiarum investitura.

His itaque, aliisque penes acta productis, Curia censuit juxta instantiam spectabilis Advocati Regiæ Coronæ, Cœnobium, sive Abbatiam, de qua agitur, declarandam esse Regiæ fundationis, ideoque ipsius patronatum ad Augustum Regem nostrum, ejusque in hoc Regno successores pertinere, cum jure eligendi Abbates Commendatarios, quotiescumque ipsa Abbatia vacaverit, quatenus tamen Rex velit istis Abbatibus ejus reditus fructusque permittere; & insuper cum jure reditus fructusque assignandi aliis piis operibus, spectatæ pietati Religionique suæ comprobatis, ob extinctionem Cœnobii, illiusque Collegii, cui prædicta bona fuere donata. Curia igitur Illustriss. & Reverendiss. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consil. D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ejusdem, sic est decretum: *Cœnobium, sive Abbatiam sub titulo S. Mariæ de Ligno Crucis in Territorio Coriolani Rossanensis Diœcesis, fuisse, & esse Regii patronatus; ac proinde Regiæ Coronæ redintegrandum esse, prout præsenti sententia redintegrari mandatur, patronatum dictæ Abbatiæ, cum omnibus bonis, juribus, feudis, Granciis, obedientiis, & quibuscumque pertinentiis; itaut Regis sit, non solum eligere, quotiescumque vacatio accidat, Abbates Commendatarios, quatenus velit istos dictæ Abbatiæ reditibus uti; sed etiam addicere ejus bona, & reditus aliis piis usibus Religioni suæ bene visis ob extinctionem Collegii, cui bona donata fuerunt. Ne vero Regalia jura quid detrimenti capiant, prædicta*

cta Abbatia describatur in libris Curiæ inter alias Abbatias & Monasteria Regii patronatus.

In causa redintegrationis Regii patronatus in Præposituram, & Ecclesiam S. Sabini Civitatis Canusii. Die 20. Novembris 1783.

Regium jus patronatus constituitur, cum sive fundata, sive a Principibus dotata Ecclesia fuerit.

Canusinæ Ecclesiæ Capitulum anno 1780. mense Aprili supplici libello a Rege Faustissimo petiit, ut ejus Ecclesiæ Præpositura jam vacans obitu Præpositi Angeli Andreæ Tortora, & ipsa Canusii Ecclesia Regii patronatus declararetur, inspectis perspicuis documentis fundationis, & dotationis. Ideo Regiis codicillis 18. Aprilis ejusdem anni Curiæ Capellani Majoris præscriptum, ut, audito Regiæ Coronæ Patrono, juxta legum præscripta eam controversiam definiret. Eadem petitio mox quoque & ab Universitate Canusii, & a Sacerdote Antonio Magnotti instituta fuit. Regiis literis Curia obsequuta solitum judiciorum ritum implevit, expeditis citationibus per edictum, ut controversiæ certiores fierent, quorum interesset, & termino probationibus præstituto. His rite præmissis, cum nemo judicio adfuerit, ad dicendam de controversia sententiam Curia procedit.

Quod autem ad Regium patronatum in Præposituram, & Ecclesiam Canusii, de eo dubitari non patitur Diploma Guilelmi Ducis Apuliæ, & Calabriæ anni 1118., quod in actis fuit exhibitum. Is filius fuit Rogerii Bursa Roberto Guiscardo prognati, & fratris filius Boemundi Principis Antiochiæ; & is quidem eundem Guiscardum parentem habuit. Ex Diplomate liquet, eumdem Guilelmum, dum Regni Neapolitani Provinciis imperitabat, concessisse Abbati, & Clero Canusii Ecclesiam S. Sabini, quæ ipsius Capella fuerat, & pridem a Pontifice Paschale II. consecrata: eam vero concessionem fecisse, quia Canusium, & ejus Cathedralis Ecclesia destructæ fuerant ob incursiones Saracenorum. Indidem quoque constat, eumdem Guilelmum præter prædictam Ecclesiam eidem Abbati, & Clero concessisse latissima prædia, ut frumento inde percepto exhibere se possent. Quoniam

niam vero poſt memoratæ Eccleſiæ excidium placuerat, id adprobante, & confirmante eodem Paſchale Pontifice, Canuſinæ Eccleſiæ Abbatem præeſſe populo jure Prælati uſuri eadem poteſtate in Sacrificiis, & Sacramentis adminiſtrandis, & juriſdictione, qua Canuſini Epiſcopi uſi fuerant; ideo in Diplomate ſuo Guilelmus addidit, ne quis alius Epiſcopus Canuſii Eccleſiam turbare aggrederetur; ſe enim prædicto Abbati, & Clero ea prædia largitum eſſe, ne alteri quam Deo, & Sanctis ejus de iis ſervitium præſtarent. Sed e re fuerit ipſum Guilelmi Diploma in medium proferre.

Ego Willelmus Dux Calabriæ, & Apuliæ, anno milleſimo CVIII. ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, Gelaſio II. Apoſtolicæ Sedis Præſidente, dedi Eccleſiam meam Sancti Sabini Canuſii Capellam meam a Summo Pontifice Paſchale II. conſecratam Abbati, & aliis poſt eum Abbatibus, necnon Eccleſiæ, & Clero, aliquas terras poſitas in territorio Canuſii, in quibus conceſſi frumenta ſingulis annis, ac plenam poſſeſſionem pro redemptione animæ meæ, & Boemundi patrui mei in Eccleſia prædicta ſepulti, & talis eleemoſina in perpetuum ſubminiſtretur dictæ Eccleſiæ meæ Capellæ. Bona vero præfata hæc eſſe dicuntur, v3.: Petia una terræ, quæ habet hos fines . . . . . Item petia una alia terræ in loco ubi dicitur S. Anaſtaſius, & hos habet fines . . . . Cum igitur annuente Deo diſpoſitum ſit poſt deſtructionem prædictæ Civitatis, ut quicumque in prædicta Eccleſia electus fuerit in Abbatem, idem populo quoque cum eadem poteſtate in Miſſarum ſollemnis celebrandis, & Sacramentis miniſtrandis, cum eadem plenitudine juriſdictionis, quam habuerunt Epiſcopi Canuſini, præeſſe debeat in Antiſtitem, hoc etiam collaudante, & concedente Summo Pontifice Paſchale II. Ita ego diſpoſui, ut quilibet Epiſcopus de ſuis contentus beneficiis dictam Eccleſiam perturbare non præſumat: & tradidi dicto Abbati, & Clericis Terras prædictas, ut nemini unquam ſervirent de rebus Eccleſiæ, vel de poſſeſſionibus, niſi Deo, & Sanctis ſuis. Data tamen tanta libertate, cœpit me nimium precari ille Abbas veniendo ad me cum ceteris Clericis ſuis, ut ſicut

ſicut aliquando conſtructa eſt Eccleſia prædicta, nullus Epiſcopus probatur habere nullum dominium, ac dominationem ibidem, ita petimus ut ſemper libere abſque dominatione Epiſcoporum exiſtat; & pro his omnibus petebant, ut facerem eis hanc libertatis, & ſecuritatis chartulam: & quia rogavit me Abbas, ut ego aliquid ſervitii de Eccleſia ad meum opus, & ad opus meorum heredum retinerem: Ego autem requieſcens petitioni ejus, juſſi eis pro hac re ſemper per me orare, & conſtitui cum Abbate, ut Abbas, & Clerici duos panes mihi darent per conſuetudinem, & non amplius, quotieſcumque veniſſem ad præfatam Eccleſiam, vel in territorio dictæ Civitatis, & hoc ſimiliter facerent omnibus ſucceſſoribus meis poſt mortem meam, & non amplius.

Conſtat etiam, Regem Robertum Regiis ſuis literis 24. Aprilis ann. 1330. exſcripto memorato Diplomate Guilelmi Ducis ſibi exhibito, memoraſſe preces Canuſini Præpoſiti, quarum ſententia erat, donatione quidem deceſſorum Principum Eccleſiæ Canuſinæ facta, quæ tanquam Capella Regia ſub Regis tutela fuerat, eam in prædictorum prædiorum poſſeſſione perpetuo fuiſſe: per id temporis tamen de facto, & privata auctoritate turbari a Nicolao de Barulo, & Jacobo de Gaudiano, aliiſque finitimorum fundorum poſſeſſoribus. Alias quoque preces ejuſdem Præpoſiti memoravit. *Quod cum Civitas Canuſii ſpectet pleno jure ad ſuam Paſtoralem juriſdictionem, ſuæque Eccleſiæ, utpote quod Civitas ipſa in proprio territorio ſita, necnon quia Præpoſiti prædeceſſores ex antiqua, & canonica præſcripta conſuetudine approbata a Summo Pontifice Paſchale II. & Gelaſio II. exercuerunt uſque adhuc Eccleſiaſticam juriſdictionem, vz. in illos Clericos, ut moris eſt, Eccleſias, & Capellas viſitando, tam Clericis dictæ Civitatis, quam laicis miniſtrando, prout ad Paſtorale ſpectat officium, Eccleſiaſtica Sacramenta, & jura Epiſcopalia exercendo: Quibus Præpoſitis, ut eorum Paſtoribus, Clerici, & laici quoque exhibuerunt omni hoc uſque tempore debitam reverentiam, & devotionem: & quod Archiepiſcopus Barenſis, qui nunc præeſt in adminiſtratione ſpiritualium, & in exercitio ſuæ prædictæ Eccleſiaſticæ juriſdictionis, quam idem Archiepiſcopus in Civitate Ca-*

Canusii dicit se habere, tam per se, quam per Vicarios suos dictum Præpositum molestat indebite, ac perturbat, in suam, ac ejusdem Ecclesiæ Canusinæ nostræ Capellæ præjudicium, damnum, & injuriam. Postmodum addidit: *Veniendo igitur ad nos dictus Præpositus cœpit nimium exorare, ut cum sua Ecclesia, quæ sub nostra protectione existit, ita fuerit sententia exempta ab omni jurisdictione Archiepiscopatus cujuslibet, ut nulli Archiepiscopo, vel Episcopo prorsus fuerit subdita, super his tam ipsi, quam Ecclesiæ suæ præfatæ indemnitati opportuno, & salutari dignaremur remedio providere, præsertim cum nobis pertineat jura dictæ Ecclesiæ nostræ Capellæ tueri*. Petitione autem Præpositi inspecta, statim idem Robertus mandavit Justitiario Terræ Barii, ut juxta Regni Capitulum *Super violentis destitutionibus* vim arceret, & Canusinam Ecclesiam in possessione concessionis prædiorum tueretur: Archiepiscopum quoque Bariensem moneret, ne porro Canusinæ Ecclesiæ possessionem turbaret.

His accedit, Ferdinandum Regem, Privilegio expedito die 28. Decembris ann. 1459., inserto inibi cum Guilelmi, tum Roberti Regis Diplomate, utrumque sua quoque auctoritate firmasse.

Cum igitur ex indubiis monumentis constet, Canusinam Ecclesiam sub titulo S. Sabini Regiam Capellam esse, ejus Civitatis Clero concessam ob antiquæ Cathedralis destructionem, ab eodem quoque Principe concedente dotatam fuisse ad Præpositi, & aliorum Ministrorum sustentationem, in dubium revocari non potest, Regium patronatum ad Principem pertinere non minus in Præposituram ipsam, quam in Canonicorum Collegium, & Ecclesiam ipsam Canusinam. In eo enim jure Principi afferendo ea concurrunt omnia, ob quæ cum jus civile, tum canonicum cuicumque privato homini patronatum tribuit. Potissima ea sunt constructio Ecclesiæ, quæ ab initio suo fuit Capella Regia extructa per Guilelmum Apuliæ, & Calabriæ Ducem, & ministrorum dotatio, quæ concessionem Ecclesiæ est insequuta. Proinde Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum

voto

voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza, ordinarii Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Canusinam Ecclesiam sub titulo S. Sabini, tamquam Capellam Regiam, cum Præpositura, & Capitulo Canusino, inspecta fundatione, ac dotatione decessorum Principum, fuisse, & esse Regii patronatus; proinde Regiam Coronam redintegrari oportere, prout præsenti sententia redintegratur, in jus dicti patronatus, cum facultate eligendi, & nominandi Præpositum dictæ Ecclesiæ, & Canonicos prædicti Capituli, quoties occasio tulerit, cum omnibus juribus, facultatibus, dignitatibus, præeminentiis, jurisdictionibus Episcopalibus, & exemptionibus ad eumdem Præpositum pertinentibus, aliisque juribus, quæ ad Principem Patronum pertinent. Quapropter prædicta Ecclesia, Præpositura, & Canonicorum Capitulum in libris Curiæ describantur inter alias Ecclesias Regii patronatus.*

In causa redintegrationis Regii patronatus in Ecclesiam Cathedralem Bibinensem, ejusque Capitulum. Die 22. Decembris 1783.

ANno 1780. feliciſſimo Regi denunciatum, in Episcopalem Bibinensem Ecclesiam Regium patronatum ei competere: eamque in rem plura vetera documenta fuerunt exhibita. Ita Regiis codicillis Curiæ Capellani Majoris in mandatis datum, ut audito Regiæ Coronæ Advocato, & si quem alium audiri oporteret, de petita ejus Ecclesiæ redintegratione æquius melius decerneret. Proinde Regiæ Coronæ Advocatus die 13. Dec. ejusdem anni libello petiit *procedi servatis servandis ad ea quæ incumbunt pro redintegratione juribus Majestatis Ecclesiæ Cathedralis Bibinensis, cum omnibus juribus, & signanter cum jure eligendi Episcopum spectante Principi Patrono*. Citatione igitur per edictum expedita, ut lis innotesceret omnibus quorum interesset, terminus probationibus præstitutus fuit a Curia: eo autem rite absoluto, ad sententiam dicendam de more proceditur.

Cum veteres Regni Principes Ecclesiam dotaverint, substentationi, ac decori Episcopi, & Canonicorum prospexerint, Regium jus patronatus consequitur in Ecclesiam Episcopatum, & Canonicatus; unde & jus nominandi Episcopum, & Canonicos eligendi ad Principem spectat.

Producta ea de re documenta eo collimant omnia, Cathedralem Bibinensem Ecclesiam opulentas accepisse dotatio-

nes

nes a veteribus Principibus, qui per noſtras Provincias jura Majeſtatis exercuerunt, atque in dotis datæ conſequentiam, in eam jus patronatus acquiſiviſſe. Re vera cum Bibinenſis Eccleſia feudum Divi Laurentii in Valle poſſideat, omnino conſtat id ab ea poſſideri ob conceſſionem Roberti Lauretelli Comitis, veteris Nortmanni Dynaſtæ. Is enim cum Diplomate ſuo ann. 1110. donaſſet Monaſterio Bandino Eccleſiam S. Laurentii in Valle cum Pago ejuſdem nominis, eam donationi ſuæ legem appoſuit, ut ſi in prædicta Eccleſia Monaſterium ceſſaret habere Sacerdotes duos, qui ibi aſſidue Miſſas celebrarent, ac preces Deo perpetuo funderent, ſtatim poſt ceſſationem prædicta Eccleſia cum ejus Pago conceſſa intelligeretur Eccleſiæ Bibinenſi, & ad eam pertineret, *cum in dicta Bibinenſi Eccleſia divina celebrentur myſteria, & celebrari perpetuo non ceſſabunt: & quod liceat Bibinenſibus Epiſcopis qui erunt pro tempore, Caſale prædictum cum Eccleſia eorum auctoritate capere, tenere, uti, & frui, pro parte & nomine Eccleſiæ Bibinenſis in perpetuum.*

Liquet etiam eundem Roberti Lauretelli Comitem alio ſuo Diplomate ann. 1126. cum adverteret *Bibinenſe Capitulum divinis celebrandis officiis plurimum inſudare, ut remotis temporalibus curis, impedimentum nullum occurrat*, eidem Bibinenſi Capitulo conceſſiſſe Pagum S. Viti in Territorio Bibinenſi poſitum, cum omnibus pertinentiis ſuis. Ei quoque conceſſiſſe lata prædia S. Petri de Matrice *ad habendum, tenendum per dictum Capitulum, & perpetuo poſſidendum tamquam Dominum, & Patronum*, eorumque fines latiſſimos deſcripſiſſe.

Conſtat etiam, alium Robertum Lauretelli, & Converſani Comitem, ſuperiori Roberto prognatum, Diplomate ſuo ann. 1179. prædictæ Eccleſiæ Bibinenſi ampliſſimas alias conceſſiones feciſſe: *concedimus, ibi ait, & donamus Eccleſiæ S. Mariæ Bivinenſis Epiſcopii, in qua, Deo dante, noſtram elegimus ſepulturam, & tibi Domino Pandulfo ejuſdem Eccleſiæ Rev. Præſuli, nomine, & pro parte ipſius Eccleſiæ Bivinenſis, Caſale quod dicitur Dopni Leonis poſitum in Territorio Civitatis noſtræ Bivini, cujus fines ſunt ii . . . . Caſale* Sa-

Savuceti nostrum suis finibus terminatum, & sunt ii .... Et Territorium S. Viti positum in territorio, & pertinentiis Civitatis nostræ Bivini, cujus fines ii .... Necnon Territorium S. Mariæ in Nebula, positum in pertinentiis dictæ Civitatis nostræ Bivini, cujus fines sunt .... Et campum etiam, qui est juxta Civitatem Bivini, qui est in longitudine usque ad Puriatam, & in latitudine a capite Gironis Castri usque ad Serram descendentem a Monte Castro, & deinde descendit per dictam Serram usque ad dictum Montem Castrum in via Panni, cum omnibus juribus, rationibus, & exactionibus, quas in prædicto habemus, ad tenendum, habendum &c. Et construendum prædicta Càsalia, & homines ibidem congregare ad habitandum, ad utilitatem, & commodum ipsius Episcopi, & territoria omnia colere, & excolere, & fructificare juxta arbitrium Episcopi, qui prædictæ præerit Ecclesiæ. Dando habitatoribus dictorum Casalium, seu locorum, plenariam potestatem, agro, lignis, pascuis, aquis uti perpetuo, ac omnibus aliis necessariis in Territorio nostro Bivini, & ejus pertinentiis, more Civium Bivini.

At vero in dubium revocari nequit, prædictas, aliasque donationes Bibinensi Ecclesiæ postea factas, ejus dotandæ causa fuisse initas, cum ob ejus paupertatem ne sacra quidem mysteria in ea celebrari possent. Id apprime liquet ab alia concessione ei facta ab eodem Roberto Lauretelli, & Conversani Comite alio ipsius Diplomate ann. 1180. In eo enim Gisonis ergo novi Episcopi, prædictæ Ecclesiæ rursus concessit vicos, & bona comprehensa in præcedenti Diplomate, atque alias majoris momenti concessiones addidit. Sic autem ibi: *Donamus, & concedimus Ecclesiæ B. Mariæ de Bibino indotatæ, & maxima paupertate oppressæ qua vix, aut nunquam poterant in ea divina officia celebrari, & tibi Gisoni Ven. Episcopo ejusdem Ecclesiæ, in qua nostram elegimus sepulturam, Casale S. Petri in Drugazano, positum in Territorio Civitatis Bibini cum pertinentiis suis, cujus fines, & termini sunt tales .... Casale Balnei situm in pertinentiis dictæ Terræ Bibini, cujus fines his terminis limitantur .... Casale Castellucci de Sclavis positum in pertinentiis ejusdem Terræ Bibini,*

bini, cujus fines sunt ii . . . . Territorium Casalis S. Mariæ in Nebula, positum in pertinentiis Terræ prædictæ, cujus fines sunt ii . . . . Necnon Casale Sambrui positum prope Montem acutum, cujus fines sunt ii . . . . cum hominibus si qui sunt hodie, vel esse poterunt in futurum, tenimentis, possessionibus, nemoribus, aquarum cursibus, cum omnibus juribus, rationibus, & actionibus, quas habemus in Casalibus prædictis, nemore Aquæ vivæ nobis tantummodo servato, ad tenendum, habendum, construendum, & perpetuo possidendum ad ipsius Ecclesiæ opus, dando habitatoribus dictorum Casalium præsentibus, & futuris, plenariam potestatem utendi agro, lignis, pascuis, & omnibus aliis habilitatibus perpetuo in toto Territorio Civitatis nostræ Bibini, libere, & absolute, sicut ipsius Cives . . . Et ut in prædicta Ecclesia divina deinceps officia sedulo celebrentur, ipsorumque possimus esse participes, donamus, tradimus, & concedimus tibi prædicto Præsuli nomine, & pro parte dictæ Ecclesiæ, medietatem plateæ nostræ intus in Terra nostra Bibini, & ejus circuitu ad duo milliaria, omnium rerum venalium, quæ ab extraneis ementur ibidem de cetero, vel vendentur in perpetuum, v. g. animalium, eorum fœtus, & fructuum arborum, auri, argenti, æris, ferri, vini, olei, & aliorum omnium, quæ vendi, & emi contigerit in eadem. Necnon rectam decimam totius Bajulationis ejusdem Terræ Bibini, & aliorum omnium Diœcesis ejus &c.

Jam vero ne Bibinensi Ecclesiæ calumnia aliqua fieret, Guilelmus II. interpellatus precibus ejusdem Gisonis Episcopi, inspecto Privilegio prædicti Roberti Lauretelli Comitis, non minus Privilegium prædicti Comitis, quam donationes inibi ab eo factas sua quoque auctoritate firmavit: *Iccirco respicientes quoddam Roberti Palatini Comitis Loritelli Privilegium, præsentatum nobis per Ven. Patrem Dominum Gisonem, continens ipsum Comitem ad Dei honorem, & B. Virginis Mariæ, pro anima patris, & matris suæ, dedisse seu concessisse Ecclesiæ Bibinensis maxima paupertate oppressæ, quia vix poterant propter Canonicorum, & expensarum defectum, Divina officia celebrari, Casale S. Petri in Drugazano, Casale Balnei, Ca-*

Casale Castelli de Sclavis, Casalettum Dopni Leonis, Casale S. Mariæ in Ebula, posita in pertinentiis Civitatis Bibini, & Casale Sabuceti, eorum certis finibus terminata, libera, & absoluta ab omni personali servitio, & reali, & quod immediate, ac etiam in capite omnia teneat supradicta, & medietatem plateæ dictæ Terræ, omnium rerum venalium emendarum, & vendendarum intus in dicta Terra, & ejus circuitu ad duo milliaria, necnon rectam decimam Bajulationis Terræ ipsius, & aliarum omnium Diœcesis ejusdem, quorum nomina dicto Privilegio continentur, prædicto mitissime ac juste Præsule deprecante, ad Dei honorem, & B. Virginis, pro salute nostra, omnes prædictas donationes, & concessiones, seu libertates dictorum Casalium factas per Comitem antefatum Bibinensi Ecclesiæ supradictæ, & ejus dicto Præsuli nomine suo, sicut in eodem Privilegio plene & apertius continetur, sibi Privilegio restituto, de speciali gratia acceptamus, concedimus, & confirmamus.

Denique adprobatum in judicio est, eamdem concessionem a Roberto Comite Lauretelli factam confirmatam fuisse quoque Diplomate Tancredi Regis ann. 1190. Is autem controversæ Ecclesiæ concessit etiam solidam decimam Civitatis Bibinensis, & latissimum prædium in loco *Tegula* dictitari solito. Eamdem Roberti concessionem diserte confirmavit Friderici II. anno 1223. post solemnem Curiam Capuæ celebratam, & per eam occasionem sub Regiam suam tutelam Ecclesiam Bibinensem recepit. Illam etiam ratam haberi jussit Rex Robertus ann. 1324. suo enim diplomate cavit, ut exemptiones Bibinensi Ecclesiæ concessæ integræ servarentur. Postremo Rex Ladislaus Diplomate suo ann. 1403. in suorum Pagorum, & prædiorum possessione eamdem Ecclesiam servari jussit.

Cum igitur tam liquido constet, veteres hujus Regni Principes Bibinensem Ecclesiam opulenter dotasse, eamque ipsis bonis Principatus ditasse, ut eam a paupertate, & angustiis liberarent, ibique & sacra officia, & christiana mysteria celebrarentur, in dubium revocari nequit, eos ipso jure patronatum acquisivisse, quamvis expresse eum ibi non re-

reſervarint. Cum vero prædicti Principes opportune proſpexerint non ſolum Eccleſiæ decori, & Epiſcopi ſuſtentationi, ſed Canonicorum quoque, ex quibus Clerus Bibinenſis conſtat, exploratum eſt etiam, eos non ſolum in Eccleſiam, ſed in ipſos quoque Canonicatus patronatum ſibi quæſiſſe. Id ita cautum in jure civili *L. ſi quis C. de Sacroſ. Eccleſ. Novel.* 57. *cap.* 2., & *Novel.* 123. *cap.* 18. Ea autem in re cum jure civili conſonat jus Pontificium *Can.* 51. *cauſ.* 16. *quæſt.* 1. *cap.* 25. *de jure patron.* Id ipſum confirmatur plurium Conciliorum Canonibus, ac præſertim *cap.* 12. Concilii Tridentini *ſeſſ.* 14. *de Reformat.* Proinde Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Conſil. D. Dominici Potenza, ordinarii Conſultoris ejuſdem ita cenſuit: *Eccleſiam Cathedralem Bibinenſem per antiquos Neapolitanos Principes opulenter dotatam, tam in Epiſcopi, & Eccleſiæ ſuſtentationem, quam Capituli Bibinenſis, fuiſſe, & eſſe Regii patronatus; proinde Regiam Coronam redintegrandam eſſe, prout præſenti ſententia redintegratur in patronatum non minus ipſius Epiſcopatus, quam Canonicatuum Bibinenſium, cum omnibus juribus, privilegiis, feudis, & aliis bonis prædictæ Eccleſiæ conceſſis, & præſertim cum jure nominandi Epiſcopum, & Canonicos eligendi, quoties locus vacationis fiet, & cum aliis juribus, quæ ad Principem Patronum pertinent. Ne quid autem detrimenti Regia jura capiant, prædicta Eccleſia & Canonicatus referantur in libros Curiæ inter alias Eccleſias, & Beneficia Regii patronatus.*

In cauſa redintegrationis Regii patronatus in Monaſterium, ſive Abbatiam S. Joannis in Venere. Die 24. Januarii 1784.

Vetuſtiſſima Chronica, quæ Principem Monaſterii fundatorem memorāt, concludentē probationem miniſtrāt; bona vero a Monaſterio poſſeſſa, cum illius

FAuſtiſſimo Regi expoſuit Donatus Marotta, Abbatiam S. Joannis in Venere, in Provincia Theatina Aprutinorum poſitam, fuiſſe, Regiæ fundationis: illam vero poſſideri per PP. Congregationis Oratorii ſub titulo S. Philippi de Urbe Roma, ſine ulla conceſſione Neapolitanorum Principum. Quo vero Regalis Corona redintegraretur in jus patronatus di-

dictæ Abbatiæ, a Rege petiit sibi demandari hujusmodi patronatus patrocinium. Rex optimus precibus ejus indulgens, Regiis codicillis de die 28. Septembris 1779. Curiæ Capellani Majoris in mandatis dedit, ut de redintegrationis causa rite cognosceret, ipso audito, ac etiam audito Advocato Regalis Coronæ. Ita prædicti patronatus causa judicium fuit institutum: & controversia nunciata tam PP. dictæ Congregationis Oratorii, quam omnibus quorum interesset, præviis citationibus per edictum, in judicio adfuerunt dicti PP., opponentes non esse locum petitæ redintegrationi. Termino exinde probationibus præstituto, in ea plurima ad causam adprobandam fuerunt producta documenta, illoque rite absoluto, & sollemnibus actorum expletis, ad causam definiendam de more proceditur.

sint naturæ, ut a Principe tantum cōcedi possint, Monasterium a Principe dotatum ostendunt: quorum consequens est, ut Monasterium idem Regio juri patronatus obnoxium sit.

Ea præcipua fuit Actoris intentio, quod scilicet, cum Longobardi Principes in hujus Regni regionibus imperitarent, Trasmundus Comes Theatinus, unus ex iisdem Principibus, altero Trasmundo Comite & Marchione prognatus, construxit, & opulenter dotavit Monasterium pro Fratribus Ordinis S. Benedicti, sub titulo S. Joannis, cui quidem additum fuit cognomentum S. Joannis in Venere, ex proximo portu Veneris, ita dicto ob antiquum Veneris Fanum. Eumdemque fundatorem, quamvis in Aprutii regionibus summum exerceret imperium, eam tamen suæ fundationi legem dixisse, ut Monasterium sub Imperiali potestate semper maneret. Addidit insuper, præfatum Monasterium pluribus sæculis fuisse penes Fratres Ordinis S. Benedicti, sed insequutis temporibus, quale fuit opulentorum Monasteriorum commune fatum, Abbatibus Commendatariis commendatum fuisse, qui id unum curarunt, ut reditus inde perciperent; & hujus generis commendationem contra Principis mentem cœptatam, quod alias contigisse constat, dissolutioni ipsius Monasterii causam dedisse: & demum anno 1585. a Romana Curia idem Monasterium unitum fuisse præfatæ Congregationi PP. Oratorii S. Philippi.

Ad dictam positionem adprobandam Actor in medium pro-

produxit antiquissimum Chronicum Casauriense, in quo post relatam permutationem quorumdam territorium a dicto Comite Trasmundo factam anno 1016. cum Abbate S. Clementis de Casauria, subduntur hæc verba: *Iste Comes Trasmundus construxit Monasterium S. Joannis in Venere, & de suis rebus, & possessionibus opulenter ditavit. Qui Comes Trasmundus junior successit majori Comiti Trasmundo in possessionibus opulentissimis.*

Præterea ostendit, Abbatem prædicti Monasterii cum assecutus fuisset ex liberalitate Comitis Trasmundi largitiones amplissimas pro ejusdem Monasterii dote, anno 1047. preces dedisse Imperatori Henrico III. pro illarum confirmatione: dictumque Imperatorem ejus precibus annuentem, præceptum ordinasse confirmationis, sive ut ajebant, mundiburdium, & Diplomate suo enunciasse tam Monasterii fundationem a Comite Trasmundo factam, quam bona quamplurima eidem concessa. Nimirum id habetur ex ejus verbis:

Qualiter Joannes Ven. Abbas Monasterii S. Joannis Baptistæ positi in Territorio Theatinensi juxta mare in loco Venere vocitato, & constructo a Trasmundo Comite, filio Marchionis Trasmundi, eo ordine, ut sub Imperiali potestate semper maneret, nostram adiit Excellentiam, petens quatenus jam dictum Monasterium sub nostram tuitionem reciperemus, & per nostrum præceptum cum omnibus suis pertinentiis confirmaremus. Cujus dignis precibus annuentes Monasterium prænominatum sub nostram defensionem recepimus, & quicquid ad idem Monasterium nunc pertinet, vel in futuro alias pertinuerit, confirmare decrevimus, hoc est res & proprietates, quas simul in uno tenenti XII. millia modiorum videntur convenire . . . . , in circuitu ipsius Ecclesiæ, cui est ab uno latere rivus Olibelli, ab alio flumen Sangri &c., & medietatem Portus, qui est in Rocca Sangri, medietatemque Portus, qui est in fauce de Portu Arnalli, & cum omnibus molendinis pertinentibus ad ipsum Monasterium. Necnon Castellum muratum cum suis pertinentiis, ac Ecclesiam S. Dominici, & Ecclesiam S. Joannis, & Castellum de Lanzano cum eorum pertinentiis, & Ecclesias S. Eusanii, Sanctique Be-

nedicti, S. Helenæ, S. Laurentii cum suis pertinentiis, Ecclesias Sanctæ Mariæ in Caldaria, Sancti Pauli, Sancti Michaelis, & quartam partem portus de Ortona, Ecclesiam Sancti Apollinaris, & S. Anselmi, & S. Joannis cum Castello de rivo majori, cum molendinis in flumine sub Sorulle positis, & Ecclesiam S. Laurentii, & sextam partem de Ecclesia S. Salvatoris in Comitatu Termulensi, Ecclesias S. Januarii, & S. Laurentii juxta Piscariam cum quarta parte transitorii ipsius aquæ, & Ecclesiam S. Joannis, quæ est in Plano de Piscaria, & S. Romani cum suis pertinentiis Ecclesiarum S. Pauli, S. Joannis juxta Piscariam, & S. Michaelis, S. Joannis, & S. Crucis, Ecclesiam S. Joannis, & S. Crucis, Ecclesiam S. Joannis in Comitatu Pennensi, & Ecclesiam S. Joannis, Sanctique Donati in Comitatu Ampurlesensi cum omnibus suis pertinentiis. In Principatu Beneventano Ecclesias S. Joannis, & S. Mariæ cum eorum pertinentiis, omnibusque rebus mobilibus, & immobilibus, & Ecclesiam S. Benedicti cum Castello, quod parvum dicitur, cum molendinis, & fluminibus, & terris, vineis, villis, Castellis suis, pascuis, campis, sylvis, aquis, molendinis, piscationibus, servis, & ancillis, & omnibus utentibus. Castellum Rocchæ, dictam Ecclesiam S. Zaccariæ, & Castellum de Giruli, Castellum Rigorustri, Castellum de Rivo Petri, Castellum Moro, Castellum de . . . . octingentos modios terræ, Castellum de Senella, Castellum de Lionati quantum ad ipsum Monasterium pertinet, Castellum Castillioni, Castellum Aymoni, Ecclesiam S. Petri, Castella duo . . . . Castellum de Casale, & Salliano, Castellum de Tegole, Castellum de S. Angelo, & Rojano, cum omnibus ad idem Monasterium de jure pertinentibus &c.

Docuit insuper Alexandrum III. Pontificem Bullis expeditis mense Martio anno 1176. dotationem a Comite Trasmundo factam expressis verbis recognovisse, eique ad preces Abbatis Odorisii robur etiam suæ confirmationis adjecisse, ad exemplum scilicet Leonis, Victoris, Nicolai, & Urbani suorum decessorum, qui concessiones easdem confirmaverunt. Ea sunt Pontificis verba: *Quapropter filj in Christo*

ſto legitime, Ordinis Abbas, tuis, tuorumque Fratrum juſtis deprecationibus exorati . . . præſtante Deo auctoritate præſentis Privilegii communimus, privilegiorum ſiquidem formam ſequentes, quæ veſtro Cœnobio a noſtris prædeceſſoribus Sanctis, videlicet Leone, Victore, Nicolao, & Urbano collata ſunt, vobis veſtriſque ſucceſſoribus illa omnia perpetuo poſſidenda confirmamus, quæ Traſmundus Comes, & Tranſmundi Ducis, & Marchionis filiuś, in Comitatu Theatino, Pinnenſi, Aprutienſi, Firmano, & Termulano, veſtro noſcitur Monaſterio obtuliſſe &c.

Ulterius Privilegium exhibuit ab Imperatore Henrico VI. expeditum die 1. Martii 1195., quo ad preces ejuſdem Odoriſii Abbatis confirmata iterum fuit conceſſio Monaſterio facta Caſtrorum, Pagorum, Eccleſiarum, Territoriorum, aliorumque bonorum complurium ab eo poſſeſſorum: reſervatis tamen per ipſum Imperatorem juribus Imperialibus ſibi ſuiſque ſucceſſoribus in dictum Monaſterium. Idemque Privilegium exhibitum pridem fuit in judicio ab ipſa Congregatione Oratorii ad tuendam feudorum poſſeſſionem contra Fiſcum, adeoque citra hæſitationem adprobatum, & recognitum. In eo ita Imperator: *Ex exuberanti noſtræ munificentiæ gratia præſenti noſtro Privilegio confirmamus Monaſterio S. Joannis in Venere, Abbati Oderiſio fideli noſtro, & ſucceſſoribus ſuis, omnia Caſtella, & obedientias, quas tempore prædeceſſorum Regum Siciliæ, Regis ſcilicet Rogerii, Guilelmi I., & II., ipſa Eccleſia tenuit, & poſſedit, ſcilicet &c.* Et enumeratione facta complurium Caſtrorum, Pagorum, Eccleſiarum, aliorumque bonorum, ita addidit: *ſalvo mandato ordinationis noſtræ, & heredum noſtrorum.*

Ad hæc actor oſtendit, Pagos, & Caſtra Monaſterio conceſſa, & enunciata in Privilegiis Henrici III. & Henrici VI., naturæ feudalis fuiſſe. Id adeo verum eſſe, ut eorum plura hodie quoque deſcripta inveniantur in antiquis libris Regii Cedularii. Eo potiſſimum pertinere Civitatem Sangri, Caſtrum Lanzanum, feudum S. Euſanii, Pagum Caldariæ, Pagum S. Apollinaris, Caſtrum Roccæ, Pagum de Girli, Pagum S. Juſti, Caſtrum Muri, feudum Caſtelloni, Roc-

Roccam S. Joannis, feudum S. Angeli, atque alia non pauca, quæ aut a Congregatione Oratorii in præsenti possidentur, aut aliis concessa inveniuntur sub annuis præstationibus. Ea vero bona feudalia ad ipsum Principatum pertinentia ab aliis concedi non potuisse, nisi ab ejus ætatis Dynastis, qui summo imperio utebantur in regionibus ad se pertinentibus: quæ quidem concessiones omnimodi roboris firmitatem consequebantur, ubi ab Occidentis Imperatoribus confirmatæ forent: ii enim debellato Desiderio ultimo Longobardorum Rege, in Provinciis, in quibus Longobardi Principes dominabantur, suprema tantum jura Majestatis obtinuerunt, quæ, stante Longobardorum in Italia Regno, ad ipsos Longobardos Reges pertinuerunt. Cum igitur bona concessa ad ipsum Principatum pertinerent, neque ab aliis concedi potuerint, nisi ab illis, qui summum obtinebant imperium, exploratum esse, quod ipsum bonorum concessorum ingenium in Monasterii favorem, Regium patronatum demonstret.

Ostendit denique, anno 1691. eamdem Oratorii Congregationem in Regia Camera exposuisse, Abbatiam S. Joannis in Venere, quæ perpetuæ Commendationis titulo ad eam pertinebat, possidere diversa alia feuda non descripta in antiquis libris Regii Cedularii: ut autem inibi describerentur, sponte ea denunciavit, subdens, se certioris probationis gratia *Regales concessiones exhibere eidem Abbatiæ factas, in quibus hæc alia feuda continebantur*, qua de re dictum Privilegium Henrici VI. Imperatoris exhibuit. Nihil autem esse certius, quam ipsius Congregationis confessionem in judicio factam, quod scilicet bona per eamdem possessa pervenerint ex Regalibus concessionibus, idque tantum, ceteris prætermissis, validissimum fundamentum constituere Regii patronatus.

His omnibus perpensis, Curiæ visum fuit ex lucidissimis probationibus erui Regium patronatum. Siquidem de prima Monasterii fundatione non ambigitur, utpote enunciata tam in antiquo Chronico Casauriensi, quam in Diplo-

mate Imperatoris Henrici III., & in Bullis Alexandri III. Ea quidem vetustissima Chronica neque probationem, neque suspicionem in contrarium admittunt. Extat definitio Honorii III. in *cap. Cum causam*, *de probat.*, res scilicet antiquas recte probari veterum librorum ope, per famam, & per adminicula id genus alia. Extat & Glossa ipsius juris Pontificii in *d. cap. Cum causam*, sic enim ibi a Glossatore monitum: *Nota ergo, quod scriptura librorum antiquorum facit fidem*. In ipsa vero specie patronatus, docuit Barbosa *de offic. & potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 72. *n.* 53. antiquis Chronicis recte probari: *Ex Chronicis veris etiam ab immemorabili tempore scriptis probari potest jus patronatus, nam antiquis Chronicis, quibus a majoribus nostris fides communiter adhibita est, credere debemus*. In eamque iverunt sententiam *Card. de Luc. de jure patron. disc.* 57. *n.* 13. *de praemin. disc.* 2. *n.* 14., *& disc.* 3. *n.* 10. *Lambertin. de jure patron. lib.* 2. *part.* 2. *in* 4. *decimæ qu. princip. n.* 13. *Cassan. in Catal. par.* 10. *consid.* 46. *circ. fin.* Quod autem enunciationes contentæ in Principum Privilegiis plenariam fidem faciant, advertit *Clementina unic. de probat.*, *Mascard. conclus.* 1148. *n.* 2., *& conclus.* 1233. *num.* 5., *&* 10. *de probat.*, *Fontanell. de pact. nupt. claus.* 4. *glos.* 10. *par.* 2., *Capyc. Latr. consult.* 93. *n.* 14., *Menochius*, aliique.

Præter vero fundationem antiquissimam, probata fuit opulentissima Monasterii dotatio, facta per Principes, qui jure summi imperii in hujus Regni Provinciis utebantur, uti ex allegatis Privilegiis Henrici III., & Henrici VI. luculenter apparet. His additur bonorum donatorum qualitas, quæ pertinebant ad Principatum, & neque ab aliis, nisi a summis Imperantibus concedi poterant. Additur demum ejusdem Congregationis judicialis confessio, se scilicet possidere feuda, aliaque bona ad Abbatiam pertinentia ex concessionibus Regiis, quod quidem constituit probationem, ut ajunt, probatam.

Cum igitur ob fundationem, ac dotationem, cum jus civile, tum Pontificium patronatum concedant, id Regi Neapo-

politano denegari non debet in Monafterium S. Joannis in Venere, cum de fundatione, ac dotatione a deceſſoribus ſuis facta liquido conſtet. Quapropter nulla ratione habita commendationis dicti Monaſterii factæ per Romanam Curiam in beneficium præfatæ Congregationis, ſpreto Principe Patrono, in prædictum patronatum Regia Corona redintegrari debet cum omnibus pertinentiis ipſi hærentibus, ac cum jure præſertim eligendi Abbatis Commendatarii in ſingulis vacationibus, quouſque Principi placuerit, ut a Regio demanio delibata bona, ac in ſuſtentationem Fratrum Benedictinorum addicta, Abbatibus Commendatariis ditandis inſerviant; ſalvo tamen jure Principis aliter ſtatuendi de bonis ob extinctionem Monaſterii, cum quo Neapolitani Principes liberalitatem ſuam exercuerunt. Hinc Curia Ill. Capellani Majoris, cum voto Regii Conſ. D. Dominici Potenza ordinarii Conſultoris ejuſdem, tota de re ita pronunciavit: *Monaſterium S. Joannis in Venere in Provincia Aprutina poſitum, fundatum, opulenter dotatum a Neapolitanis Principibus, fuiſſe, & eſſe de Regio patronatu: proinde Regiam Coronam in ejus poſſeſſionem, una cum bonis, feudis, Eccleſiis, Granciis, privilegiis, pertinentiis quibuſcumque, redintegrari oportere, ſicut præſenti ſententia redintegratur, & reſtituitur, ſecundum primævam naturam ſuam; ad Principem etiam ejuſque in Regno ſucceſſores pertinere jus eligendi Abbatis Commendatarii, tum in præſens, cum in futuris vacationis caſibus, quouſque ei in animo fuerit Abbates Commendatarios potiri reditibus, qui pro Monaſterio Fratrum Benedictinorum deſtinati fuerunt. Salva tamen facultate Principis ſecus ſtatuendi de Abbatiæ bonis ob diſſolutionem Monaſterii, cui liberalitate Neapolitanorum Principum conceſſa fuerunt. Ne quando autem injuria temporum jus Principis calumniam patiatur, prædictum Monaſterium referatur in libros Curiæ inter alia Monaſteria, Eccleſias, & Abbatias, in quas jus patronatus Principi competit.*

In causa Ill. Principis S. Boni super redintegratione juris patronatus feudalis in Abbatiam S. Angeli in Cornacchiaro. Die 29. Januarii 1784.

Jus patronatus, quod ex dotatione ad Baronem pertinuit, immediate ad sequentem feudi possessorem, mediate vero ad Regem spectat, nulli præscriptioni obnoxium.

Petiit Ill. Princeps S. Boni D. Gregorius Caracciolo in Curia Regii Capellani Majoris, Abbatiam sub titulo S. Angeli in Cornacchiaro, in Aprutio citeriori positam, declarari de jure patronatus pertinente ad ejus feudum Frisiæ Grandinariæ, dictumque feudum redintegrari in præfato jure patronatus, non obstantibus collationibus a Romana Curia nuperrime factis, non sine patronorum injuria. Citationibus itaque per edictum expeditis in judicium vocati sunt omnes, qui sua interesse putarent, & in termino probationibus præstituto idem Princeps complura produxit documenta, quibus intentionem suam adprobaret.

Docuit is primum, ab ipso anno 1115. Hugonem de Grandinatis ut substentationi provideret Monasterii S. Angeli in Cornacchiaro, tunc Ordinis S. Benedicti, eidem concessisse Castrum Doliolæ cum ejus Territorio late patente, cujus fines in concessionis scriptura fuerunt descripti: necnon familiam de Grandinatis pluribus sæculis possedisse feudum Frisæ, quod ab ipsa familia cognomentum sumpsit Frisiæ Grandinariæ: atque in hujus feudi territorio constructum fuisse Monasterium S. Angeli in Cornacchiaro.

Ostendit quoque, ob extinctionem familiæ de Grandinatis sæculo XIV., tam dictum feudum Frisiæ Grandinariæ, quam cetera feuda hereditaria, successionis jure transiisse in Sangrorum familiam: atque ea de re post cœptatam a Romana Curia commendationem præfati Monasterii, non alios Abbates Commendatarios fuisse renunciatos, nisi qui nominati fuissent ab utilibus Dominis Frisiæ Grandinariæ de Sangrorum familia, vigore juris patronatus ad eosdem spectantis, quod quidem ab ipsa Romana Curia recognitum fuit & approbatum. Ita primo Abbatiam prædictam commendatam fuisse Paulo de Sangro ejusdem familiæ: postea vero per ejus renunciationem Bullis Papæ Pauli III. de die 19. Aprilis 1537. Abbatem Commendatarium renunciatum fuisse

fuisse Marcellum de Sangro ob nominationem, & præsentationem factam a Sigismundo de Sangro utili Domino Frisiæ Grandinariæ, quemadmodum iisdem Bullis expressum fuit his verbis: *Cum itaque Monasterium S. Angeli in Cornacchiano Castri Cornacchiani Ordinis S. Benedicti, quod de jure patronatus dilecti filii nobilis viri Sigismundi de Sangro moderni, & pro tempore existentis Domini in temporalibus Castri Frisiæ Grandinariæ dictæ Diœcesis &c.*; eo etiam addito per Pontificem, se scilicet prædictam Abbatiam deferre memorato Marcello, *cum ad hoc præfati Sigismundi, prout per ejus Patentes litteras suo sigillo munitas nobis extitit legitime facta fides, expressus accedat assensus*.

Præterea ostendit, anno 1559. ob renunciationem prædicti Marcelli, ab eodem Sigismundo de Sangro utili Domino Frisiæ Grandinariæ præsentatum fuisse Joannem Antonium de Sangro in Curia Theatina, a qua Bullis expeditis ita conceptis verbis fuit declaratum: *Et quia Excellentissimus Dominus Sigismundus de Sangro utilis Dominus Terræ Frisiæ jus patronatus in dicto Monasterio seu Abbatia, quotiescumque vacare contigerit, asseruit habere, ut clare nobis constat ex scripturis, & Patentibus ipsius Domini, & te infra legitima tempora præsentasse in Monasterio, seu Abbatia prædicta: Nos præmissorum meritorum tuorum intuitu volentes tibi gratiam facere specialem &c.* Insuperque anno 1572. ob mortem prædicti Joannis Antonii de Sangro, Baronissam Frisiæ Hyppolitam de Sangro, memorati Sigismundi filiam, in Curia Romana nominavisse Ladislaum de Aquino in Abbatem Commendatarium, eidemque Bullis Papæ Gregorii XIII. Abbatiam fuisse delatam. Dictoque Ladislao ad dignitatem Cardinalis postmodum evecto, & tandem defuncto anno 1617., Curiam Romanam sub obtentu vacationis per mortem Presbyteri Cardinalis, Abbatiam libere contulisse juxta Cancellariæ regulas: qua collatione libere semel facta, idem juris sibi asseruisse in sequentibus vacationibus, patronorum jure contempto.

Verum Princeps S. Boni quo magis probaret hujusmodi pa-

patronatum pertinere ad feudum Frisiæ Grandinariæ, ostendit ad instantiam creditorum Antonii de Ebulo, & Hyppolitæ de Sangro conjugum, jussu Sacri Consilii pridem fuisse sequestro positum idem feudum, cjusque appretio instituto per Tabularium Joannem Carolum Rabicano, in eo inter alia fuisse relatum jus patronatus, de quo agitur, his verbis: *Ci sono doi Ecclesie, una intitolata il S. Salvatore, quale ei servita da cinque Preti, e l' altra S. Angelo in Cornacchiaro, quale ei Abbazia, che se conferisce per l' utile Signore di detta Terra*. Docuit etiam, Terram Frisiæ Grandinariæ tunc temporis veniisse, atque emptam fuisse sub hasta a Julio Jesualdo, & cum in venditionis instrumento, tum in Regio assensu præstito præfatæ venditioni sub die 22. Januarii 1585., inter alia feudi corpora diserte fuisse inclusum *lo jus patronato dell' Abbazia di S. Angelo in Cornacchiaro, e con la potestà de reintegrare, recuperare, ed acquistare qualsivogliano beni, membri, ed intrate, ragioni, jurisdizioni per qualsivoglia causa*. Ostendit ulterius sæculo sequenti ad instantiam creditorum prædicti Julii Jesualdo, & Isabellæ Jesualdo Principissæ Venusii, veniisse rursus Terram Frisiæ Grandinariæ, emptamque fuisse sub hasta a Cæsare Caracciolo, ac in emptionis instrumento, Regioque assensu præstito die 16. Februarii 1618. prædictæ alienationi, memoratum etiam fuisse *lo jus patronato di Ecclesie, & jus di presentare in quelle*.

Cum denique Princeps S. Boni docuerit, prædictum feudum a tempore dictæ acquisitionis per suos decessores possessum, in præsentiarum esse in ejus utili dominio: petiit iccirco idem feudum reintegrari in possessionem dicti juris patronatus, & declarari ad se, suosque in feudo successores, pertinere jus nominandi Abbatem in memorata Abbatia, cum reliquis juribus a patronatu dependentibus. Cumque producta documenta de antiquo patronatu ad feudum spectante dubitari non sinant, Curiæ visum, petitam declarationem, & redintegrationem a Principe S. Boni petitam denegari non oportere: eo magis quia jura patronatus, quæ juris publici sunt in hoc Regno, ut & passim in Europa ali-

alibi, ullam temporis præscriptionem non admittunt. Quapropter Curia Illustrifs. & Reverendifs. Domini Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Jus patronatus in Abbatiam S. Angeli in Cornacchiaro, in Aprutio citeriori positam, mediate ad Regiam Coronam pertinere, intermedio scilicet Principe S. Boni, tamquam ipsius feudo cohærens; ac jus patronatus immediatum, feudi concessione durante, spectavisse, & spectare ad prædictum Principem S. Boni, ejusque in feudo successores: ac proinde prædictum Principem redintegrandum esse, sicut præsenti sententia redintegratur in possessionem dicti juris patronatus, cum facultate nominandi Abbatem in quolibet casu vacationis, ac cum omnibus juribus, bonis, Ecclesiis, Granciis, ac pertinentiis quibuscumque. Ipsa autem Abbatia S. Angeli in Cornacchiaro referatur in libros Curiæ inter alias Ecclesias, & Abbatias patronatus feudalis, in quas jus immediatum Baronibus, mediatum Regi competit.*

In causa redintegrationis Regii patronatus in Cathedralem Ecclesiam S. Severi. Die 9. Februarii 1784.

Promotor Fiscalis Regalis Coronæ in Curia Capellani Majoris libello petiit, ut Regius patronatus redintegraretur in Ecclesiam Cathedralem S. Severi, in quam anno 1580. migrarunt jura omnia destructæ Cathedralis Civitatensis. Id autem ab eo petitum vigore ipsorum documentorum, quæ in Regali Camera S. Claræ producta sunt in defensionem jurium prædictæ Cathedralis Ecclesiæ in causa agitata inter Mensam Episcopalem S. Severi, & Ill. Principem S. Angeli: inde enim constare ajebat prædictam Ecclesiam Episcopalem Civitatensem fundis Regii ærarii fuisse dotatam. Id ipsum liquere contendebat ex Divalibus prævia consultatione ejusdem Regalis Cameræ scriptis, quibus cautum, Ecclesiam Cathedralem S. Severi, quippe quæ successerit in jura Cathedralis Civitatensis, manutenendam in possessione jurium,

Cum Ecclesiæ bona hujusmodi sint, ut nonnisi a Summa Potestate concedi ei potuissent; Ecclesiã ipsam bonis Principatus dotatam, & Regio juri patronatus obnoxiam esse, certum est.

rium, & exactionum, quæ quidem Cathedrali Civitatensi, uti res dotalitiæ, concessæ fuerunt. Promotoris Fiscalis petitio, qua hodierno Episcopo S. Severi, qua aliis, quorum fortasse interesset, per edictum denunciata fuit, neque quisquam legitimus extitit contradictor. Superest igitur, ut exhibitis documentis inspectis, de controversia Curia sententiam dicat.

Ex productis autem documentis liquido constat, prædictam Ecclesiam Cathedralem Civitatensem vetustissimis temporibus fuisse dotatam facultate exigendæ decimæ ex juribus, & reditibus percipi solitis ex Bajulatione Oppidi Civitatensis, quæ per id temporis ad Regium patrimonium pertinebat. Id mire confirmat Diploma Caroli II. Andegavensis scriptum anno 1301. ad Bajulos, & homines Civitatenses. Inde enim apprime constat, prædictum Principem, ei in antecessum adprobata facti quæstione, decessores scilicet Episcopos Civitatenses ab antiquissimis usque temporibus exigere solitos decimam jurium, & redituum prædictæ Bajulationis, in mandatis dedisse Bajulis prædicti Oppidi Civitatensis, ut ex pecunia ex ea Bajulatione quotannis redire solita, singulis annis decimam decerperent, quæ solveretur ejus ætatis Episcopo.

Ex alio quoque Diplomate ejusdem Principis anno 1302. ad eosdem Bajulos scripto constat, cessantibus ipsis prædicto anno a solutione decimæ Episcopo Civitatensi debitæ, eo sub obtentu, quia idem Rex concesserat Comiti Rainaldo Dammartino Militi, & familiari suo, eadem jura, & reditus ejusdem Bajulationis, prædictum Principem præscripsisse, ut, quacumque concessione aliis facta non obstante, prædicta decima Episcopo solida solveretur. Ita autem is edicit in Diplomate suo: *Cum intentionis nostræ non fuerit per concessionem ipsam factam eidem Raynaldo de juribus Bajulationis ejusdem, solutioni dictæ decimæ derogare*. Aliis etiam literis ejusdem Principis anno 1306., & in sequenti scriptis, cum ea de re Regem interpellasset Civitatensis Episcopus recens electus, iterum præscriptum Bajulis Civitatensibus,

bus, ut Episcopo solverent solidam Bajulationis decimam, sicut ejus decessores a vetustis temporibus Siculorum Regum eam consequi consueverant.

Praeterea ex literis Roberti Regis anno 1331. scriptis ad Justitiarios Provinciae Capitanatae liquet, ejus aetatis Episcopum praedicto Principi exposuisse, Bajulos refragari circa solvendam ei decimam de juribus Bajulationis Civitatis ejusdem, *sibi debitam ipsius suae Ecclesiae ratione*. Ideo ab eodem Roberto statim praescriptum, ut quovis obtentu remoto, Episcopo solida Bajulationis decima solveretur, *ac jurium ejus omnium*, quemadmodum ab antiquis temporibus ejus decessoribus soluta fuerat. Anno autem 1345. id ipsum denuo cautum a Cardinale Aymerico Legato, & Regni Vicario.

Ostensum est insuper, per nostram aetatem rursus controversia facta de praedictae decimae solutione per Principem S. Angeli possessorem Terrae S. Pauli in territorio Civitatensi positae, jussu felicissimi Ferdinandi rem totam in Regali Camera fuisse discussam; ab ea autem Regi fuisse relatum, Episcopum S. Severi successisse in jura Episcopi Civitatensis; in ipsius etiam Cathedralem veteris Cathedralis Civitatensis jura migrasse, cui quidem decima Bajulationis uti res dotalitia fuerat concessa; ita ejusdem Regalis Camerae consultatione probata, a Principe cautum, ut praedictus Episcopus S. Severi manuteneretur in controversae decimae exigendae possessione, quemadmodum eam exegerunt decessores Episcopi.

Cum igitur decima isthaec potissimos complectatur controversae Ecclesiae reditus, ejusque dos a Regali Camera S. Clarae, & a serenissimo Rege habita fuerit; eadem vero liberalitate Neapolitanorum Principum a patrimonio Regio fuerit profecta; & ea ipse hodie juxta felicissimi Principis novissimam declarationem, maximam partem dignitatem suam tueatur Ecclesia S. Severi: exploratissimum est patronatum in eamdem ad Coronam Regiam pertinere. Constat enim cum ex jure civili tum Pontificio per dotem Ecclesiae datam patronatum acquiri.

Compertum est denique, ad præfatam Ecclesiam Episcopalem Civitatensem pertinuisse ab antiquo, tanquam rem dotalitiam, Casale S. Leucii, ad Ecclesiam Cathedralem S. Severi postmodum translatum. Dictum vero Casale possessum fuit ab Episcopis Civitatensibus sub feudali natura, & uti feudum in capite, ut ajunt, Regiæ Curiæ, & pro eodem feudo exhibebant Episcopi, ut & ceteri Regni Barones, militare servitium Regibus hujus Regni, uti constat ex regiſtris Regum Caroli II., & Roberti. Cum vero feuda ad Regium demanium natura sua pertineant, consequens est a solis Regibus feudum prædictum, a Regio Solio delibatum, Ecclesiæ concedi potuisse, ac proinde ipsa rei natura Regiam dotationem satis evincit. Proinde Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consil. D. Dominici Potenza, Consultoris ejusdem, ita censuit: *Ecclesiam Episcopalem S. Severi tamquam e Regali patrimonio dotatam, fuisse & esse Regii patronatus; ea propter in ejus patronatum Regiam Coronam redintegrari oportere, prout præsenti decreto redintegratur, & in omnia ejusdem Ecclesiæ jura, bona, jurisdictiones, privilegia, præeminentias, cum jure ad Regem ejusque in Regno successores spectante nominandi Episcopum quoties Episcopatum vacare contingerit, & cum facultate redintegrandi eidem Ecclesiæ bona & jura forsan occupata, & cum reliquis juribus, quæ ad Principem patronum pertinent. Ne quid autem detrimenti Regia jura sentiant, prædicta Cathedralis Ecclesia describatur in libris Curiæ inter alias Ecclesias Cathedrales Regii patronatus.*

In causa alterius appellationis, vertente in Curia Capellani Majoris inter Collegiatam Ecclesiam S. Michaelis Archangeli Plani Civitatis Surrenti, cum nonnullis interesse habentibus. Die 6. Martii 1784.

Collegiatæ Ecclesiæ argumenta sunt Canonicorum nomen, quod Presbyteri ei addictæ preferebant,

INter Surrentinum Archiepiscopum, Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ Divi Michaelis Archangeli in Surrenti Plano extructæ, ac Fratres Sodalitii Mortuorum eadem in Ecclesia instituti, concertatio in Capellani Majoris Curia super Cano-

nonicatuum ejusdem Collegiatæ collatione instructa est, quam primo Curia Capellani Majoris hujusmodi sententia die 17. Septembris anni 1781. diremit.

Curia Capellani Majoris declarat, Ecclesiam Parochialem S. Michaelis Archangeli in Surrentino Plano, in loco Carotto *nuncupato, fuisse, & esse receptitiam, & in ea Collegiatam erectam, mere patrimonialem esse, pro Sacerdotibus in eam Parœcialem receptis. Præposituram vero, Canonicatus, Mansionariatus, quibus eadem Collegiata constat, & quibus nusquam hæret præbendæ qualitas, sed tantum participatio portionum mere temporalium sub titulo distributionum quotidianarum ob quotidianum personale servitium, fuisse, & esse mera officia, ac dignitates* ventosas *appellitari solitas, non subjecta reservationibus, & affectionibus Romanæ Curiæ; proinde jus providendi in singulis vacationibus ad ipsum Corpus Collegiatorum partecipantium pertinere, neque usquam Ordinarium loci ea in re immiscere se posse, salvo tamen Gubernatori, & Capserio dictæ Parœcialis Ecclesiæ jure nominandi, eligendi Canonicos duos, ac totidem Mansionarios in Collegiata prædicta in singulis vacationis casibus, servata forma instrumenti anni 1726. Quod autem ad patronatum a Sodalitio Mortuorum petitum Collegiata absolvatur, fol. 175. a t. ad 176.*

Illorum numerus præfinitus, Chorus cum stallis, consuetudo se congregandi, Missa Conventualis, recitatio Officiorum, ac ordinatio statutorum. Collatio Canonicatuum in Ecclesiis Collegiatis ex consuetudine potissimum dependet; præcipue cum consuetudinem tueatur lex ipsa fundationis.

Ut sententiæ ratio dilucide constaret, primum quibus orta fuerit initiis, quibus processerit incrementis Collegiata Ecclesia, qua de agitur disertissime exponitur: eam nempe initio laicalem, ac Parœcialem fuisse administrationi laicorum Moderatorum, qui ab Universitate eligebantur subjectam: necnon receptitiam, in quam nonnisi Sacerdotes, qui in Vico nuncupato *Carotto* ortum habuerant, admittebantur: demum anno 1726. cum Moderatores Ecclesiæ eam in Collegiatam efferre animo destinassent, primo Mortuorum Sodalitio Præfectos prædia quædam, & pecunias ad annuos redditus collocatas, unde ducati biscentum triginta in singulos redirent annos, contulisse, pluribus vero Ecclesiæ impositis oneribus: deinceps Moderatores Ecclesiæ, ut alendis Canonicis melius prospiceretur, alios annuos ducatos bis-

bifcentum fuperaddidiffe: cui tamen largitati nonnullæ adjectæ fuerunt conditiones, ac præ ceteris, ut tantummodo Presbyteri Vici *Carotto* in Canonicos, ac Manfionarios allegerentur, utque Moderatoribus Ecclefiæ binos Canonicos, totidemque Manfionarios nominandi jus perpetuo refervaretur.

His ita conftitutis, pergit fententia Sodalitatis Mortuorum Fratres, ac Ecclefiæ Moderatores, ut hanc ad Collegiatæ gradum eveherent a Benedicto XIII. expoftulaverunt, qui Bulla anni 1727. negotium certis conditionibus, quas figillatim fententia recenfet Archiepifcopo Surrentino perficiendum demandavit: videlicet, ut Ecclefia priftino Parœciæ ftatu retento, in Sæcularem, ac Collegiatam erigeretur: necnon jus nominandi, eligendique Parochi, ab Archiepifcopo tamen approbandi, atque inftituendi, apud Parœciæ incolas refideret, utque in ea dignitas una Præpofituræ titulo infignita, feptemque Canonicatus, totidemque Præbendæ *pro feptem Presbyteris ejufdem Parœcialis Ecclefiæ filiis patrimonialibus idoneis conftituerentur*; ut denique duos præfentandi Canonicos Moderatoribus laicis jus effet, atque hoc jus patronatus, Pontificiis refervationibus penitus exclufis, *Gubernatoribus tunc, & pro tempore exiftentibus prædictis, non ex privilegio Apoftolico, fed ex vera, reali, plena, & omnimoda fundatione, vel dotatione mere laicalibus dumtaxat competeret*.

Mandatis itaque Pontificiis obfequens Archiepifcopus Collegiatam inftituit, Canonicifque nomine tenus, ait fententia, præbendas deftinavit: hac in re etiam reprehendendus, quod de Canonicatibus, ac immaginariis præbendis agens addiderit: *quorum pro tempore vacaturorum provifio, & omnimoda difpofitio ad Nos, five ad Romanam Sedem, prout de jure fpectare, ac pertinere debet*.

Denique anno 1728. idem Archiepifcopus fex alios allegit Canonicos, idque Clementis XII. Bulla confirmatum fuit, neque deftitit Archiepifcopus, quin paullo poft fex Hebdomadarios creaverit, quo circa Collegium, redditibus non auctis, ad vicenarium numerum pervenit.

Qui-

Quibus sic enarratis, sententia hæc rationum præcipue exhibet momenta: Ecclesiam scilicet non Ecclesiasticis quidem, sed mere laicalibus dotatam bonis, antiquam nunquam exuisse naturam, sed ita ut antea fuerat, receptitiam permansisse, ac patrimonialem: quandoquidem nonnisi unius Vici *Carotti* Presbyteri ad Canonicatus provehi posse, sive ad fundationis tabulas, sive ad Pontificis Bullam spectes, exploratum est. Proinde ut receptitiarum Ecclesiarum indoles suadet, utque Regni fert politia, pluribus Regis explanata constitutionibus, collationes Ordinarii, & Romanæ Curiæ a jure nimis abhorrere. Præterea Præposituram, ac Canonicatus, quibus Collegiata constat, beneficia vera non esse, sed mere officia, interque dignitates, quas *ventosas* appellare solent, adnumerari oportere; siquidem præter quotidianas distributiones, quæ Ecclesiæ servitio unice cohærent, nihil præbendæ nomine possideant: Canonicatum autem suapte natura præbendam requirere ex *cap. Relatum de præbend. & dignit.*

Postremo a patronatu, quem sibi Mortuorum Sodalitas asserebat, sententia Collegiatam absolvendam esse censuit, cum non ex largitate, sed ad onera Ecclesiæ imposita vix rependenda annuos ducatos bisceutum triginta Sodalitas contulisset.

Huc usque Curiæ Capellani Majoris sententia, a qua Archiepiscopus ad piissimum Regem nostrum provocavit: datoque appellationis Judice Reg. Consil. March. D. Carolo Cito, ac judicio instaurato, expletisque probationibus, prior sententia hunc in modum die 27. Aug. 1782. fuit reformata: *Bene fuisse appellatum per Rev. Archiepiscopum Surrentinum, & male judicatum per Curiam Capellani Majoris, maleque appellatum per Gubernatores laicos Paræcialis Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Plani Surrenti; ac proinde declaramus, quatuordecim Canonicatus, & sex Mansionariatus, quibus Collegiata dictæ Ecclesiæ coalescit, esse vera Beneficia Ecclesiastica, salvo Collegiatæ jure patronatus, tam pro sex Canonicatibus secundo erectis auctoritate dicti Rev. Archiepiscopi die 26. Martii 1728. & per Pon-*

Pontificem Clementem XII. Bulla mensis Julii 1733. *confirmati, petentibus Rever. Præposito, & septem primis Canonicis, quam pro Mansionariatibus pariter auctoritate ejusdem Rev. Archiepiscopi die* 13. *Maji* 1751., *petentibus omnibus Canonicis, constitutis, ac salvo Incolis ejusdem loci jure præsentandi Parochum, & Gubernatoribus, sive Capserio Ecclesiæ prædictæ jure præsentandi duos ex octo primis Canonicis, totidemque Mansionarios, servata forma instrumenti fundationis anni* 1726. *fol.* 11. *integra tamen remanente dicto Rev. Archiepiscopo, loci Ordinario, simplici institutione dictorum Canonicatuum, & Mansionariatuum de jure patronatus Rev. Canonicorum Incolarum loci, & Gubernatorum, sive Capserii Ecclesiæ prædictæ, fol.* 211.

Altera hæc sententia priori discors solidis firmat argumentis: *Canonicatus, Mansionariatus, ac Præposituram esse vera beneficia Ecclesiastica, quum sint officia, sive perpetua Ecclesiastica ministeria cum annexo jure percipiendi fructus ex Ecclesiæ bonis Ecclesiastica auctoritate in titulum erecta*; quæ omnia ex fundationis tabulis, atque ex Bulla Pontificis perspicue evincit; neque Ecclesiastici beneficii naturæ obstare, atque officere autumat, quod Canonicatus nonnisi loci Incolis possint conferri: certis namque personis ex fundationis lege beneficia sæpissime destinantur, quod Innocentius III. ad Auritanum Archiepiscopum scribens *epist.* 82. *lib. I.* innuit.

His addit beneficium sine officio consistere non posse, atque inde minime ventosas definiendas esse dignitates, quibus pro diurno servitio fructus quotidie tribuatur. Quinimmo id proprius ad puriorem Ecclesiæ disciplinam accedere, qua sane paullatim laxata, inter Ecclesiæ Ministros bona dispertita fuerunt, quæ beneficiorum fuit origo, cum primitus stipendia Clericis ex Ecclesiæ bonis in dies ab Episcopo dispensarentur: *Et sane beneficia*, ait Bohemerus *de Paroch. sess. V. c.* 2. §. 13., *tunc innotescere cœperunt, ubi Clero non amplius e re videbatur isti portionum divisioni inhærere, sed malebat propria possidere bona*.

Hisce, aliisque, quæ missa facimus, argumentis, prior sententia refellitur: postremo ratio subjicitur, cur Mortuorum

rum Sodalitati jus patronatus omnino negatum fuerit, Canonicis autem ipsis concessum pro aliis sex Canonicatibus, ac Mansionariatibus anno demum 1751. invectis: quia nempe retributionis nomine, ob onera Ecclesiæ injuncta, non liberalitatis titulo annuos ducatos biscentum triginta Sodalitas præstiterit. Contra vero ex primorum Canonicorum liberalitate, eorumque portionibus attenuatis, alii sex Canonici adaucti, ac Mansionarii additi fuerint.

Ab hac sententia Canonici Ecclesiæ Collegiatæ, aliquot tamen abnuentibus *fol.* 233., appellavere *fol.* 224. *ad fol.* 228., novum itaque appellationis judicium institutum est, modo absolvendum, quod inter Archiepiscopum, & Canonicos tantummodo versatur, cum binæ concordes sententiæ Sodalitatem Mortuorum prorsus submoverint.

Ut vero res probe expendatur, duplex definienda videtur quæstio. An scilicet Ecclesia Divi Michaelis Archangeli, pristino receptitiæ statu obliterato, Collegiatæ naturam revera induerit, ejusque Canonicatus Ecclesiastica beneficia censeri debeant. Et demum cui nam Canonicatuum Ecclesiarum Collegiatarum collatio sit attribuenda.

Ad primum, quod attinet, præter discrtissima argumenta, quæ posterior affert sententia, Ecclesiam, de qua sermo erit, Collegiatam vere, & proprie habendam esse, dubio procul censemus; omnia enim Collegiatæ Ecclesiæ argumenta, atque indicia conveniunt, quæ *Card. de Luca de præeminent. disc.* 51., enumerat, nempe *nomen Canonicorum, eorumque numerus præfinitus, & Chorus cum stallis juxta ordinem anzianitatis, & consuetudo se congregandi, necnon Missa Conventualis, & recitatio Officiorum, ac ordinatio statutorum*, atque id genus alia, quæ decreto Archiepiscopi Surrentini anni 1728., quo Collegiata erecta fuit, complectuntur, *fol.* 102.

Sed quid indiciis, argumentisque opus est, ubi expressum patet Privilegium? Fratres Sodalitatis, ac Ecclesiæ Moderatores Collegiatæ erectionem Pontificem rogaverunt: eam Pontifex rogatus concessit: eam denique Archiepisco-

pus

pus Surrentinus Pontificia auctoritate expedivit, ejusque verba hic subtexere non ab re erit: *Nos utendo auctoritate Apostolica nobis tradita in eisdem præinsertis literis Parochialem Ecclesiam prædictam S. Michaelis Archangeli supprimimus, & extinguimus, & extinctam in Collegiatam Ecclesiam sub invocatione Sancti Michaelis Archangeli cum Choro, Capitulo, Mensa Capitulari, arca, sigillo communibus, & omnibus aliis insignibus Collegialibus &c. fol.* 102. Hujusmodi autem facultatem nemo unus Pontifici denegavit: quinimmo, quamplurium Canonistarum judicio, facultatem hanc Pontifex peculiariter sibi asserit, vindicatque. *Rebuff. in prax. benef. tit. de erect. Collegiat. Lotter. de benef. lib.* 1. *quæst.* 13. *n.* 49., quid plura cum ipse Capellanus Major anno 1728., cum Bulla Benedicti XIII. Regio placito firmata fuit, hanc eandem Pontificis facultatem his verbis agnoverit: *Son di voto, che V.E. può restar servita per esecuzione di detta Bolla Apostolica concedere a' supplicanti il Regio exequatur per trattarsi di concessione di dignità mere Ecclesiastiche, locchè spetta al Giudice Ecclesiastico competente? fol.* 91.

Neque nos ex hac opinione ratio illa movebit, quod Canonicatus omnino præbendis careant, Canonia quidem sine præbenda non est, cum *Canonia sit jus ad præbendam ex Jano a Costa ad tit.* 5. *de præbend. & dignit. lib* 3. *Decretal.* Verum enim vero quotidiana distributio, præbenda deficiente, vicem obtineat præbendæ, ideoque plurima in Regno extant Capitula, sive Cathedralium, sive Collegiatarum Ecclesiarum, quæ nullas præbendas, sed quotidianas tantum habent distributiones, deque iis Cap. V. Constitutionum nuper a Regali Camera S. Claræ super Ecclesiis, ac beneficiis vacantibus editarum nominatim loquitur: *Trattandosi di Canonicati senza prebenda, i quali abbiano le sole distribuzioni quotidiane:* quæ cum ita sint, nemo sane inficias ibit, Ecclesiam Divi Michaelis ex receptitia ad Collegiatam gradum fecisse: Regiasque Constitutiones, quarum prior sententia meminit rem non attingere, utpote quæ de Ecclesiis agunt receptitiis.

His

His jactis fundamentis ad alteram quæstionem expediendam pergimus, cui nimirum in Collegiatis Ecclesiis Canonicatuum collatio tribuenda sit. Si de beneficiorum collatione generatim quæratur; Doctores in diversas abierunt sententias. Dadinus Altaserra *Jurisdict. Ecclesiast. lib. 2. c. 14.* eam Episcopo defert: *De jure Collatio beneficiorum pertinet ad solum Episcopum .... & si beneficium sit liberum, collatio mera pertinet ad Episcopum, quæ dicitur proprie collatio: si vero beneficium sit jure patroni, institutio dicitur pertinere ad Episcopum ad præsentationem patroni &c.* Janus vero a Costa in *Summ. ad tit. 6. de election. & elect. potest.* contra sentit: *Si quæratur de cooptando fratre, vel Canonico regulariter electio pertinet ad Episcopum, & Capitulum.* Plerumque tamen inter Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum distinctio adhiberi solet. Quoad primos Fagnanus in *Cap. cum Ecclesia Vulterana de election.* quatuor refert sententias, quarum prima est, ut collatio spectet ad solum Episcopum: altera ut sit, Episcopi, Capituli tamen consensu accedente: tertia, ut sit Episcopi, adhibito Capituli consilio: & quarta demum, ut ad Episcopum, & Capitulum conjunctim pertineat. Quæ posterior sententia ex de Luca *de benef. dis. 1. num. 26.* communiorum Doctorum calculo recepta est. Collegiatarum vero Canonicatus ab ipso Collegio conferri post Garziam *de benef. p. 5. cap. 4. num. 58. & seqq.*, idem de Luca auctor est *de benef. disc. 12. n. 13. & disc. 17. n. 5.*, cui Franciscus Duarenus *de Sacr. Eccl. min. lib. 3. cap. 4.* adstipulatur: *Præbendas Ecclesiæ Cathedralis, & Dignitates ejusdem receptius est ab Episcopo conferri, sed totius Collegii Ecclesiastici consensu accedente, nisi consuetudo contraria ostendatur cap. ea noscitur, de his, quæ fiunt a Prælat. &c. In Ecclesiis vero inferioribus, quæ Collegii nomine, & titulo insignitæ sunt, præsentatio quidem ad Prælatum, Collegiumque ipsius Ecclesiæ pertinet, sed Episcopi tamquam Superioris est institutio Can. Nullus &c.*

Ut ut vero se res habeat, illud in comperto est, nimium hac in re consuetudinem valere, eamque potissimum spe-

ſpectari *cap. ea noſcitur de his, quæ fiunt a Prælat. &c.* Et *cap. cum Eccleſia Vulterana de elect. &c.* Atque hæc ſententia omnium omnino Doctorum ſuffragiis confirmatur. Jam vero, teſte de Luca, *de benef. diſc.* 1. *num.* 29. *In Italia frequentius, ac pene in totum collatio eſt ſolius Epiſcopi abſque aliqua Capituli participatione*. Sed generalem præter conſuetudinem ex peculiari, ſtabilique uſu Eccleſiæ Divi Michaelis Canonicatus a ſolo Archiepiſcopo Surrentino collatos ſemper fuiſſe exploratum eſt; atque iſtiuſmodi uſus legibus fundationis cohæret: ea etenim lege Collegiata inſtituta fuit, ut nimirum Canonicatuum proviſio ad Ordinarium, ſive ad Romanam Sedem, prout de jure pertineret; eamque conditionem ſubire, neque Moderatores Eccleſiæ, neque Fratres Sodalitatis Mortuorum, neque Presbyteri, qui primo ad Canonicatus honorem evecti fuere, renuerunt. Quid itaque ultra quærimus, ubi longævam, conſtantemque conſuetudinem lex ipſa in fundatione appoſita tuetur? Quo circa primam Regii Conſiliarii Marchionis Cito ſententiæ partem confirmandam prorſus exiſtimamus.

Ea vero ejuſdem ſententiæ pars, *qua Collegiatæ jus patronatus tribuitur tum pro ſex Canonicatibus ſecundo erectis auctoritate Rev. Archiepiſcopi die* 26. *Martii* 1728., *& per Pontificem Clementem XII. Bulla menſis Julii* 1733. *confirmatis, petentibus Rev. Præpoſito, & ſeptem primis Canonicis, quam pro Manſionariatibus pariter auctoritate ejuſdem Rev. Archiepiſcopi die* 13. *Maji* 1751. *petentibus omnibus Canonicis conſtitutis*; ea ſane ſententiæ pars nimium redolet æquitatis; poſſet enim quis reponere ab hujuſmodi patronatu Canonicos removendos eodem argumento, quo idem jus patronatus Sodalitio Mortuorum negatum fuerat; quia ſcilicet non ex mera liberalitate, ſed ut ſibi aliqua ex parte onera allevarent, Canonici primo inſtituti ſex alios creari Canonicatus petierunt. Sed cum huic ſententiæ Archiepiſcopus prorſus acquieverit, ab ea recedere non oportet.

Poſtrema demum ſententiæ pars, quæ omnium Canonicatuum, ac Manſionariatuum inſtitutionem Archiepiſcopo

loci

loci Ordinario defert, perfectam, expletamque omnibus suis numeris judicamus. Id Canonicis sanctionibus, unanimique Doctorum sententia defenditur. Instar omnium sit Franciscus de Roye *ad tit. de jur. patr. in prolegomen. cap. 21. Omnes autem Sacri Canones volunt, ut Patronus Clericum Diœcesano Episcopo præsentet, ei nempe in cujus Diœcesi constituta est Ecclesia, qua de agitur Can. 1. 16. qu. 3. Can. Decernimus, Can. Monasterium 16. qu. 7., quia jure communi omnes Ecclesiæ sunt in ejus ordinatione, Can. Omnes Basilicæ ibid. . . .* Tridentini Patres *sess. 14. de Reform. cap. 12. in fin. Volunt solis Episcopis collationem, & institutionem reservari, non etiam aliis inferioribus Prælatis &c.* Quapropter Regius Consil. D. Nilus Malena, Judex appellationis per S. M. specialiter deputatus, sententiam Regii Consil. Marchionis Cito confirmans, decernit: *Bene fuisse, & esse judicatum per Ill. Marchionem Cito Regium Consiliarium, & Judicem per S. M. specialiter deputatum ejus decreto diei 27. Augusti anni 1782. fol. 211., & male appellatum pro parte Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Plani Surrenti, fol. 224.*

In causa Regalis Abbatiæ S. Mariæ de Victoria de Scurcula pro redintegratione juris patronatus in Ecclesiam S. Mariæ de Capellis, & in Ecclesiam S. Andreæ de Tibulario. Die 28. Aprilis 1784.

Ecclesia, quam constat ad aliam pertinuisse, illi redintegranda est, cum omnibus juribus.

CUria Regii Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consil. D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ejusdem, declarat: *Ecclesiam S. Nicolai de Capellis, in villa Capella positam Diœcesis Marsorum, fuisse, & esse Granciam, sive membrum Regalis Abbatiæ S. Mariæ de Victoria de Scurcula de Regio jure patronatus; ac proinde memoratam Ecclesiam redintegrari oportere, sicuti præsenti sententia redintegratur eidem Regali Abbatiæ, cum omnibus suis bonis, territoriis, redditibus, juribus, & pertinentiis, juxta ejus statum primævum, & cum jure spectante Regio Abbati ejusdem Regalis Abbatiæ nominandi, & eligendi Parochum, duosque Canonicos, pro cura animarum, & pro divino cultu, eidem Ecclesiæ inservientes.*

Insuper declarat, Ecclesiam S. Mariæ de Tibulario in eadem Diœcesi Marsorum sitam pertinuisse, & pertinere ad dictam Regalem Abbatiam S. Mariæ de Victoria, eidemque redintegrandam esse, prout præsenti sententia redintegratur, cum bonis, juribus, & pertinentiis suis omnibus, & cum jure eidem Regio Abbati competente eligendi, & nominandi ejusdem Ecclesiæ Rectorem, quoties casus vacationis acciderit. Quoad reliquas vero Ecclesias in actis deductas, melius instructo processu providebitur.

Ita censuit Curia, ex eo quod ex actis apparuit, Ecclesiam S. Mariæ de Capellis pertinuisse ab antiquo ad Regale Monasterium S. Mariæ de Victoria Terræ Scurculæ, cujus Abbas in dicta Ecclesia destinabat Capellanum ad nutum amovibilem. Constitit etiam, anno 1582. Matthæum Colli Episcopum Marsorum, & Abbatem Commendatarium dicti Regalis Monasterii, pro animarum salute, pro divinis celebrandis officiis, ac pro commodiori Sacramentorum administratione, in eadem Ecclesia constituisse Rectorem sive Parochum, duosque Canonicos, eisque congruum reditum assignasse ex ejusdem Ecclesiæ fundis, reservata in beneficium dicti Regalis Monasterii reliqua quantitate fructuum, qui ex fundis dictæ Ecclesiæ redibant. Quod vero ad Ecclesiam S. Andreæ de Tibulario, perspexit Curia ex actis, dictum Regale Monasterium, ad quod ex antiqua fundatione Caroli I. Andegavensis, complures Ecclesiæ pertinebant, possedisse quoque memoratam Ecclesiam S. Andreæ de Tibulario, atque ad nominationem Abbatis dicti Monasterii Rectores in dicta Ecclesia fuisse institutos in vacationum casibus. De jure igitur Regalem Abbatiam S. Mariæ de Victoria in dictis suis juribus redintegrari oportuit.

In causa redintegrationis Regii patronatus in Canonicatus, & Dignitates Cathedralis Ecclesiæ Miletensis. Die 10. Martii 1784.

Constituta dote pro Episcopo, & Clericis alendis, qui in ministerio precum,

PEr Curiam Regii Capellani Majoris redintegratus fuit Regius patronatus in Mileti Ecclesiam anno 1771. In ejus sententiæ veluti consequentiam Regiæ Coronæ Patronus libello

bello petiit, ut Regius patronatus redintegraretur quoque in ejusdem Ecclesiæ Dignitates, & Canonicatus. Ejus petitio eo potissimum argumento innixa fuit, quod Rogerius Magnus ille Calabriæ, & Siciliæ Comes, non minus ejus Ecclesiæ Episcopo, quam ceteris ejusdem Ecclesiæ Ministris Diplomate suo dotem constituerit. Mileti Episcopo nunciato judicio, eoque rite audito, idem excepit, ei petitioni locum non esse oportere, quia Rogerius in prædicta dote constituenda Episcopum tantum & Clericos memoravit; de Dignitatibus, & Canonicatibus nil quicquam edixit; Canonicatus igitur, & Dignitates sub Clericorum nomine non intelligenda. His idem addidit, decessores suos Episcopos, ut Canonicis alimenta suppeterent, ejusdem Ecclesiæ Dignitatibus, Personatibus, & Canonicatibus numero, ut res sunt hodie, duo de viginti, plurium Beneficiorum, Capellarum, seu Altarium in Mileti territorio positorum reditus univisse, eas autem uniones jure fundationis, ac dotis censendas esse.

& divini cultus Ecclesiæ inservirent, sub Clericorum nomine majores etiam Ecclesiæ Ministri intelliguntur: qua de re jus patronatus competit etiam in dignitates, & Canonicatus postea erectos.

Ad controversiæ definitionem progressa Curia perpendit, in dote constituenda Rogerium diserte declarasse, prospicere se quidem velle Episcopo, Ecclesiæ, atque illis, qui ad divinum cultum inibi inservirent, ut pro Christianis, ac spirituali salute Rogerii, ejusque parentum ad Deum preces assidue funderent. Id inculcant ipsa verba Diplomatis. Sic enim ibi: *Ideo prædictum Episcopum, & ipsam Sanctam Miletensem Ecclesiam, & eos qui illi serviunt ad Dei cultum, quæcumque illis ad vitam necessaria sunt, ut Deum pro Christianis, & spirituali salute nostrorum parentum, & nostra assidue orent.* Eo autem verborum ambitu uni minores Clerici designari nequeunt, verum intelligi quoque debent ipsi majores Ecclesiæ Ministri, qui, & divino cultui in majoribus ordinibus inserviunt, & Deum precantur assidue. Id ipsum vero Canonici exequuntur, & sacris quotidie operantes, & in sacra psalmodia officium recitantes. Atque ideo, cum fundator in posterioribus Diplomatis sui verbis præscripserit, *ut solvantur omnia jura Episcopatus, & Clericorum in eadem Ec-*

Ecclesia permanentium, ac præterea, *cum Rev. Episcopus Miletensis, vel ejus successores, vel Clerici volent ex arboribus nostrorum montium ligna cædere propter S. Ecclesiam libere possint incidere, & deferre absque ullo tributo*, procul dubio designavit non Clericos quidem minores, sed eos potissimum quos in antecessum significaverat, & quorum alimentis se prospicere declaraverat, eos scilicet qui divino cultui in Ecclesia inserviunt, & precum obsequium Deo præstant.

Eo accedit, Clericorum nomine in monumentis Ecclesiasticis numquam intellectos, qui vulgo hodie eo vocabulo designantur, prima tonsura scilicet, aut Minoribus Ordinibus initiati homines. Sat enim constat eo vocabulo fuisse designatos generatim omnes in Ordinibus Ecclesiasticis constitutos divino cultui deservientes, quocumque in gradu Ecclesiæ deservirent. Sane ita definiuntur in ipsis legibus Christianorum Principum. Instar omnium esse queat *L. 2. Cod. Theodos. de Episc. & Cleric. Qui divino cultui ministeria Religionis impendunt, idest hi qui Clerici appellantur, ab omnibus omnino muneribus excusentur*. Eodem redit Isidori illud *lib. 2. de Ecclesiast. offic. cap.* 1. *Clerici generaliter dicuntur, qui in Ecclesia Dei deserviunt, dumtaxat ordinem habeant*. Deridiculo autem esset, qui, quod leges præscribunt de Clericis sub titulo Codicis *de Episcopis, & Clericis*, illis tantum accomodandum censeret, qui in Minoribus Ordinibus sunt constituti, neutiquam vero omnibus Ecclesiasticis divino cultui inservientibus, quavis dignitate sint præditi.

Cum igitur Rogerius Comes dotem ab initio constituerit cum Episcopo, cum Clericis aliis exhibendis, qui in ministerio precum, & divini cultus Ecclesiæ inservirent; neque in dubium revocari possit, munia isthæc ad Canonicos potissimum pertinere: necessario inde consequitur prædictæ Ecclesiæ Canonicatus Regii patronatus declarari oportere. Exploratum est enim, ex regulis utriusque juris patronatum acquiri, seu Ecclesiæ, seu cuicumque beneficio constituta dos fuerit. Cum vero Rogerius in Neapolitanas Provincias jura Majestatis exercuerit, atque ipsius Principatus bonis dotem

tem Canonicatibus constituerit, res ipsa flagitat, ut ejusmodi patronatus Regi restituatur.

At vero quod post Rogerii dotationem a successoribus Episcopis est innovatum, veteri Regio patronatui fraudi esse non debet, idque non facit, ut Miletensis Episcopus in eumdem patronatum quidquam sibi juris asserat. Neque enim ostenditur, asserta beneficia Canonicatibus quidem annexa, unionis tempore in tituli beneficii Ecclesiastici revera fuisse erecta, ut inde evinci possit, reditus inde redire solitos fuisse qualitatis Ecclesiasticæ. Quin rectius præsumi queat, ea fuisse legata pia adnexionis tempore, ac proinde qualitatis mere laicalis, cujusmodi sunt ut plurimum omnia, quæ transactis temporibus perperam beneficia sunt & credita, & appellata. Sane per unionis tempus ea ita sunt indicata, *simplicia beneficia sine cura, Capellæ, seu Altaria in dicta Ecclesia Miletensi existentia, & existentes.* Ea autem ambigua appellatio sat evincit, ejusmodi beneficia fuisse Capellanias nude laicales, in quas patronatus in defectu fundatorum non ad Episcopos, sed ad Reges Neapolitanos delatum fuerat, tamquam in bona vacantia, quæ ad Principem deferri jubentur. De iis igitur solus Princeps, non Episcopi statuere poterant. Proinde ejus rei nulla ratione habita, Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Regii Consiliarii D. Dominici Potenza, Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Canonicatus, & Dignitates Ecclesiæ Cathedralis Miletensis ob dotem eis constitutam a Rogerio Magno Siciliæ, & Calabriæ Comite, fuisse & esse Regii juris patronatus, in ejus igitur possessionem Regiam Majestatem redintegrari oportere, ut præsenti sententia redintegratur, cum bonis eorum omnibus, juribus, pertinentiis, & integro primævo statu, & cum jure ad Principem pertinente ad eas Dignitates, & Canonicatus nominandi Clericos, quoties casus vacationis extiterit. Ideo Dignitates, & Canonicatus prædicti describantur in libris Curiæ inter alia beneficia Regii patronatus, oppositis non obstantibus.*

In

In causa redintegrationis Regii patronatus in Monasterium sive Abbatiam, sive Præposituram sub titulo S. Eustachii, sive S. Eustasii in Pantasia.

Fundatione, & dotatione jus patronatus acquiritur.

CUria Regii Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza, ordinarii Consultoris ejusdem, declarat: *Monasterium, sive Abbatiam, seu Præposituram sub titulo S. Eustachii, sive S. Eustasii in Pantasia, fuisse, & esse de Regio jure patronatus; ac proinde in eodem jure Regalem Coronam redintegrandam esse, prout præsenti sententia redintegratur, cum omnibus bonis, feudis, casalibus, juribus, privilegiis, jurisdictionibus, pertinentiis ad dictum Monasterium spectantibus, juxta statum primævum, ac cum jure feliciffimo nostro Regi, ejusque in Regno successoribus pertinente, eligendi Abbatem Commendatarium, si ipsi placuerit, aut ob jam extinctum Monachorum Conventum addicendi bona piis usibus, prout Regis pietati, & religioni visum fuerit, ac cum reliquis juribus è patronatu pendentibus. Ne quando vero jura Regia detrimentum capiant injuria temporum, dictum Monasterium, sive Abbatia referatur in libris Curiæ inter cetera Monasteria, sive Abbatias, in quas jus patronatus Principi competit.*

Ita censuit Curia, ex eo quod liquet ex actis, memoratum Monasterium fundatum fuisse per Comitem Adelferium de stipite Principum Longobardorum, ac deinde anno trigesimo octavo Principatus Pandolfi Beneventi Principis, & duodecimo anno Principatus Landolfi ejus filii, anno scilicet 1050. æræ Christianæ, ab eodem Adelferio prædictum Monasterium in proprio ejus territorio constructum, prope ejus Castrum de S. Juliano, tamquam rem propriam, oblatum fuisse pietatis intuitu Richerio tunc Abbati Montis Casini, cum claustris, cellis, casis, Ecclesiis, aliisque ædificiis, cum vineis, territoriis, pertinentiis, *ac cum omni substantia, & cum omni ornatu*: quo scilicet ab eodem Abbate sub S. Benedicti regula regeretur. Liquet etiam, anno 1266. Adenulfum, dictitatum de stipite, pietatis etiam intuitu, concessisse eidem Monasterio, tunc temporis anne-

xo

xo Monasterio Casinensi, *Casale, & Ecclesiam S. Crucis cum omnibus juribus, rationibus, redditibus, pertinentiis, servitiis realibus, & personalibus quibuscumque, ad utendum, tenendum, & fruendum*. Constat denique Monasterium prædictum insequentibus sæculis per Romanam Curiam, spreta voluntate fundatoris, a Monasterio Casinensi fuisse abstractum, & commendaticnis titulo priscis Christianis ignoto, Abbatibus Commendatariis fuisse traditum, non sine ejusdem Monasterii dissolutione.

Cum itaque appareat nedum de fundatione prædicti Monasterii facta per antiquos Principes, qui jura Summi Imperii in hujus Regni Provinciis exercuerunt, sed etiam de ejus dotatione ex bonis ad Principatum pertinentibus: optimo jure in ejus Monasterii patronatum Regalem Coronam redintegrari oportuit, cum neminem lateat, fundatione, & dotatione Monasterii, ex jure cum Civili, tum Canonico, patronatum acquiri.

In causa redintegrationis Regii patronatus in Ecclesiam Archiepiscopalem Compsanam, Die 9. Augusti 1784.

Cum Ecclesia ea possideat bona, quæ a Principe tantum concedi queunt; exploratum est, utut bonis Principatus eam dotatam Regio juri patronatus subjectam esse.

QUod ad causam de redintegrando Regio patronatu in Archiepiscopalem Compsanam Ecclesiam, ad jus Principis confirmandum plura producta sunt documenta. Inter ea autem potissimum videri debet, quod suppeditat Diploma Jonatæ ex vetustissimis illis Nortmannorum Dynastis, quo tempore Aristocratico eorum regimini Provinciæ Neapolitanæ suberant. Is enim, cum in Compsanum Comitatum Summo Imperio utebatur, Diplomate suo 1. Febr. ann. 1161. concessit Ecclesiæ S. Mariæ, Compsani Episcopii, Ecclesiam, ac Terram S. Andreæ in Territorio Compsano positam, & Castri Petræpaganæ, *cum hominibus habitantibus ibidem, & terris per circuitum ejusdem Ecclesiæ*: earum vero terrarum fines late patentes ibidem descripsit. In Diplomate diserte addidit, concessionem se facere *ad usum Ministrorum Dei*: addidit etiam, *pro victu Clericorum, qui in eadem Ec-*

clesia Compsana diu noctuque deserviunt ad laborandum ; & serviendum. Homines qui per id temporis habitarent, aut in posterum habitaturi forent Terram S. Andreæ, immunes esse jussit a quolibet servitutis, & exactionis onere, quod sibi, & suis liberis, aut heredibus quoquo titulo competeret. Præterea Diplomate suo id quoque cavit: *Et si aliquod maleficium, sive malefactum prædicti homines fecerint, sive offensam, non a nobis sive Officialibus nostris, sed a Pastoribus, & Clericis Ecclesiæ Compsanæ compellantur quærentibus facere rationem, & de eorum culpis, & delictis judicentur per eosdem. Si vineas, domos, hortos aliaque ædificia infra præfatam Terram ædificare voluerint, potestatem faciendi secundum jussionem Pastoris, & voluntatem Clericorum Compsanæ Ecclesiæ firmiter, & libere habeant, & perpetualiter possideant, itaquè a nemine nullam aliquam habeant contrarietatem. Pascua vero, aquam, ligna, cum ceteris nostris hominibus Civitatis Compsanæ, & Petræ Paganæ, absque damno communiter habeant . . . . aquam, quæ oritur infra fines subscriptos, cum forma & cursu damus, & inviolabiliter concedimus Ecclesiæ supradictæ libere, & absolute, nulla nobis in prædicta aqua conditione reservata; sed volumus, quod ipsa Ecclesia Compsana molendina facere, & ædificare in ea possit, & ad alios usus eam trahere juxta velle, & nullus alius in cursu ejusdem aquæ, & formæ molendina facere possit, nec de ea terras adaquare, vel ad alias partes eam traere sine voluntate Pastoris, & Clericorum Ecclesiæ Compsanæ*.

Ex allato Diplomate aperte liquet, concessionem Terræ S. Andreæ fuisse factam ob dotandam Compsanam Cathedralem Ecclesiam. Eo enim Ecclesiæ dotatio pertinet, ut Episcopi, & aliorum Ministrorum sustentationi consulatur, *Novell. 57. cap. ult.* Id ipsum autem curasse Jonatam in sua concessione vidimus. Constat etiam eam dotationem fuisse factam ipsius Principatus bonis; ejusmodi enim erant Terra S. Andreæ, & jura omnia Episcopo, & aliis Ministris ejus Ecclesiæ concessa. Ea vero donatio maximo emolumento fuit Ecclesiæ, Terra enim S. Andreæ hodiedum possidetur a Mensa

a Mensa Archiepiscopali Compsana cum reditibus, jurisdictione, & jure exigendarum decimarum ab omnibus hominibus prædictæ Terræ.

Ostensum est quoque prædictam Compsanam Ecclesiam possidere Terram Sancti Mennaji cum Vassallis, & fundum rusticum, *Palum rotundum* vulgo dictitatum, in Melphitano Territorio positum. Quamvis vero hodie ob temporum antiquitatem de primæva concessione non liqueat, ipsa tamen Mensa non semel in judicio professa est, ea se possidere largitionibus veterum Neapolitanorum Principum. Verum ea de re dubitari non potest, prædictæ enim concessiones feuda complectuntur. Ea autem ipsius Principatus sunt bona, atque ab iis tantum concedi possunt, ad quos Summum Imperium, & jura Majestatis pertinent.

His igitur perpensis in probationum termino rite ostensis, neque re aliqua in contrarium allata, seu per Compsanum Archiepiscopum lite ei specialiter denunciata, seu per alios, quorum fortasse interesse posset, & quibus citationibus per edictum judicium nunciatum fuit, visum est Curiæ Regii Capellani Majoris, dubitari non oportere de Regio patronatu in Campsanam Ecclesiam. Quapropter cum voto Reg. Conf. D. Dominici Potenza, Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Compsanam Archiepiscopalem Ecclesiam, utpote feudis aliisque bonis dotatam per decessores Neapolitanos Principes, fuisse, & esse Regii patronatus, ac proinde Regiam Coronam redintegrari oportere, sicuti præsenti sententia rendintegratur in prædictæ Ecclesiæ patronatum cum bonis suis omnibus, feudis, Ecclesiis, juribus, jurisdictionibus, prærogativis, privilegiis, & quibuscumque pertinentiis suis, & cum jure spectante faustissimo Regi Nostro, ejusque in Regno successoribus, nominandi Archiepiscopi, quoties eam Ecclesiam vacare contigerit, & reliquis juribus, quæ Patrono Principi leges deferri jubent. Salva provisione facienda per nostram Curiam quoad ejusdem Ecclesiæ Dignitates, & Canonicatus. Ne quod autem detrimenti Regia Corona sentiat, placuit, ut Compsana Archiepiscopalis Ecclesia describatur in libris Curiæ inter alias Cathedrales, quæ Regio patronatui subsunt.*

In causa redintegrationis Regii patronatus in Monasterium, sive Abbatiam S. Angeli de Fasanella. Die 9. Augusti 1784.

Ecclesia, quæ dotata est ab eo, qui Summum Imperiū exercet, Regio juri patronatus est obnoxia; cum vero bona dotis nomine data, præter concedentis mentem, alii addicta sint usui, jus ad Principem spectat, de iis in quoslibet alios pios usus disponendi.

UNiversitas S. Angeli de Fasanella supplici libello suo a felicissimo Rege Ferdinando petiit, ut Regii patronatus declararetur vetus Abbatia sub titulo S. Angeli de Fasanella, eaque de causa primævæ fundationis documenta exhibuit. In Divalibus litteris 27. Septembris ann. 1783. Curiæ mandatum, ut audito Regiæ Coronæ Patrono, de controversia sententiam diceret. Proinde judicium denunciatum fuit Joanni Angelo Cocolo in præsenti Abbati, quamvis is scripto declararit, se nusquam oppugnatúrum jus Principis, quod in controversam Abbatiam ei competeret. Generatim etiam per edictum idem judicium denunciatum fuit omnibus, quorum interesse posset. Nemine igitur judicio se sistente, atque eam ob rem contumaciis incusatis, terminoque probationis præstituto, prædicta Universitas non solum memoratis documentis, sed per testes etiam intentionem suam asseruit.

Inter argumenta autem ad adprobandam actionem Universitatis potissimum illud videri debet, quod ex primæva Abbatiæ fundatione deducitur. Ostensum est enim, anno 1134. Lampum veteribus Principibus Longobardis prognatum, Fasanellæ dominum, Guaiferii Comitis filium, concessisse Monasterio SS. Trinitatis extra Civitatem Salerni posito, in loco cognomento Metiliano, *integram Ecclesiam, quæ ad honorem S. Confessoris, atque Pontificis Nicolai constructa est, quam sibi ipse Lampus pertinere clarificavit, foris, & prope suprascriptum Castellum suum de Fasanella, & cognominatur dicta Ecclesia de Lufrasso, cum omnibus rebus stabilibus, & mobilibus ad eamdem Ecclesiam pertinentibus, & cum omni ejus jure, & pertinentiis, & cum viæ de viis suis, ea videlicet ratione, ut ipsa Ecclesia qualiter suprascriptum est, semper sit juris, & ditionis ipsius Monasterii*, prout apparet ex Diplomate ob eam concessionem expedito.

Ostensum est etiam, anno 1183. Tancredum in Fasanellæ

nellæ Dynaſtia ſucceſſorem alio ſuo Diplomate conceſſiſſe Priori, cui demandatum fuerat a Monaſterio SS. Trinitatis extra Salerni Civitatem conſtructo regimen Eccleſiæ, ac bonorum S. Nicolai de Fraſſo, *quamdam Eccleſiam S. Laurentii, quæ conſtructa eſt in tenimentis Faſanellæ prope fluvium, qui dicitur Cillinum, cum domibus, & terris, & vineis, & arboribus fructiferis, & infructiferis, & hortis, & caſalinis, cum introitu, & exitu viarum ſuarum, & cum omni jure Eccleſiæ eidem pertinente.* Additum fuit in Diplomate: *Hanc vero prædictam Eccleſiam, qualiter fines tenimenti ſui eam circumdant, ſicut nobis congruum eſt, per hanc cartulam offero, & trado Ven. Priori S. Nicolai de Fraſſo, tali modo, ut ipſe, aut alius, qui ejuſdem Eccleſiæ S. Nicolai Rector, & Gubernator fuerit, ſecuriter, & firmiter ſemper eam habere, & poſſidere valeat, ſicut ſupra legitur, & Dominus Benincaſa Ven. Cavenſis Abbas, qui Cavenſe Monaſterium regit, & gubernat, vel alius, qui poſterior ejus fuerit, poteſtatem habeat jam dictam Eccleſiam S. Laurentii, omneſque res ejuſdem Eccleſiæ ſtabiles, & mobiles, dominandi, fruđiandi, & poſſidendi &c.*

Evictum etiam in judicio eſt, miſſo per Monaſterium Cavenſe Priori ad regimen Eccleſiæ S. Nicolai de Fraſſo, inibi Monaſterium fuiſſe extructum, ubi ſub S. Benedicti regula vixere Fratres. Prædictum Monaſterium inclaruit ſub titulo S. Angeli ad Faſanellam, eo quod fuit erectum in vicinia Cryptæ S. Michaeli Archangelo dicatæ, & quæ detecta fuit in Faſanellæ Caſtro. Prædictum vero Monaſterium opulentam ſuſtentationem, ac lauta alimenta percepit ex reditibus prædiorum late patentium, quorum in dominio fuerant Eccleſiæ S. Nicolai, & S Laurentii, quæ ſane ex munificentia Lampi, & Tancredi profecta fuerant. Ejus vero regimen demandatum fuit Abbati, qui in Faſanellæ Terram quaſi Epiſcopalibus juribus eſt uſus, atque in eam quaſi Epiſcopalem juriſdictionem exercuit, juxta ſcilicet traditionem, de qua teſtes in termino producti teſtimonium perhibuerunt.

Enimvero cum opera Romanæ Curiæ Monaſterium commen-

mendationis titulo cessisset Marino Caracciolo anno 1497.; ea commendationis species, veteribus Christianis ignota, incommoda attulit, quæ alia commendata Monasteria subierunt. Ita enim veteri inter Fratres abrupto vinculo, dissolutum est Monasterium, ejusque reditus sustinendo Abbatum Commendatariorum luxui sunt expensi, contra Principum concedentium sententiam, qui largitionum suarum fructus exhibendis Religiosis addici voluerunt.

Quoniam igitur bona Abbatiæ S. Angeli ad Fasanellam ea ipsa sunt, quæ Monasterio olim concessere Principes, qui concessionis tempore in Oppida sibi subjecta Majestatis jure utebantur; ea vero bona contra concedentium mentem, non pro Religiosorum alimentis inservierunt, sed in Abbatum conversa sunt usum: recte Regiæ Coronæ Patronus secundum petitionem Universitatis S. Angeli de Fasanella petiit libello suo, ut prædicta Abbatia Regii patronatus declararetur, cum jure ad Principem pertinente convertendi bona in alios pios usus, aut eligendi Abbatem Commendatarium, quoties Abbatiam vacare contigerit, si Princeps ita maluerit. Proinde Curia Regii Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza, ordinarii Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Monasterium seu Abbatiam S. Angeli de Fasanella, fuisse & esse Regii patronatus, ac proinde Regiam Coronam redintegrandam esse, sicut præsenti sententia redintegratur in patronatum prædictæ Abbatiæ, cum omnibus bonis suis, Granciis, Ecclesiis, obedientiis, juribus, jurisdictionibus, prærogativis, privilegiis, & pertinentiis quibuscumque, & cum jure, quod ad Principem pertinet, convertendi ejus bona in alios pios usus, utcumque ipsius religioni videbitur; si vero in præsenti statu Abbatiam stare maluerit, cum jure eligendi Abbatem Commendatarium in singulis Abbatiæ vacationibus, & cum reliquis juribus, quæ ad Principem Patronum pertinent. Salva provisione facienda circa qualitatem, quam vocant nullius Diœcesis, audito Episcopo Caputaquensi. Ne usquam autem jura Regia detrimentum patiantur, prædicta Abbatia describatur in libris Curiæ inter alias Abbatias Regii patronatus.*

In

In causa redintegrationis Regii patronatus in Ecclesiam Cathedralem Tricaricensem. Die 31. Augusti 1784.

Bonis Principatus extructa, & dotata Ecclesia Regii juris patronatus est.

Divalibus litteris felicissimi Regis Ferdinandi Curiæ Capellani Majoris mandatum fuit mense Februarii currentis anni, ut audito Regiæ Coronæ Patrono, necnon Advocato Francisco Antonio de Simone, iisque quorum interesset, de Regio in Cathedralem Tricaricensem Ecclesiam patronatu cognosceret, eaque de controversia sententiam diceret. Curia igitur per edictum judicio adesse jussit generatim omnes, quorum controversia interesse posset, atque aliis adhibitis, quæ ordo judiciorum exposcit, ad dicendam de re controversa sententiam rite processit.

Ad intentionem autem fundandam pro prætenso patronatu, hujusmodi per prædictum Franciscum Antonium de Simone allatæ sunt probationes. Constat scilicet ex monumentis productis, in primo illo Nortmannorum regimine aristocratico, Tricarici Civitatem cum tota ferme Lucania fuisse sub potestatem Roberti Nortmanni, Montis Caveosi Comitis, Roberti Guiscardi nepotis. Constat etiam ob ejus ætatis vices per id temporis Tricaricensem Cathedralem Ecclesiam fuisse omnino neglectam, ejusque Templum Episcopale solo ferme æquatum. Certum est etiam, eam Ecclesiæ Tricaricensis faciem Robertum Comitem commiseratum, ipsam e fundamentis restituisse. In ejus quidem Diplomate in actis exhibito ejusmodi verba adhibentur, ut dubium videri possit, utrum ab ipso Roberto, an ab alio quopiam Tricaricensis Ecclesia constructa fuerit. In eo enim Cathedralis Tricaricensis Ecclesia *noviter constructa* dicitur, neque additur, a quo ea fuerit extructa. Enim vero ea de re scrupulum omnem eximit Rogerii Regis Diploma in actis exhibitum. In eo enim dicitur, *Robertum Comitem Montis Caveosi, & Dominum Civitatis Tricarici, Ecclesiam B. Mariæ Tricaricensis denuo fundasse.*

Neque vero sola Ecclesiæ constructione Robertus Comes liberalitatem suam ostendit: eam enim opulenter dotan-

tandam quoque curavit. Nam ut apparet ex Diplomatis in actis exhibitis de mense Augusti anni 1068., ei donavit feuda duo, eaque nobilia, *Montemurrum* scilicet, & *Armentum* cum vassallis, prædiis, juribus, vectigalibus, collectis, omnibusque pertinentiis. Eodem etiam anno eidem Ecclesiæ elargitus est desensam late patentem cognomento *Cognatum*, ut ex actis liquet, *fol.* 29. In eamdem contulit alia quoque feuda, ut ex Episcopalibus codicillis constat, ab Episcopis concedi solitis Officialibus & Gubernatoribus, in actis exhibitis. Prædicta autem feuda & prædia Tricaricensis Ecclesiæ hodie quoque dotem constituunt.

Licet autem tempora non defuerint, per quæ Tricaricenses Episcopi in prædictorum bonorum possessione turbati fuerint, eis tamen favore suo adfuerunt Neapolitani Principes, atque ipsis possessionem eorumdem servari curarunt. Ita quidem eam ob rem Rex Rogerius ab Erberto Episcopo interpellatus, Diplomate suo mense Julii anni 1135. ad Guilelmum Magnum Justitiarium præscripsit, ut idem prædictum Erbertum Tricaricensem Episcopum in prædictorum bonorum, & jurium possessione tueretur. Id ipsum factum per insequutos Neapolitanos Principes, ut liquet ex Diplomatis Guilelmi I., Ladislai, Alphonsi I. in actis exhibitis.

Prædicta autem Diplomata, quibus Neapolitani Principes Tricaricensi Ecclesiæ dotem aut concesserunt, aut confirmarunt, & ab ipsis Tricaricensibus Episcopis pro veris sunt habita, & eorum veritatem ipsa suprema Tribunalia pluries agnoverunt. Nam Tricaricenses quidem Episcopi eorum Diplomatum ope feudorum ad se pertinentium jurisdictionem in controversiis sæpe subortis in judicio defenderunt & suprema Tribunalia secundum ea pro Episcopis judicarunt.

Ex dictis hactenus Curia aperte constare censuit, Cathedralem Tricaricensem Ecclesiam extructam, & ipsius Principatus bonis dotatam fuisse liberalitate Roberti Nortmanni, Comitis Montis Caveosi, qui per totam ferme Lucaniam, & Tricarici Civitatem, in veteri illo aristocratico Nortmannorum regimine Summo Imperio est usus; patronatum igi-

igitur in Tricaricensem Ecclesiam ex præscripto Legum & Canonum, extructione & dotatione ei quæsitum, in Reges Neapolitanos migrasse; pientissimum igitur Regem Neapolitanum in Tricaricensis Ecclesiæ patronatum redintegrari oportere. Proinde de tota controversia, cum voto Regii Cons. D. Dominici Potenza Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Tricaricensem Episcopalem Ecclesiam a Principibus Neapolitanis extructam, & ipsius Principatus bonis dotatam fuisse, & esse Regii patronatus: in eam igitur Regem Neapolitanum redintegrari oportere cum omnibus bonis, feudis, Ecclesiis, jurisdictionibus, privilegiis, & cum omnibus juribus, & prærogativis, quæ Leges, & Canones Principi Patrono deferri jubent, & præsertim cum facultate nominandi Episcopi quoties eam Ecclesiam vacare contigerit. Proinde eam Ecclesiam in libris Curiæ describi jubet inter reliquas Ecclesias Cathedrales, in quas Regius patronatus ad Principem pertinet.*

In causa redintegrationis Regii patronatus in Abbatiam, sive Monasterium S. Benedicti de Salerno, Die 8. Novembris 1784.

Monasterium Principatus bonis dotatum, & a Principe extructum, Regio patronatus juri obnoxium est; eo vero, contra fundatoris mentem, in commendā erecto, ad Principem spectat aliis piis usibus bona addicere.

PRomotor Fiscalis Regalis Coronæ in Curia Capellani Majoris petiit libello suo, ut Regius patronatus redintegraretur in Abbatiam S. Benedicti de Salerno. Is autem ad intentionem suam firmandam monumenta non una protulit.

Eam autem in rem primo allegatum est testimonium Leonis Ostiensis inter Regni Historicos antiquissimi. Is enim *lib.* 3. *cap.* 14. memoriæ prodidit, controversum S. Benedicti Cœnobium, utpote proprium Salerni Principum, Casinensi Monasterio fuisse concessum, atque eidem subjectum; Salerni autem Cives ægre ferentes prædictum Cœnobium, tamquam Monasterii Casinensis cellam, per Præpositum, non per Abbatem regi, contra instituta majorum; per vim Patribus Casinensibus Monasterium abstulisse, eique Abbatem restituisse: de vi illata cum Gisulfo Salerni Principe Desiderium Casinensem Abbatem conquestum, ejusque precibus interpellatum Gisulfum, secundum veterem concessionem Mo-

nafterio Cafinenfi Salernitanum Cœnobium reftituiffe. Hujufmodi vero Cœnobium diutiffime præclare ftetit, donec reliquorum Monafteriorum commune ferme naufragium paffum commendationis genere veteribus Chriftianis ignoto, Abbatibus Commendatariis traditum diffolutionem fubiit.

Ut autem conftaret, quibus bonis ab initio fuo Salernitanum S. Benedicti Cœnobium liberalitate Principum dotatum fuerit, Ferdinandi I. Aragonii illuftre productum eft Privilegium, ab eo fcriptum die 4. Januarii 1482. In eo edicit Princeps, per annos ferme trecentos prædictum Monafterium poffediffe feudum, feu terram Fajani in vico S. Teclæ, in tractu Montis Corvini juxta territorium Salernitanum; per ætatem antem Caroli II. Andegavenfis memoratum Fajani feudum, utpote ejus Monafterii proprium, inter reliqua ipfius bona in inventario fuiffe defcriptum, ut liquebat ex Tabulario: a Ladislao quidem Fajani feudum Monafterio fuiffe ablatum, eumdem tamen mox meliorem mentem induiffe, reftituto Monafterio feudo cum juribus ejus omnibus, ut conftabat ex literis ejufdem Ladislai redintegratoriis. His addidit Ferdinandus, eo feudo penes fe conftituto, cum Monafterio præeffet, uti Abbas Commendatarius dilectiffimus filius fuus Joannes Cardinalis Aragonius fub Divi Hadriani titulo, fe precibus ab eo aditum, ut Fajani feudum Monafterio reftitueretur. Ita Ferdinandus per plenariam reftitutionem in integrum, in ejus poffeffionem Monafterium, atque ipfius filium, ac futuros Abbates redintegraffe, cum hominibus, vaffallis, tenimentis, prædiis, reditibus, aliifque pertinentiis fuis, utili traslato dominio, cum onere tamen adohæ, & feudalis fervitii.

Neque vero in folo Fajani feudo Salernitano S. Benedicti Cœnobio conftituta dos fuit. Ea enim complectebatur plura alia Caftra, & Pagos, Altitum fcilicet, Biffillanum, Liberos, Oretellum, Magniam, Trepianum, & S. Angelum Atenaricum. Id apprime liquet ex Regeftris duobus exhibitis anni 1278., & anni 1306. Caroli I. & II. Ex primo conftat, ad interpellationem Prioris, & prædicti Monafterii

Sa-

Salernitani, Justitiario Principatus citerioris fuisse mandatum, ut in prædictos Pagos suos Vassallos fugitivos revocari curaret. Ex altero liquet, bellorum occasione prædictis Pagis miseria oppressis, & veteri incolarum frequentia imminutis, eodem Monasterio interpellante, ejusdem Principatus Justitiario fuisse præscriptum, ut per aliquos annos immunitas eis indulgeretur a generalibus collectis, subsidiis, & donativis, donec opulentiores, & numerosiores facti veteribus oneribus substinendis pares evaderent.

Denique de Regia prædicti Monasterii fundatione non leve etiam argumentum vel inde desumi potest, quod Neapolitani Principes illud sub Regale suum Mundiburgium receperunt. Id sane liquet ex Diplomate Reginæ Joannæ I. anni 1344., ibi enim sub Regiam suam protectionem recepit *Monasterium S. Benedicti de Salerno Ordinis S. Benedicti, cum omnibus terris, possessionibus, hominibus, vassallis, & quibusvis aliis bonis ad Monasterium ipsum spectantibus*. In prædicto autem Joannæ Diplomate maximum momentum habent verba, quæ ibi occurrunt, *sub nostra protectione suscipimus, & ad curam defensionis nostræ specialiter deputamus*. Inde vero facile intelligitur, cur eadem Joanna I. Diplomate suo ejusdem anni 1344. prædicti Monasterii Abbatem inter suos Consiliarios, Capellanos, ac familiares recenseri jusserit.

His ita præstitutis, nemo inficias ierit Monasterium S. Benedicti de Salerno, auctoribus Salerni Principibus extructum, ac dotatum fuisse, & per eosdem Casinensi Monasterio subjectum. Ii vero Summum exercuerunt Imperium per Provincias, quibus Salerni Principatus continebatur. Proinde Curiæ visum, ad eos Regium patronatum pertinuisse in Monasterium liberalitate sua dotatum; jure igitur veluti per manus tradito eumdem patronatum migrasse in Regem Neapolitanum, in quem veterum Salerni Principum reliqua quoque jura migrarunt. Sed si omnia desint, ipsa dotalium bonorum natura suadet, nonnisi a liberalitate Principum prædicti Monasterii dotem proficisci potuisse. Ea enim complectebatur, ut vidimus, Castra, Pagos, & quod caput

 est,

eſt, Fajani terram, quæ hodiedum ab Abbatia poſſidetur. Viſum etiam Curiæ Regium in Principe patronatum non ſolum complecti facultatem eligendi Abbatem per ſingulas vacationum vices, eique conferendi jus utendi fruendi reditibus in origine ſua Monaſterio addictis, ſed & Abbatiam novæ formæ ſubjiciendi, & in alios pios uſus, aut in publicam utilitatem convertendi bona, prout ipſius religioni videbitur, inſpecta Monaſterii commendatione contra fundatorum mentem per Romanam Curiam cœptata, ejuſque diſſolutione ab ipſa commendatione profecta. Proinde Curia cum voto Domini Regii Conſiliarii D. Dominici Potenza, ordinarii Conſultoris ejuſdem, ita pronunciavit: *Abbatiam, ſeu Monaſterium S. Benedicti de Salerno, utpote fundatam, ac dotatam feudis, aliiſque bonis ad Principatum pertinentibus, ab antiquis Salerni Principibus, fuiſſe, & eſſe Regii patronatus, ac Regalem Coronam redintegrandam, prout præſenti ſententia redintegratur in ejus patronatum cum bonis ipſius omnibus, feudis ſcilicet, Eccleſiis, Granciis, juribus, juriſdictionibus, præeminentiis, aliiſque pertinentiis ſuis, & cum jure ad Regem, ejuſque in Regno ſucceſſores ſpectante eligendi Abbatem Commendatarium in ſingulis vacationum caſibus, quandiu ei placuerit Commendatariorum Abbatum retinere inſtitutum, & cum jure quoque novæ formæ Abbatiam ſubjiciendi ob inſequutam conventualitatis extinctionem, & convertendi bona in alios pios uſus, vel publicam utilitatem, prout expedire putaverit. Ne autem jura Regia aliquid uſquam detrimenti capiant, præſens Abbatia referatur in libros Curiæ inter alias Abbatias, & Monaſteria, in quæ jus patronatus ad Principem pertinet.*

In cauſa redintegrationis Regii patronatus in Monaſterium, ſive Abbatiam S. Mariæ de Picciano. Die 23. Decembris 1784.

Regii juris patronatus eſt Monaſterium, quod fundatum, dotatumque apparet ab eo, qui

CUriæ Capellani Majoris Divalibus litteris die 27. Martii 1784. in mandatis datum, ut ſententia ſua pronunciaret de denunciatione D. Conceptii Zugari, qua is contendebat Regii patronatus eſſe Abbatiam S. Mariæ de Picciano in Pinnenſi

nensi Diœcesi positam, ac proinde Regiam Coronam in ejus possessionem redintegrari oportere. Proinde Curia citationibus per edictum judicium nunciari curavit generatim omnibus, quorum interesse posset. In citationum autem edictalium consequentiam judicio adfuit Procurator Monasterii Olivetani S. Mariæ de Subsidio Aquilensis, quod in possessione controversæ Abbatiæ erat, opponens Monasterii possessionem, & præscriptionem centenariam. Ad controversiæ vero definitionem progressa Curia, exhibita per D. Conceptium Zugarum monumenta ante sententiam de more perpendit.

Summum Imperium exercuit. Dissoluto autem Monasterio, & Monachis dispersis, pro arbitrio suo de Illius bonis statuere ad Principem spectat.

Primo igitur productum est Diploma Bernardi Comitis Pinnensis, alio Bernardo de Liuduno prognati, de anno 1049. Eo prædictus Princeps, qui per Comitatum suum jure Summi Imperii utebatur, declaravit, se procurasse *Monasterium in Pinne loco nomine Piczano institui, & institutum stabiliri, & perpetuo confirmari*. Declaravit quoque, se eodem in loco erexisse Ecclesiam Beatissimæ Virgini *Monasticis usibus aptam*, eamque se tradidisse *quatuor Religiosis viris videlicet Monachis ibi coadunatis, ut Altissimo Domino laudes jugiter resultent*. Enim vero fundatione Ecclesiæ, & Monasterii non contentus, ejus quoque dotationi prospiciendum censuit, in eam collatis diversis prædiis in tractu Pinnensi in latifundio positis, quo ipsum Monasterium ambiebatur, *ad necessarium ipsius supplementum, Christique servorum in ipso degentium, seu illuc undecumque adventantium, perenne subsidium*. Mox descripsit prædicta prædia, ejusque fines latissimos designavit. Immensæ autem latitudinis vel illud argumento est, quod in alio suo Diplomate anni 1051., quo prædicta fundatio, & dotatio confirmata fuit, diserte narrat ea prædia patuisse *per mensuram modiorum duodecim mille*. Præterea elargitus est Monasterio *Villam Caliani cum hominibus, & Ecclesiis, & cum uno Molendino, quod est situm in vortecello, & sylvam, quæ dicitur* Salebuzzo, *& totam sylvam Calcarolo: & Ecclesiam S. Pauli, quæ in trivio collemodii est ædificata: & Ecclesiam S. Laurentii de Caudaminiera: & Ecclesiam Sancti*

cti Martini de Casa Roccellæ cum Ecclesiis , & hominibus sibi pertinentibus. Horum vero bonorum largitionem firmam haberi voluit , *quatenus Fratres , tam hi , qui præsentes sunt , quam & hi qui venturi sunt , famuli Christi habeant ea , & possideant fruanturque jure quieto , ac pacifico , & hodierno die , & deinceps . . . eo scilicet ordine , ut absque ullius controversia regulariter sub norma S. Benedicti degant* . Isthæc autem donatio alio ipsius Diplomate ann. 1051. in omnibus ejus partibus confirmata fuit .

Exhibitum etiam in judicio est Privilegium Guilelmi Loreti Comitis ann. 1114. 5. Decembris . Eo Monasterio remitti placuit servitium quodlibet Principi debitum . Eidem concessa Ecclesia S. Pamphili de Spoltore cum pertinentiis suis , *absque ullo obsequio* .

Præterea aliud allegatum est Privilegium Gozolini alterius Laureti Comitis scriptum mense Dec. ann. 1169., qui Adelitiam Rogerii Regis jam defuncti filiam uxorem duxerat . Is non solum Monasterio confirmavit concessiones omnium retro Principum, atque eas præsertim, quæ factæ fuerant ab Ramberto patre suo , sed alias quoque Ecclesias ei concessit , S. Petri scilicet , S. Mariæ , & S. Luciæ , cum pertinentiis suis in Spoltoris Castro, ac Territorio positis . Eidem quoque concessit Picciani homines, & vassallos omnes, Monasterio remissis quibuslibet servitiis , ac præstationibus ipsi debitis , atque in eos jurisdictionem exercere jussit .

Denique Historicorum auctoritate demonstratum , insequutis temporibus prædictum Monasterium jussu Romanæ Curiæ commendationi fuisse traditum , quo facto fortunam Monasteriorum commendatorum subiit . Nam haud multo post pristinam faciem suam exuit, atque a Monachis est derelictum . Quin anno 1501., prævia renunciatione Abbatis Commendatarii , a Pontifice Alexandro VI. contra fundatorum mentem unitum fuit Abbatiæ S. Mariæ de Subsidio extra Aquilæ pomœria positæ Olivetani Ordinis. Id autem de Monasterio factum, non ut inibi incolerent religiosi homines, qui sub Divi Benedicti Regula Domino inservirent,

ut

ut fundatori placuit; sed ut prædicta Abbatia S. Mariæ reditibus potiretur Monasterii jam dissoluti, & cujus hodie vix rudera demonstrantur.

His omnibus rite perpensis, Regiæ Coronæ Advocatus libello petiit declarari, controversum Monasterium *esse Regii patronatus, ac proinde Regiæ Coronæ redintegrandum cum omnibus bonis, juribus, jurisdictionibus, ac integro statu, cum jure tamen per Principem Patronum disponendi de bonis, prout melius pietati, ac religioni suæ visum fuerit, stante antiqua forma a Curia Romana abusive mutata*.

His ita præstitutis, cum constet tam aperte de controversi Monasterii fundatione, & dotatione, ob liberalitatem Pinnensis Dynastæ, aliorumque Principum, qui in nostris regionibus jure Summi Imperii per id temporis utebantur, Curiæ visum de eorum patronatu dubitari non posse. Jure enim sive Pontificio, sive civili, jus patronatus fundatione, & dotatione acquiri jubetur. Cum vero in prædictorum fundatorum jura successerit felicissimus Rex Ferdinandus, exploratum est ad ipsum, ejusque in Regno successores, veterum illorum Principum patronatum transmissum esse. Jus vero in ea re Regium nulla temporis præscriptione elidi potest; vulgatum est enim illud, cum in Regno Neapolitano, tum passim in Europa alibi, Regios patronatus nullius temporis præscriptioni subesse. Aliunde sat constat, prædictam fundationem, & dotationem cœptasse Principes, ut in controverso Monasterio exhiberentur Monachi, qui sub Regula S. Benedicti victitarent, quique assiduis pietatis, ac religionis officiis exequendis se devoverent. Liquet vero, dissoluto jam Monasterio, ac Monachis inde dilapsis, fundationis, dotationis scopum cessasse. Rationi igitur, ac justitiæ perinde adversatur, contra fundatoris mentem, in alterius Abbatiæ utilitatem Monasterii reditus expendi. Proinde recte quoque Regiæ Coronæ Advocatus petiit libello suo, ut pro arbitrio suo Princeps de veteribus Monasterii bonis statuere possit. Quapropter Curia, cum voto Domini Reg. Consil. D. Dominici Potenza, Consultoris ejusdem, ita pronunciavit:

Ab-

Abbatiam S. Mariæ de Picciano in Pinensi territorio, per abusum unitam Abbatiæ S. Mariæ de Subsidio Olivetani Ordinis in Civitate Aquilæ, fuisse, & esse Regii patronatus, ac proinde in ejus possessionem Regiam Coronam redintegrandam esse, quemadmodum præsenti sententia ea redintegratur in ejus Monasterii patronatum, bona, feuda, jura, Ecclesias, Grancias, jurisdictiones, & alias ejus pertinentias. Declarat quoque Curia, ob mutationem veteris in Monasterio formæ, & conventualitatis cessationem, ad Principem pertinere Regio patronatu suo de Monasterio bonis statuere, eaque in alios usus convertere, prout ipsius religioni videbitur. Ne quid autem detrimenti in posterum Regia jura capiant, Monasterium describatur in libris Curiæ inter alia Regii patronatus.

In causa redintegrationis Regii juris patronatus in Abbatiam S. Sophiæ de Benevento. Die 18. Februarii 1785.

Cum bona dotalia alicujus Monasterii pertineant ad Principatum, & jussu Principum delibata sint ad dotem Monasterio constituendam, sequitur jus patronatus deferri ad Principes dotantes, & ad ipsorum in Regno successores; & etiam consequitur quod mutato rerum statu, & cessante objecto dotationis, possit Princeps patronus in alios pios usus ea bona convertere.

PRomotor Fiscalis Regalis Coronæ ab ipso anno 1781. in Capellani Majoris Curia petiit, ut Regii patronatus esse declararetur Abbatia S. Sophiæ de Benevento cum bonis omnibus, quæ ad prædictam Abbatiam pertinent; aut quoniam immutata jam foret vetus Monasterii forma, quod sacras virgines complectebatur olim, quibus dotalia ejusdem bona fundationis tempore concessa fuerunt, declararetur ipsum Siciliæ Regem de bonis ejus Abbatiæ pro arbitrio statuere posse, eique jus esse eorum reditus commutare in alios pios usus, prout ejus religioni visum erit. Petitio isthæc Ærariis feudorum, quæ ad Abbatiam pertinent, publice denunciata fuit; per citationes etiam edicto expediri solitas de ea certiores facti sunt omnes quorum fortasse interesset. Cum vero nullus judicio adfuerit, secundum Fori consuetudinem incusatis contumaciis ad controversiæ definitionem Curia rite processit.

Ex monumentis ad firmandam intentionem per Promotorem Fiscalem exhibitis aperte constitit, Longobardos Principes qui plerisque olim Regni Neapolitani Provinciis impe-

peritarunt, quo tempore eorum Sedes in Civitate Beneventi constituta erat, controversam Abbatiam fundasse. Nam Gisulfus quidem II. a fundamentis extruendum suscepit opulentum Templum in Civitate Beneventi dicatum Divinæ Sapientiæ, quo pertinet S. Sophiæ titulus ei destinatus. Cum autem mortalitati cedens illud non potuisset absolvere, Arechius, qui post Liutprandum Beneventanum Principatum habuit, Basilicam perfecit eadem magnificentia, qua inchoata jam fuerat. Ei tamen potissima cura fuit prædictæ Ecclesiæ addere Monasterium sacrarum virginum, quas per Benedictinos Casinates Patres regi voluit. Quoniam vero prædictum Monasterium impensiori studio is fovebat, ideo anno Domini 774. longiori Diplomate suo, transcripto in Chronico S. Sophiæ de Benevento, eidem contulit copiosas amplasque donationes, eo locupletato latissimis prædiis in Provinciis hujus Regni positis. Neque tamen Arechii liberalitas adversus Monasterium hic substitit, is enim insequutis temporibus aliis quoque bonis Monasterium ditavit. Ejus vero exemplum æmulati juniores Longobardi Principes, amplissimis aliis donationibus idem Monasterium sunt prosequuti. Ita factum, ut hodiedum Abbatia isthæc in hoc Regno possideat prædia quidem latissima, ac præter alia, feuda tria cum jurisdictione, Torum scilicet, S. Joannem in Galdo, & Farnetum *Abbatis* dictitari solitum, quæ quidem corpora nemo inficias ierit ex ipsius Principatus bonis fuisse decerpta, & in veteribus concessionibus contineri.

Enimvero vetus hoc Monasterium opulenter ab initio suo dotatum, post trium ferme sæculorum spatium existentiam suam amisit, & quaque causa id fecerit, dissolutionem subiit. Pro veteribus vero Monialibus, Monachis cessit Benedictinis, iique percepere reditus in sacrarum virginum usus addictos. Inde ob opulentas Monasterii opes Romana Curia occasionem arripuit ejus commendandi, ut Abbates Commendatarii ab ea destinati Monasterii reditibus sub imagine legum potiri possent. Ita prædicti Cœnobii fatum non fuit diversum ab aliis, quæ commendari fuerunt solita, Abba-

tum enim Commendatariorum aviditas causam novæ ipsius dissolutioni præstitit, Benedictinis Fratribus inde dilapsis. Post tot memorati Monasterii vices, anno 1595. Clemens VIII. cum consensu Cardinalis Columnæ per id temporis Abbatis Commendatarii idipsum per unionem adnexuit Congregationi Canonicorum Regularium Salvatoris, ita tamen ut ejusdem Abbatis Commendatarii subjectioni subesset. Atque ea ipsa est præsens controversi Monasterii conditio, ejusque reditus per summam injuriam contra fundatorum leges & mentem, partim Commendatarius Abbas, partim prædicti Canonici Regulares absumunt.

His ita præstitutis, Curia perpendit dotis Monasterio concessæ qualitatem. Perspexit itaque bona omnia ferme dotalia in Regno Neapolitano fuisse posita, eademque bona ad ipsum Principatum pertinentia, fuisse ad dotem Monasterio constituendam inde jussu Principum delibata. Exploratum visum est Curiæ per dotem id genus ad Principes dotantes fuisse delatum jus patronatus in Monasterium, tam ex juris civilis, quam ex Canonum sanctionibus. Jus autem patronatus a memoratis Principibus initio quæsitum *prædictæ dotationis causa*, ad alios transferri non potuit, nisi ad ipsorum successores in hoc Regno. Ut enim vidimus, bona dotalia utpote ab ipso Principatu decerpta ad ipsum Regnum pertinuerunt. Proinde memorati Monasterii patronatus hodiedum ad ipsum Regem Siciliarum pertinet, & cum reliquis Principatus juribus, ipsius in Regno successoribus deferri debet.

Jam vero inter alia patronatus jura imprimis recenseri debet facultas curandi bona dotalia, ac providendi ut eorumdem fructus expendantur in usus, quibus destinata fuerunt, & vetandi, cavendi, ne contra fundationis leges absumantur, aut usurpentur ab illis, ad quos neque usus, neque fructus illorum pertinent. Id & cum æquitate convenit, & non minus cum jure Ecclesiastico, quam civili consonat. Sane in *Can. Rationis*, *caus.* 16. *qu.* 7. *Can.* 34. rationi contrarium esse pronunciatur, Monasteriis piorum funda-

datorum liberalitate dotatis, eorum bona aut ab aliis usurpari, aut in alios converti usus. Sic enim ibi: *Rationis ordo non patitur, ut Monasterium contra voluntatem fundatorum, ab eorum dispositione ad arbitrium suum quis vindicare debeat*. Concilio etiam Toletano ita placuit apud Gratianum eadem *caus.* 16. *qu.* 7. *Can.* 32. *Decernimus, ut quamdiu fundatores Ecclesiarum* (id ipsum ad successores extende) *in hac vita superstites extiterint, pro iisdem locis curam permittantur habere sollicitam*. Id ipsum statuerunt Christiani Principes. Instar omnium sit Zenonis Imperatoris Constitutio in *L. Si quis* 15. *Cod. de Sacrosan. Eccles.* Ibi enim de fundatoribus Monasteriorum, Ecclesiarum, Hospitalium, loquutus Princeps edicit, ut secundum ipsorum voluntatem bona dotalia administrentur. Sic enim ibi: *His vero adimpletis* (dote scilicet constituta) *administratio fiat secundum ea, quæ his, qui liberalitatem exercuerunt, visa fuerunt, & secundum præscriptos fines*. Quæ quidem sanctio in Synopsi βασιλικῶν *lib.* 2. *tit.*3. *cap.* 2. ita fuit enunciata: *Ab eo, qui donationis instrumentum confici curavit, ad extruendum vel Oratorium, vel Xenonem, vel Nosocomium, promissa per Episcopos & Oeconomos exigantur: nihilo tamen minus arbitratu suo rem administret*. Quæ vero facultas privatis non denegatur, potiori jure ad Principes pertinet, si ipsi, eorumve decessores dotarint Ecclesias. Ex quo recte consequitur, quod mutato rerum statu, & dotationis primo objecto cessante, potest Patronus Princeps in alios pios usus destinare bona.

Cum igitur veteres Neapolitani Principes bonis e Principatu decerptis sacrarum virginum Monasterium Beneventi dotarint; eo jamdiu dissoluto, exploratum est, primum & unicum objectum opulentæ dotationis cessasse. Quapropter Curiæ visum ad Regem Neapolitanum, tamquam Patronum, pertinere facultatem secus statuendi de bonis Monasterii dotalitiis, illaque in alios pios usus ad publicam utilitatem convertendi, prout ejus religioni æquius melius videbitur. Proinde Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Con-

fultoris ejufdem, ita cenfuit: *Ad Regem Neapolitanum pertinere jus patronatus in antiquiffimum Monafterium S. Sophiæ de Benevento ob opulentam dotem ab antiquis Beneventi Principibus eidem conftitutam in ipfis bonis e Regio patrimonio delibatis. Declarat quoque, infpecta diffolutione Monafterii facris virginibus deftinati, in confequentiam Regii patronatus ad eumdem Regem fpectare facultatem ftatuendi in quofnam pios ufus ad publicam utilitatem converti oporteat Monafterii reditus, prout ipfius religioni expedire videbitur; proinde bona omnia prædicti Monafterii in hujus Regni territorio pofita fequeftro poni oportere etiam quod ad fructus, ut expendantur in ufus a clementiffimo Rege deftinandos. Quovero ad bona pofita in territorio Civitatis Beneventi, fiat relatio S.R.M.*

In caufa redintegrationis Regii patronatus in Monafterium, five Abbatiam Montis Cafini. Die 5. Aprilis 1785.

Cum ex vetuftiffimorum Scriptorum, & Hiftoricorum teftimoniis omni exceptione majorum exploratiffimum appareat Monafterium aliquod non folum dotatum a Principe, fed tamquam fuæ pertinentiæ illud habitum, non dubitatur admodum de Regio jure patronatus, & Abbatis electio, eft Regii juris. Si vero Princeps velit veterem fervari formam electionis Abbatis, tum ante electionem requiratur affenfus Regius neceffe eft, & poftea debet eidem a Principe confirmari.

PRomotor Fifcalis Regalis Coronæ in Curia Capellani Majoris petiit libello fuo, ut Regius patronatus redintegraretur in Monachorum Cafinenfium Monafterium. In eo judicio ipfi Monafterio denunciata lis fuit, atque ab eo confenfus petitæ redintegrationi præftitus. Termino autem probationibus rite præftituto, in eo vetera producta funt documenta, unde Regius patronatus adprobari poffet. Expletis igitur de more judiciorum folemnibus, Curia procedit ad dicendam de re controverfa fententiam.

Primum omnium fatis conftat, Regium in Cafinenfe Monafterium patronatum evinci teftimonio Scriptorum omnium, qui Regni Neapolitani hiftoriam literis confignarunt. Neque enim inter eos invenias, qui pro re nata profeffus haud fuerit, ejus & fundationem, & opulentam dotationem, veteribus Principibus Neapolitanis acceptam referri oportere. Enim vero a Promotore Fifcali potiffima defumpta funt argumenta a Leonis Hoftienfis veteri Cafinenfi Chronico, in quo res longe diffitorum temporum diferte enarrantur. Ibi præter alia traditur, deftructo Longobardorum vi Mona-

nasterio anno ferme 568., idcoque Monachis Romam recedere coactis, inde post intervallum annorum 141. eorum paucos in Montem Casinum remeasse, ibique domos sibi construxisse sub regula S. Benedicti victuros. Apud eumdem Hostiensem additur in eum montem ascendisse Gisulfum juniorem Liutprandi Regis Longobardorum nepotem, qui Godescalco in Ducatu Beneventano successit: is autem cum perspexisset religiosam Monachorum vitam sub D. Benedicti regula, *divino tactus instinctu cuncta in circuitu tam campestria, quam montana eidem Patri Benedicto contulit in scriptis, firmisque donariis in perpetuum eadem posteris habenda concessit, per has videlicet terminationes, & fines . . . una cum omnibus Castellis, Vicis, domibus, Ecclesiis, molendinis, & aquis, ceterisque omnibus, quæ intra prædictos fines tunc temporis habebantur*. Quæ quidem bona latissime patentia Monasterio concessa fuerunt juxta adnotata in eodem Chronico, *ut Religiosi ipsius cultui mancipati alimenta, & quibus tegerentur haberent*.

Idem autem Hostiensis tradit in Chronico, Arechium Beneventi Principem alia prædia Monasterio concessisse in territorio Gensianæ. Eodem autem Leone auctore, ejus filius Grimoaldus ejusdem Beneventi Princeps *per præceptum donationis concessit S. Benedicto universa dominicalia sua cum servis & ancillis in eodem territorio Gensianæ, & cellam S. Agapiti, portum quoque Trajectensem, & Vulturnensem, necnon & totam piscariam de Civitate Lesina cum ipsa foce sua*. Ibi etiam traditur, insequutis porro temporibus *Ildebrandum Spoleti Ducem Monasterio concessisse Curtem, quæ dicitur Castrillanum cum omnibus pertinentiis suis in Comitatu Pinnensi, & olivetum in Tronto, loco qui dicitur Turri: in Comitatu vero Marsorum, loco qui Paternus vocatur, Curtem quingentorum simul modiorum, & familias multas cum omnibus earum, necnon & aliquot Piscatores in lacu Fucino, cum portu ipsius lacus vocabulo ad Restina, sed & Gualdum suum nomine Cusanum*: necnon ulterius Siconem Beneventi Principem aliam Monasterio fecisse concessionem *de fluvio, qui dicitur Lauri cum omnibus limitibus, & pisceriis suis, & universis, quæ juxta*

ipsum

ipsum fluvium hinc & inde ad jus sui Palatii pertinebant.

In eodem quoque Chronico ingentes enarrantur aliæ concessiones Ecclesiarum, Castrorum, & latissimarum possessionum in Monasterium collatæ a Pipino, Carolo Magno, Lothario, & Ludovico. Indidem quoque constat, Ludovicum adhuc adolescentem Lotharii filium precibus interpellatum ab Abbate Bassatio, ut Italiam peteret, & ejus regiones tueretur adversus incursiones, & calamitates eis a Saracenis inferri solitas, eumdem, Italia statim petita, Saracenis debellatis, ac fusis, Beneventum venisse, inibi Longobardis accitis, inter Radilchisium, & Siconolsum, Beneventanum Principatum divisisse; eosdem divisionem a Ludovico factam executioni mandasse, inter se dividentes ipsas Ecclesias, Monasteria, Abbatias, quæ in cujusque territorio forent. Addit autem Chronista: *Hoc tamen Monasterium S. Benedicti, & Monasterium S. Vincentii extra sortem esse decreverunt, dicentes: Hæc Monasteria ad Nos minime pertinent, quoniam sub tutela & immunitate Dominorum Imperatorum Lotharii, atque filii ejus Ludovici constituta sunt.*

Præterea ibidem Chronista narrat, anno 884. Saracenorum opera Monasterium fuisse miris modis afflictum, combustum; ob damnum autem ei illatum, Monachis ab Athenulfo Beneventi Principe concessus fuit *Mons S. Eleutherii in Monasterio S. Mariæ de Cingla, pro pascuis videlicet animalium ipsius loci, necnon, & pro lignis faciendis ad diversas utilitates: fluvius etiam qui dicitur Ete ab ipso ortu suo usque ad fluvium Vulturnum, & deinceps ipsum Vulturnum, usque in pedem prædicti Montis S. Eleutherii, quemadmodum ad jus Palatii pertinuit, ad faciendum in ipsis quicquid ei Monasterio necessarium fuerit.* In eodem Chronico Leo addit, Guaimarium Salerni Principem eidem Monasterio concessisse *Curtem unam magnam in loco, qui dicitur Rota cum casis, & sylvis, & arbustis, vineis, & castanetis, servis quoque & ancillis, & cum omnibus eidem Curti ex integro pertinentibus, necnon medietatem Curtis in finibus Sarni, loco vocabulo Lanciaria*: deinceps vero Landulfum Principem largitionem Monasterio fe-

ciſſe

ciſſe *de terris*, *& fundis in Liburia*, *loco qui dicitur ad Treſone*, *cum aqua Saonis fluvii*, *& ceterarum aquarum cum ripis*, *& limitibus ſuis*.

In eodem Leonis Chronico traditur, anno 963. Imperatorem Othonem Monaſterio confirmaſſe bona omnia a deceſſoribus Principibus ei conceſſa: paucis etiam poſt annis ab Othone eidem conceſſum Monaſterium S. Angeli de Barregio cum cellis, & pertinentiis ſuis: anno quoque 1014. Caſinenſi Monaſterio Henricum Imperatorem iterum confirmaſſe prædicta bona, ac præſertim latiſſime patentia prædia ei conceſſa in Termuli Comitatu. Ibidem memoriæ proditur anno 1055. Principem Pandulfum juniorem eidem Monaſterio conceſſiſſe Caſtrum, cognomento *Saracenifcum*, in confinio Cominenſi cum adjacentiis, & pertinentiis ſuis: anno etiam 1084. a Nortmannis Principibus plurima retuliſſe dona, ac per eos ei conceſſum Monaſterium S. Philippi Imperialis Tarenti, Monaſterium S. Angeli Trojæ, S. Nicandri, & S. Anaſtaſii in Calabria, S. Nicolai in Selectano cum pertinentiis ſuis. Ibidem quoque liquet, Sigelgaitam Duciſſam cum conſenſu filii ſui Rogerii Monaſterio conceſſiſſe Cetrarum in Calabria cum portu ſuo, cum ſuis pertinentiis, & colonis inibi habitantibus, eum ipſum locum, quem dotis nomine acceperat a ſuo viro Roberto: anno quoque 1104. Riccardum II. Capuæ Principem ei conceſſiſſe Pontemcorvum; alioſque per id temporis Dynaſtas eidem contuliſſe alia Oppida & Caſtra; anno etiam 1108. Aquini Comitibus vi potitis Caſtro Terami Monaſterio pridem conceſſo, ejus defenſionem ſuſcepiſſe Robertum Principem Riccardi ſucceſſorem, atque expulſis Aquini Comitibus, ejus poſſeſſionem Monaſterio reſtituiſſe.

Complures aliæ Neapolitanorum Principum conceſſiones, & facta plura in eodem Leonis Chronico enarrantur, unde certo deduci poteſt, Monaſterium Caſinenſe veteribus Neapolitanis Principibus non tantum primam exiſtentiam ſuam acceptam referre oportere, ſed etiam reſtitutionem poſt excidium ſuum, & dotationem in Terris, Oppidis, Caſtris, la-

latifundiis, aliisque bonis ex Principatu decerptis. Eo accedit tutela Principum Monasterio præstita per ea tempora, quibus aut res Monasterii invadebantur, aut vis adversus ipsum parabatur. Et singulare ejus Monasterii respectu est, quod veteres Latini Imperatores, cum jure Summi Imperii in Italiam ejusque regiones utebantur olim, advertentes tot beneficia in ipsum per se collata, Monasterium appellitabant *Imperialem Cameram*, ejusque Monachos *Capellanos Romani Imperii* dicebant.

Sane in prædicto Chronico legitur, anno 1136. diffidentibus Monachis Casinatibus circa Abbatis electionem, electo per aliquos Abbate Rainaldo, qui fidelitatem promiserat Rogerio in Regnum recens advecto, & a quo ipsius electio confirmata fuerat; Monachi partis adversæ Lotharium Imperatorem Ravennam usque adierunt. Ibi eorum expostulationibus adversus electionem expositis, Chronista subdit: *Lotharius autem Imperator misericordia motus, necnon & memor, qualiter sub antecessorum suorum tuitione Cassinensis Ecclesia fuisset, multo magis tamen propter odium Regis Rogerii, quem Romano Imperio inimicissimum esse judicaverat, propensior erat apud prædictos Fratres, & juxta tenorem edicti, quod Pipinus, & Carolus Magnus statuerant, illos inter Capellanos Romani Imperii juxta morem antiquum constituit. Cumque Duces, Principes, ac Marchiones Imperii congregasset, beneficia prædecessorum suorum Cassinensi Cænobio concessa intimabat, & supradictum Raynaldum accusans, manifestum hostem Romani Imperii pronunciat, quoniam Abbatiam ab inimico Romani Imperii sibi confirmatam acceperat, neglecto ac contempto Imperatore, a quo Cassinensis Ecclesia Civitates, Castra, & omnes possessiones acceperat.*

Eodem pertinet, quod ibidem Leo Hostiensis addit, Lothario scilicet Neapolim profecto cum exercitu, cum Castra posuisset prope Melphium, præsente etiam Pontifice Innocentio, inde Imperatorem ad se venire jussisse Rainaldum Abbatem, sua tutela ei promissa; ita Abbatem excusso timore ad Castra venisse, a Principe humanissimo fuisse exceptum:

ceptum: & rem ex ejus juſſu ita fuiſſe geſtam: *Tunc Imperator cum ipſo, ac Fratribus, pro D. Benedicti amore magnificentiam oſtendit, moxque miſſo a latere ſuo Henrico Duce Baojariæ genero ſuo, & Rodulpho & Othone Palatinis Comitibus, ut tentorium, quod juxta Papilionem Pontificis ipſius juſſu fixum fuerat removerent, illudque juxta ſuum tentorium figerent, mandavit: aſſerens, cum Caſinenſis Eccleſia per Carolum Magnum, & Pipinum ſpecialis Camera ſit Romani Imperii conſtituta, nequaquam juſtum eſſe Capellanos Imperatoris (Monachos ſcilicet Caſinenſis Eccleſiæ) ab Imperatore ſeparari, ſed juſta eum ſuum tentorium figi debere, quod & factum eſt.*

Quæ hactenus ſunt enarrata non tantum Regium patronatum in Monaſterium Caſinenſe exploratiſſimum reddunt, ſed oſtendunt etiam, Neapolitanos Principes prædictum Monaſterium habuiſſe tamquam rem pertinentiæ ſuæ. Proinde Curiæ viſum, dubitari non oportere de redintegratione Regii patronatus per Promotorem Fiſcalem petita, qui ab ipſo Monaſterio in ſuo libello ſupplici ad Principem eſt declaratus. Nunc, quod ſupereſt, videamus de Abbatis electione, quem quoque articulum petitio Promotoris Fiſcalis complectitur.

Primum omnium ſatis conſtat, in dubium revocari non poſſe jura Patroni Principis in Abbatis electione ſi de Eccleſiis Conventualibus agatur, idque ipſarum rerum in hac ipſa Curia judicatarum auctoritate liquet. Enim vero in præſenti controverſia Curia advertit. Monachos Caſinenſes ſupplici libello ſuo a Principe petiiſſe, ut nullo cum Regii patronatus præjudicio, nihil innovaretur contra receptum inſtitutum Congregationis Caſinenſis, S. Juſtinæ Patavinæ dictitari ſolitæ. Secundum illud invaluit, ut Abbates Monaſteriorum omnium, ex quibus Congregatio conſtat, non a ſingulis quidem Monaſteriis eligantur, ſed ab ipſis Comitiis generalibus, in quæ ritu recepto coeunt Abbates Monaſteriorum omnium, & Præſes Generalis Ordinis Caſinenſis. Principi expoſuerunt, ejuſmodi inſtitutum mirum in modum pacem Monaſteriorum juviſſe, & Monaſticæ diſciplinæ ob-

fervantiam confervaffe ; id ipfum obtinuiffe hactenus , ita nufquam fuiffe turbatam quietem Ordinis ; ob ejus inftituti utilitatem fcilicet, & effectus optimos inde profectos, Regem Ferdinandum Catholicum Diplomate fuo anno 1515. ratam habuiffe unionem Monafteriorum Regni cum prædicta Congregatione , & in tutelam fuam recepiffe Congregationem S. Juftinæ Patavinæ mox Cafinenfem appellatam , & generatim in Regno introductam . His tandem addiderunt, in fententiis Curiæ de redintegratione Regii patronatus in Averfanum Monafterium Divi Laurentii , & S. Michaelis Archangeli Montis Caveofi ejus Congregationis, ob prædictas caufas annuente Principe placuiffe , ut in præfenti rerum ftatu a veteri Congregationis ritu non recederetur in Abbatis electione. Exemplo igitur rerum alias ita judicatarum Principem rogaverunt, ut in Cafinenfi Monafterio idem obfervaretur. Princeps autem pientiffimus Regiis fuis literis Curiæ præcepit , ut præ oculis haberet fententias fuas de prædictis Monafteriis Cafinenfibus evulgatas, eifque in præfenti controverfia uteretur , prout æquius melius videbitur.

Divalium igitur Refcriptorum fententia infpecta, Curia cenfuit in eo rerum habitu, quod ad formam electionis Abbatis , neque quicquam innovari , neque ea in re a veteri Congregationis inftituto recedi oportere. Enim vero ne ufquam jura Principis detrimentum capiant in ipfius proprio Monafterio, id ipfum fervari vifum, quamdiu Principi placuerit. Proinde integrum ei fit in pofterum uti juribus, quæ in Abbatum electione ad Principem Patronum pertinent , fi futuræ rerum vices id aliquando fuaferint. At vero dum fervatur vetus Congregationis forma , ante Abbatis Cafinenfis electionem Principis requiratur affenfus , eadem fequuta a Principe confirmetur; Abbas igitur munus fuum fufcipere nequeat, nifi ejus electio a Principali Numine confirmata fuerit . Quapropter Curia Illuftrifs. & Reverendifs. Capellani Majoris , cum voto Domini Regii Confiliarii D. Dominici Potenza , ordinarii Confultoris ejufdem , ita pronunciavit : *Cafinenfe Monafterium vetuftiffimum Fratrum Benedictini Ordinis*

nis, magnifice extructum a veteribus Neapolitanis Principibus, atque eorum liberalitate opulenter dotatum ipsius Principatus bonis, fuisse, & esse Regii patronatus; proinde Regiam Coronam redintegrandam, sicut præsenti sententia redintegratur, tam in patronatum ipsius Monasterii, quam suarum Ecclesiarum, cellarum, Granciarum, obedientiarum, feudorum, Castrorum, prædiorum, jurium, prærogativarum, quæ quocumque modo ad Monasterium pertinent; cum jure ad Principem pertinente, nempe ut ante Abbatis electionem Regius requiratur & obtineatur assensus, neque electio firmitatem obtineat, nisi a Principe confirmata fuerit, & cum reliquis enunciatis juribus ad Principem Patronum pertinentibus. Ut autem ea in re Majestatis salva sint jura, Casinense Monasterium describatur in libris Curiæ inter reliqua Monasteria, in quæ jus patronatus ad Principem pertinet.

In causa redintegrationis Regii patronatus in Cathedralem Ecclesiam Thursi, & Anglonæ. Die 10. Junii 1785.

Opulentæ largitiones ex bonis a Principatu decerptis Regii patronatus fundamentum sunt.

Franciscus Antonius de Simone causarum Patronus, prævia felicissimi Regis Ferdinandi venia, in Curia Capellani Majoris libello petiit, ut in Cathedralem Ecclesiam Thursi, & Anglonæ Regius patronatus redintegraretur. Proinde citationibus per edictum expediri solitis judicium denunciatum fuit generatim omnibus, quorum interesse fortasse posset, & speciatim Episcopo: quamvis neque Episcopus, neque alii se judicio stiterint. Contumaciis igitur de more incusatis, ac termino probationibus præstituto, in eo insequentia producta sunt monumenta, unde Regius in prædictam Ecclesiam patronatus facile evinci possit.

Ad Fisci causam adprobandam allegatum primo fuit Rescriptum Guilelmi II. ann. 1164., quo prædictæ Ecclesiæ ab eo constituta dos fuit concessione Nucaræ feudi nobilis *cum omnibus tenimentis, & pertinentiis suis*, cujus hodiedum possessio est penes prædictam Ecclesiam. In ipsa vero concessione ab eodem Principe cautum, *ut Anglonæ Ecclesia sub protectione culminis nostri rerum suarum, & securitate vigeat, & incremento.* Ddd 2 Aliud

Aliud insuper Diploma Friderici II. fuit exhibitum, primo Imperii sui anno editum, insertum in Privilegio confirmationis Reginæ Joannæ I., ejusque conjugis Ludovici. In eo memoratus Imperator primo edicit; *quod nos intuitu divinæ retributionis, & pro remedio animarum felicium Regum prædecessorum nostrorum, felicisque memoriæ Divi Imperatoris patris nostri, intuitu etiam Beatæ Virginis, in cujus nomine Anglonensis Ecclesia noscitur esse fundata, ipsam Ecclesiam cum omnibus bonis suis sub protectione culminis nostri recipimus*. Deinde ei concedit ipsum Anglonæ Oppidum cum tenimentis, & pertinentiis suis, ejus finibus in Diplomate suo accurate descriptis. Ei quoque concessit homines in Oppido Thursi, & S. Archangeli, & immunes declaravit Anglonensem Ecclesiam, & Prælatos suos, hominesque, & vassallos Anglonæ, ejusque Diœceseos *ab omnibus servitiis, taliis, collectis, & exactionibus Curiæ nostræ, & successorum nostrorum, Justitiariorum, Castellanorum, Bajulorum, & omnium Officialium nostrorum, & successorum nostrorum, Comitum, & Baronum, & nihil nobis, & successoribus nostris in prælibatis ejus hominibus, & vassallis ipsius penitus reservantes, præter judicium sanguinis, & quod nobis, & successoribus nostris homagium facient, & juramentum præstabunt fidelitatis*. Ea autem Friderici concessio in partibus suis omnibus per Reginam Joannam I., ejusque conjugem Ludovicum confirmata fuit Diplomate ann. 1352.

Productum præterea est Privilegium Ferdinandi I. Aragonii ann. 1468., quo is ab Episcopo precibus interpellatus ei concessit, ut Anglonæ jus esset quotannis celebrari *nundinas rerum venalium* per dies octo incipiendas a vigilia die Natalis B. Virginis, ita addens in Diplomate suo: *quas quidem nundinas prædicto modo futuras francas esse volumus, & exemptas ab omni onere doganæ, & cujuslibet alterius servitutis*.

Denique, ut omittam alia, exhibitum in judicio est aliud Privilegium Caroli V. ann. 1518., quo confirmavit Episcopali Ecclesiæ Anglonensi concessionem Civitatis Anglonæ cum tenimentis, prædiis, & pertinentiis suis in supe-

perioribus Privilegiis memoratis, ita edicens, *ac omnia alia, & singula in prædictis Privilegiis, ad quæ nos referimus, ac volumus hic haberi, & habemus pro sufficienter insertis, ac si de verbo, ad verbum essent inserti, laudamus, & approbamus, ratificamus, & confirmamus, ac quatenus opus sit de novo concedimus*.

Præterea allegata sunt in judicio documenta, unde liquet, Anglonenses Episcopos eis Privilegiis in judicio usos esse, ea recognosci, & verificari curasse, atque in jure probasse, prædictarum concessionum vigore Anglonensem Ecclesiam possedisse, ac possidere Anglonæ feudum, ac per feudum ipsum exercuisse omnimodam jurisdictionem, excepto sanguinis judicio, ac facultatem quotannis eligendi Nundinarum Magistrum, & omnia alia jura, exemptiones, & immunitates, quæ in prædictis Privilegiis continentur.

Eæ opulentæ largitiones per Neapolitanos Principes in Thursi, & Anglonæ Ecclesiam collatæ ex bonis e Principatu decerptis, cujusmodi fuerunt Nucaræ feudum, & Anglonæ Civitas, cum concessione jurisdictionis, exemptionum, & immunitatum, quæ tantum a liberalitate Principum proficisci possunt, Regii in prædictam Ecclesiam patronatus fundamentum sunt, atque de eo dubitari non sinunt. Nam, & jus civile, & ipsi beatioris ætatis Canones patronatus in Ecclesias illis addici jubent, qui eas de suo dotarint. Dos autem Anglonensis Ecclesiæ in feudis potissimum est constituta, quæ per decessores Neapolitanos Principes ab ipso Principatu sunt delibata. Inde factum quoque, ut Anglonenses Episcopi, & opulenta alimenta sibi pararint, & Regni Barones evaserint. Proinde Curiæ visum de Regio in prædictam Ecclesiam patronatu dubitari non oportere. Quapropter Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza, Consultoris ejusdem, omnibus accurate perpensis ita pronunciavit: *Episcopalem Ecclesiam Thursi, & Anglonæ, a Neapolitanis Principibus opulenter dotatam, fuisse & esse Regii patronatus, ac propterea Regiam Coronam redintegrandam esse, ut præsenti sententia*

tentia redintegratur in patronatum prædictæ Ecclesiæ cum bonis suis omnibus, feudis, jurisdictionibus, juribus, prærogativis, & pertinentiis, ac cum facultate ad Principem, ejusque in Regno successores pertinente eligendi, ac nominandi Episcopi in singulis vacationibus, & cum aliis juribus, quæ ad Principem patronum leges, & mores deferri jubent. Prôinde ne jura Regia aliquando detrimentum patiantur, prædicta Ecclesia referatur in libros Curiæ inter alias Cathedrales Ecclesias, in quas jus patronatus Principi competit.

In causa particularium Civium Montis S. Angeli super Regio jure patronatus Basilicæ S. Michaelis Archangeli Montis Gargani cum Rev. Archiepiscopo Sipontino. Die 7. Septembris 1785.

Si pro privatorum jure patronatu in Ecclesias adquirendo legitimi modi sunt dotatio, ac fundatio; magis hæc vim habent, cum de Regio jure quæstio est; præsertim vero si eversas Ecclesias Principes restituerint in pristinum.

Cum nonnulli particulares Cives Civitatis S. Angeli Montis Gargani insisterent pro redintegratione Basilicæ, sive Collegiatæ Ecclesiæ dictæ Civitatis, & pro inhibitione collationum Canonicatuum contra decretum per Curiam Capellani Majoris sub die 26. Aprilis præteriti anni 1784. interpositum, quo fuit ordinatum, quod super omnibus hinc inde deductis, & prætensis in biduo audiantur Partes, & interim citra præjudicium judicii moti pro prætensa redintegratione Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Civitatis Montis S. Angeli ad Regium patronatum, Rev. Archiepiscopus Sipontinus utatur pro nunc suo jure in conferendis Canonicatibus dictæ Collegiatæ Ecclesiæ, quoties casus vacationis occurrerit, donec judicium prædictum fuerit expletum.

Et datus fuerit Judex appellationis Dominus Miles U. J. D. D. Franciscus Peccheneda Regius Consiliarius per S. R. M. specialiter deputatus, fuit provisum pariter, & decretum: *Bene appellatum pro parte Civium Civitatis S. Angeli, & male judicatum per Curiam Rev. Capellani Majoris in dicto ejus decreto, ideoque declaratum est, prout præsenti definitiva sententia declaratur, Basilicam, sive Collegiatam Ecclesiam sub titulo S. Michaelis Archangeli Civitatis S. Angeli Montis Gargani, fuisse & esse Regii juris patronatus, ac proinde redin-*

redintegrandam esse, prout præsenti sententia redintegratur, Regiæ Coronæ cum omnibus bonis, juribus, prærogativis, jurisdictionibus, pertinentiis, immunitatibus, Regalibus, aggregationibus, ac integro statu, & cum jure eligendi per S. R. M. dignitates, & Canonicos Ecclesiæ prædictæ, quoties casus vacationis extiterit, atque describendam esse inter alias Ecclesias patronatus Regii.

Etenim Basilica sub invocatione S. Michaelis Archangeli in Monte Gargano constructa, quæ & ipsa Regium sive Imperiale nomen præsefert, an sit juris patronatus Regii, quæsitum est. Advocatus Regiæ Coronæ pro Regio jure exequutive procedi contendit, denegante Sipontino Archiepiscopo. Hinc in judicio appellationis re mature perpensa, jus Regium ex scripturis apud acta exhibitis vindicandum, ac sarctum tectum servandum esse dilucidis documentis firmatum est.

Explorati autem juris est pro privatorum in Ecclesiis jure stabiliendo inter legitimos juris patronatus adquirendi modos fundationem, aut dotationem, sive etiam ditationem recenseri. Hinc Justinianus Imperator *Nov.* 57. *cap.* 2. eum habuit pro Ecclesiæ fundatore, aut dotatore, *qui ædificans Ecclesiam, aut etiam aliter expendens in ea ministrantibus alimenta, voluerit aliquos Clericos statuere.*

Ædificationis autem nomine contineri reædificationem collapsæ, sive dirutæ Ecclesiæ, ac præstationem alimentorum Ecclesiæ Ministris dotationis etiam nomine contineri, tum res ipsa, tum Legislatoris verba aperte demonstrant, ac proinde uno, vel altero hujusmodi titulo accedente, jus patronatus ex justitia deberi, manifestum est.

Quæ quum ita sint, si de Privatorum jure patronatus vindicando ageretur, ea quæ in præsenti causa confluunt argumenta, satis superque jus Privatorum firmarent.

Quamvis enim memoriæ proditum sit, ab anno usque reparatæ salutis 663., Basilicam, de qua agitur, penitus eversam fuisse, eamque a Principibus Longobardis in pristinum statum restitutam, atque adfirmari merito possit, ab ea

ea usque ætate jus patronatus successoribus Principibus ex justitia deberi; attamen posthabito, quod profluit ab Historicis, argumento, luculentissime patet ex Diplomate Ludovici II. Imperatoris, Basilicam Garganicam pene desertam ab ipso Imperatore instauratam anno 868., bonisque, ac juribus Regalibus dotatam fuisse.

Nam Ludovici Diploma ab ipso Archiepiscopo Sipontino apud acta exhibitum ea continet, quæ hoc ipsum luculenter demonstrant.

Imperialis Diplomatis hæc sunt verba: *In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Eterni. Ludovicus divina ordinante Providentia Imperator Augustus. Dum pro variis temporum adversis plurima bedificiorum, & alia quedam pertinentia Ecclesie S. Michaelis, que Deo Auctore sita est in Monte Gargano, vidissemus deserta & ruinosa seu dissipata, ne tam famosior Oratorii honor, cultusque vilesceret, ac debita veneratio per incuriam deperiret, divine inspirationis nutu compuncti pro Dei, & S. Michaelis amore, nostreque dilectissime conjugis Angilberge, ac prolis omnisque parentele nostre, necnon salute perpetua; pro nostri etiam statu Imperii, omniumque nostrorum sospitate, ac prosperitate, concessimus in eandem Venerabilem Ecclesiam, cui Ajo Beneventanus Episcopus preesse videtur, ipsum Castellum, ubi jam dicta sacrosanta Ecclesia sita est, una cum omnibus gastaldianis ibi commanentibus exceptis Ser . . . do . . . & servis singulorum hominum, ut amodo, & deinceps omnes perpetuis temporibus salva sua libertate sint sub defensione ipsius Ecclesie, quatenus a nullo unquam Castaldio, vel quolibet publico actionario, seu ministeriali molestentur, aut pensionem, aut censum, aut xenia dare, aut quamcumque angariam facere, aut in exercitum ire cogantur, sed sint semper securiter sub cura, & defensione omnique obedientia ipsius sacratissimi Oratorii, ut quod ad Gastaldeos vel in publicam exactionem persolvere debent, hoc persolvant in ipsum sanctum locum, secundum voluntatem, & ordinationem Beneventani Pontificis, sive in pensione, seu in xeniis, & censu, vel angariis, & pro ipsa defensione, quando cogantur a Gastaldio, vel quolibet Actionario publico ire in exercitum,*

citum, ſint in obedientia ipſius ſancti Oratorii ad reſtaurandum, & cooperandum queque illic neceſſaria eſſe paruerint interius, exteriuſque, juxta voluntatem, & preceptionem Beneventani Pontificis, vel eorum, qui ab ipſo ibi preordinati fuerint; ita ut ipſis tantummodo, & nulli alteri ſint ſubditi, ſive ad penſionem cenſumque, ſeu conſueta xenia dandum, ſeu angarias rationabiliter perſolvendum, & ſicuti dictum eſt, ſalva ſua libertate in omnibus obediendum, ut & ipſi ſub hac defenſione quieti permaneant, & prefato ſancto loco per eos debitus honor accumuletur, ſive per congruas exactiones, ſeu per neceſſarias operationes, & devotas obedientiat, dum ea exhibent in ipſo ſancto loco, quæ Gaſtaldiis, ſeu publicis exactoribus ſoliti fuerant exhibere. Et ut nullus Judex, aut Scabinus, nullus Exactor publicus, aut Actionarius quolibet modo, nulluſque omnino Gaſtaldius in prefato ſancto, ac venerabili loco placitum ullo modo preſumat tenere, noſtra preſenti funditus interdicimus Imperiali preceptione. Quam noſtre preceptionis, atque conceſſionis immunitatem, quia in perpetuum volumus inviolabilem permanere, ideo ex noſtre poteſtatis auctoritate firmiter cenſemus, ut ſi quis contra eam quolibet modo agere temptaverit, vel quicquam inde violare preſumpſerit, non ſolum id, quod violaverit, reſtituendo reſtauret, ſed etiam XXX. libras auri puriſſimi in ipſo ſancto loco invitus perſolvat, quatenus hec noſtra conceſſio ſemper firma, & ſecura perſiſtat; pro qua videlicet inconcuſſa noſtre pie devotionis conceſſione volumus, ut omni tempore per ſingulos dies pro nobis, noſtraque dilectiſſima conjuge, ac prole, omnique parentela, illic Miſſa canatur, & die, noctuque ſemper per ſingulas officiorum horas ter cum propria Oratione Kyrie eleyſon *dicatur, & in Matutinorum expletione* Deus miſereatur noſtri, *ac hore tertie* Deus in adjutorium meum, *ſeu Completoriorum*, De profundis *ubi, & ubi eternaliter decantentur. Porro, ut hec noſtre conceſſionis immunitas ab omnibus veriſſima credatur, & inviolabilis conſervetur, propria manu eam firmavimus, & bullis noſtris roborari pariter precepimus. Signum ſereniſſimi Auguſti Domini Ludovici, Ego Ganginus Sacerdos, ac Capellanus juſſu ſereniſſimi Auguſti Domini Ludovici ſcripſi. Acta Beneventi Ci-*

vitate. Datum IIII. Kal. Junii anno Christo propitio Imperii Sereniſſimi Auguſti Domini Ludovici XX. Indictione IIII. feliciter.

Ex his Diplomatis verbis patet, locum ipſum adeo deſertum, & ruinoſum, ſeu diſſipatum, ut nonniſi Principis accedente ſubſidio, in priſtinum ſtatum reduci nequiret, ac proinde Imperator, quum ad eam formam Baſilicam S. Michaelis reduxerit, quæ pro cultu innovando omnino neceſſaria erat, jure ipſe merito fundatoris nomine habendus eſt.

Accedit, quod Imperator ipſe in eodem Diplomate non modo Caſtellum cum omnibus Caſteldianis, ſed etiam immunitates, ſive ampliſſima bona, & jura fiſcalia, quæ in Diplomate recenſentur, a ſola Majeſtate profecta in ſacratiſſimum Oratorium Imperiali munificentia contulit, nempe ſummum ex Principatu pretium conceſſit, delegata propterea Beneventano Pontifici facultate eorum, quæ *interius, exteriuſque ad reſtaurandum, & cooperandum* neceſſaria erant. Quod quippe non alia de cauſa, quam pro ſubſtentatione ipſius Eccleſiæ, ac Miniſtrorum, ac pro cultu in poſterum ſervando ab illis uſque temporibus fuit conſtitutum.

Præterea ex Diplomatis ſententia evincitur, Imperatorem ea omnia Garganicæ Eccleſiæ contuliſſe, *ne tam famoſior Oratorii honor, cultuſque vileſceret, ac debita veneratio per incuriam deperiret.* Si igitur hujuſmodi munimine Oratorii honor, cultuſque Eccleſiæ inſtauratus, ac modis omnibus abſolutus viguit, ejuſque ſtatus redintegrationem nonniſi Imperatori acceptam retulit, jus patronatus ſucceſſoribus Principibus omnino ex juſtitia deberi tum jura, tum Canones ipſi proclamant.

Jus enim patronatus inductum eſt tum aliis rationibus, tum illa præſertim, quam proferunt Canoniſtæ, ne Eccleſia, *in qua non eſt nec ruga, nec macula*, ingrati animi vitio laborare videretur. Sane Franciſcus de Roye *Proleg. ad tit. de jure patron. cap.* 3. *pag.* 11. ait: *Jus patronatus introductum ex virtute gratitudinis, ut nempe ita in perpetuum teſtetur Eccleſia, quantum ſuis fundatoribus debeat, ut ita fugiat in-*

ingratitudinis vitium, in qua nec est ruga, nec macula, ut ita perpetuum sanctæ liberalitatis suæ monumentum iis relinquat; sicque fundatores Ecclesiarum in iis jus patronatus habent, quasi ἀντίδωρον, quasi aliquam remunerationem suæ pietatis, & justissimum munificentiæ suæ symbolum in Ecclesiam.

Est & illud in Diplomate Ludovici II. præceptum, nempe ut perenne servitium in Oratorio Garganico expleatur, atque adsiduum in eo ministerium exerceatur, idque pro se, conjuge, prole, atque conjunctis; scilicet, ut *omni tempore per singulos dies illic Missa canatur, & die noctuque semper per singulas officiorum horas* preces sigillatim descriptæ *æternaliter decantentur*. Quæ quidem omnia illius temporis moribus, & disciplinæ consentanea sunt, ac fundatoribus Ecclesiarum apprime conveniunt. Peculiari quippe modo Imperator antiquissimum, ac celeberrimum illud Oratorium desertum, ruinosum, ac pene deperditum, postquam Imperiali munificentia in pristinum honoris statum, cultumque reduxerit, sibi, suisque addixit, ut sacrum solemne quotidie, & preces per singulas Officiorum horas diu noctuque, ut mos erat, solemni ritu ab Ecclesiæ ministris celebrentur: ita tamen ut sibi uni Imperator jure merito vindicarit; atque eo modo Oratorium suum, ac suorum asseruit, ut ibi pro se, suisque omni tempore per singulos dies Missa canatur, perinde ac si Basilica, sive Imperialis Capella & esset, & haberetur. Quo itidem factum est, ut deinceps honor Oratorii pro ipso honore Montis S. Angeli acceptus esse videatur.

Hactenus dicta anno reparatæ salutis 868. peracta sunt; anno nempe imperii Ludovici II. vigesimo, juxta stylum, qui adhuc sæculo IX. vigebat; ac proinde ab hoc uno monumento titulus juris patronatus aperte colligitur. Et palam est, jus patronatus Regiæ Majestati semel ex justitia debitum, & in Corona; ut ajunt, incorporatum, nulla temporum injuria, nulla Magistratuum oscitantia diminui aliquando, aut deleri posse: quodque postea innovatum est, veteri Regio patronatui fraudi esse non debet; quemadmodum sæpe alias ipsamet Curia definivit.

Verum poſt tot harum Regionum viciſſitudines, ac deperdita monumenta illud eluxit ſæculo XIV., ut Joanna Ducissa Dyrrachii, Regni Albaniæ, & honoris Montis S. Angeli Domina, Archidiaconum, Archipresbyterum, Primicerium, & omnes & ſingulos Canonicos Garganicos in numerum Capellanorum domeſticorum reciperet, atque aggregaret, hiſce verbis, nempe: *in Capellanos, & familiares noſtros domeſticos recipimus, & aliorum Capellanorum, & familiarium noſtrorum domeſticorum numero, & conſortio aggregamus*: quæ quidem verba aperte demonſtrant, Joannam Oratorium Garganicum, ſive ejuſdem Capitulum domeſtico Oratorio ſuo, ſive Miniſtris Palatinæ Capellæ cooptare, unire, atque aggregare voluiſſe. Nunquam enim interdicta Principibus facultas uniendi non capellanias modo, ſed etiam poſt beneficia invecta, beneficia ipſa, quæ pleno jure ipſis Principibus conferendi jus faſque eſſet. Joannæ Diploma tum a Ludovico ejus viro honoris Montis S. Angeli Domino ann. 1376., tum a Regina Margarita ann. 1400., tum denique a ſereniſſimis ſucceſſoribus Alphonſo, Ferdinando I., & ab Imperatore Carolo V., cujus archetypum apud acta exhibitum eſt, ſigillatim confirmatur.

Illud etiam prætereundum non eſt, ſereniſſimos retro Principes titulo dominii honoris Montis S. Angeli inſignitos ea potiſſimum de cauſa, quod Oratorium Garganicum fama atque honore ceteris anteiret, quod quidem tum ex illis verbis eruitur Ludovici II. Imperatoris, *ne tam famoſior Oratorii bonor, cultuſque vileſceret*, tum ex aliis, quæ ſuperſunt, ſequiori ævi monumentis. Quapropter obſervandum eſt, quod ſicuti *dominum* pro *patrono*, ac *dominium* pro *patronatu* antiqui Canones idcirco accepere, quod fundatores poſt collata bona in Eccleſias, *domini* conſenſum perpetuo retinerent; ita patet uſuveniſſe Joannæ, ac Ludovici Principum ætate, quorum illa libere uſa eſt jure *dominii*, ſive *patronatus* in uniendo Capitulum Garganicum ſuæ Palatinæ Capellæ, hic, quod uxor ſtatuerat, confirmavit; poſteaque ſucceſſores omnes ad Carolum V. uſque id ipſum ratum,

fir-

firmumque habuere: atque exploratiſſimum eſt, ea, quæ tum Regiæ ſtirpis Principibus delata fuerunt, in Regum tandem omnimoda poteſtate, ac dominio coaluiſſe. Qua de re quum vis, ac poteſtas Principatus in eo poſita ſit, ut vere dictum videatur, *Regalia vindicandi æternam eſſe auctoritatem*, fieri nequit, ut tam præclarum Oratorium, ejuſque Capitulum, & Canonici Patrono Principi non ea conferant, quæ privatis patronis nunquam jura, ipſique Canones denegarunt.

Supereſt, ut ea perſequamur, quæ ipſa Joanna *Honoris* Montis S. Angeli *Domina*, aliique Principes in Oratorium Garganicum contulerunt. Joanna in eodem Diplomate ſuo aliam conceſſionem complexa eſt his verbis: *Volentes earundem tenore præſentium eiſdem noſtris Capellanis ad gratiam ampliorem, quod de quolibet rotulo quarumcumque rerum venalium, & vini octava qualibet venditoribus rerum ipſarum, in Terra ſcilicet Montis S. Angeli, & ejus pertinentiis tornenſem unum minus quam alii Sæculares ementes utenſilia ipſa, & omni debeant exhibere, & ut dicti noſtri Capellani non priventur dictæ gratiæ noſtræ fructu*.

Anno vero 1376. Ludovicus Dux Dyrrachii ad preces Abbatis Angeli Primicerii Garganici, quem vocat devotum Capellanum & oratorem noſtrum, pro parte Canonicorum conſortiorum ſuorum Joannæ uxoris donationem confirmavit his verbis: *uſque ad noſtræ beneplacitum voluntatis gratiam cum ſubſcripta modificatione ejuſdem Canonicis, & non aliis Clericis duximus de certa noſtra ſcientia concedendum, quod prærogativa præfata ipſorum Canonicorum quilibet rotulum unum cum dimidio carnium, caſei, vel piſcium, octavas vini tres per diem habeant, & non ultra, & ſi majorem quantitatem emere voluerint, emant pretio, quo merces communiter venduntur intra præſentibus, durante ipſo noſtro beneplacito, & non ulterius valituris.*

Accedit, quod Regina Margarita Duciſſa Dyrracchii, & Regni Albaniæ, & honoris Montis S. Angeli Domina anno 1400. Diplomate ſuo gabellam, uti vocant, Atrii a Joanna ſorore ſua Capitulo, & Canonicis Garganicis donatam confirmavit, ac de novo conceſſit. In quo quippe Diplo-

plomate adnotanda sunt hujusmodi verba: *Sane pro parte Venerabilium virorum Canonicorum, & Capituli Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli de Civitate nostra Montis S. Angeli Capellanorum oratorum, & devotorum nostrorum fuit M. N. humiliter expositum, qualiter dudum Ill. Joanna Ducissa Duratii soror nostra carissima agens in humanis confisa de fide, & legalitate viri nobilis Judicis Matthæi Pulderici tunc sui, & nunc nostri Capitanei, & Castellani dictæ Terræ Consiliarii, & fidelis nostri dilecti Judici Matthæo concedendis de juribus, rebus, & bonis Curiæ dictæ Ducissæ quibuscumque personis benemerentibus, & mea quantitate sibi visis concessit per literas suas licentiam, & plenariam potestatem, prout in literis Ducissalibus sibi proinde factis pleuius continetur. Qui Judex Matthæus vigore dictarum Ducissalium literarum pro remissione peccaminum, & salute animæ dictæ Dominæ Ducissæ proinde agens Gabellam Atrii dictæ Terræ nostræ Montis S. Angeli, illiusque jura, fructus, redditus, & proventus, quæ consistunt in imaginibus præfati S. Michaelis Archangeli, eisdem Canonicis, & Capitulo intuitu personarum ipsorum pro anima ipsius Dominæ Ducissæ in perpetuum dedit, donavit pariter, & concessit, sic equidem, quod de dicta gabella Atrii, & juribus ipsius Archiepiscopus Sypontinus præsens tunc, & futuri, se non haberet de dictis juribus impedire . . . . . . Gabellam Atrii dictæ Terræ Montis S. Angeli, cum juribus, redditibus suis, omnibusque tenore præsentium de certa nostra scientia confirmamus, ipsisque Canonicis, & Capitulo præfatam gabellam Atrii, illiusque jura, fructus, redditus, & proventus pro anima dictæ Dominæ Ducissæ, & nostra, & prædecessorum nostrorum de novo damus, concedimus, & donamus.*

Deinde subdit: *Concedentes eisdem Canonicis, & Capitulo horum serie, & de dicta nostra scientia plenariam potestatem, quod possint, & valeant* gabellam *hujusmodi, illius jura, fructus, redditus, & proventus quolibet scilicet anno* vendere, locare, *& ad extaleum concedere quibuscumque personis, illam, & illa emere volentibus plus exinde offerentibus pro eo pretio, quo fieri poterit, meliori, præmissis subhastationibus, & servatis*

tis solemnitatibus, aliisque, quæ in venditione gabellarum & jurium fiscalium requiruntur, & solitæ sunt servari.

Hic opportune adnotandum est, Reginam Margaritam, quæ uxor fuerat Caroli III. Dyrrachinensis, ac mater Ladislai Regis, ea omnia jura adquisivisse, quæ Joannæ sororis erant, ac Ludovici Principis; proindeque Canonicos Garganicos, uti Capellanos Regios, ac Capellæ Palatinæ cooptatos, ipsam Reginam hoc suo Diplomate agnovisse.

Tum anno 1403. Rex Ladislaus Caroli III. genitoris sui concessionem Canonicis, & Capitulo Garganico factam confirmavit his verbis: *Dudum siquidem claræ memoriæ Dominus Carolus III. dictorum Regnorum Rex genitor habens, & gerens specialis devotionis affectum ad Capitulum, & Canonicos sacrosanctæ Basilicæ B. Michaelis Archangeli in Monte Gargano eisdem Canonicis, & Capitulo annuam provisionem unciarum duodecim de carolenis argenti ponderis generalis exsolvendum eis annis singulis in, & super juribus, redditibus, & proventibus Dobanæ salis, ac membrorum Civitatis Manfredoniæ pro vita, & substentatione dictorum Capituli, & Canonicorum eleemosinaliter contulit, & concessit, prout in literis dicti Domini Regis Caroli genitoris nostri tam gratiosis, quam exequutoriis hæc, & alia plenius, & seriosius continentur . . . . Nos enim ad dictam Basilicam, & ejus Capitulum, & Canonicos devotionem, & similem habentes affectum prædictam provisionem annuam super dictis juribus, fructibus, redditibus ipsius Dobanæ salis, & membrorum dictæ Civitatis Manfredoniæ, prout in prædictis paternis literis continetur: necnon & ipsas literas tam gratiosas, quam exequutorias in nostra Curia originaliter præsentatas, quarum tenorem haberi volumus præsentibus pro expressis, harum serie de certa nostra scientia confirmamus, ac nostræ auctoritatis, & potestatis præsidio communimus. Itaque per hujusmodi nostræ confirmationis literas ipsa provisio annua in dictis Canonicis, & Capitulo perpetuo sit fructuosa, stabilis, & realis, sine diminutione quacumque.*

Privilegia enunciata nempe Reginæ Margaritæ, Ladislai, & Ludovici Ducis Dyrrachii ab Alphonso Rege anno 1443.

1443. confirmata fuere, & de novo concessa.

Tandem Ferdinandus I. Alphonsi Regis Privilegium cum insertis in eo Privilegiis Reginæ Margaritæ, Ladislai, & Ludovici Ducis Dyrrachii, quos vocat prædecessores nostros, anno 1457. confirmavit his verbis: *Omnes, & singulas concessiones, immunitates, donationes, exemptiones, francbicias, libertates, literas, Privilegia, & quascumque alias gratias per supradictos retro Principes prædecessores nostros concessas, & concessa, comodum, utilitatem, & beneficium ipsorum Capituli, & Canonicorum concernentes . . . . . . eo modo, & forma, quibus melius usi sunt, & eatenus, quatenus in possessione persistunt, tenore præsentium de certa nostra scientia deliberate, & consulto, ac gratia speciali confirmamus, ratificamus, & adprobationis munimine roboramus.* Addidit præterea: *Omnibus, & quibuscumque subditis nostris auferimus potestatem sculpendi, & fingendi imagines plumbeas ad similitudinem S. Angeli.*

Quod quidem Privilegium fuit impetratum a Blasio Loca de Asculo Primicerio Garganico, quem Rex Capellanum nostrum vocat tum initio Diplomatis, tum in calce ejusdem ubi leguntur hæc verba: *quia per dictum Donnum Blasium Loca de Asculo Primicerium, & Capellanum nostrum nomine Canonicorum, & Capituli &c.*

Tandem Carolus V. Imperator Privilegia omnia Capitulo Garganico concessa, & a Regia Camera prius recognita anno 1536. Imperiali auctoritate firmavit, ac de novo concessit; atque in posterum decreto Collateralis Consilii anno 1690. definitum est, *quod eadem Privilegia exequantur juxta eorum seriem, continentiam, & tenorem. Pro nunc vero tam pro annuis ducatis septuaginta duobus ipsi solvi solitis a Regiis salinis Civitatis Baruli, quam respectu probibitionis vendendi statuas, aliasque imagines dicti Archangeli in dicto Monte absque licentia ejus Reverendi Capituli.*

Quæ quum ita sint, liquido patet, post temporum vicissitudines sæculo labente XIV., non aliunde Ministris Ecclesiæ Garganicæ alimenta quæsita, quam a successoribus Principibus, nempe a Dyrrachiensi Carolo III. qui ab anno 1382.

1381. ad annum 1386. regnavit; idque his conceptis verbis: *pro vita*, *& substentatione Capituli*, *& Canonicorum*, quæ quippe bona Fiscalia pro illius Ecclesiæ Ministris alendis collata sunt eleemosynaliter, scilicet *libere*, *ac sine ullo onere*, qua significatione utebantur medii, ac inferioris ævi Scriptores. Quum Rex itaque concesserit bona Regalia *pro vita*, *& substentatione Capituli*, *& Canonicorum*, id diserte indicat quoque titulum Justiniani lege quæsitum.

Hinc aperte colligitur, titulum juris patronatus adeo elucescere, ut si de privati hominis jure quæreretur, non lex modo Justinianæa, sed & Tridentini Concilii dispositio in *cap.* 12. *sess.* 14. ad jus quæsitum tuendum omnino sufficerent.

Verum de jure Regio quæstio est; cujus vis, & potestas in Ecclesiis mirum in modum ab ipsis Sanctissimis Episcopis, & sanctioribus Ecclesiæ regulis decantata est. Præ ceteris aureum illud Aviti Archiepiscopi Viennensis effatum memoriæ proditum est; scripsit enim Regi Burgundiæ hæc verba: *Quidquid habet Ecclesiola mea*, *immo Ecclesiæ nostræ*, *vestrum est*, *de substantia*, *quam vel servastis hactenus*, *vel donastis*; ubi concinne vir doctissimus adnotavit apud *Thomass. part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 35. *n.* 3. *Principibus accepta feruntur dona Ecclesiæ*, *quæ vel donarunt ipsi*, *vel ut donare liceret*, *concesserunt*.

Præterea non denegatum præsertim Principibus jus patronatus ex eo, quod Ecclesias a manu Infidelium subtraxerint. Illustre extat exemplum Nicolai II. Summi Pontificis in Bullario Romano anno 1060., & Sixtus V. anno 1586. literis Apostolicis ad Philippum II. Hispaniarum Regem, jure debitum jus patronatus asseruit; apud Pirrum *de electione Præsulum Siciliensium pag.* 510.

Qua de re nemo unus inficias ibit, tot titulis jus Regiæ Coronæ quæsitum esse in Ecclesiam Garganicam, utpote pluries a Saracenis eversam, a Principibus restitutam, a Ludovico II. Imperatore in pristinum statum redactam, & bonis, ac juribus Regalibus dotatam, a successoribus novis

donationibus auctam, cujus Ecclesiæ Ministri a Carolo usque III. bonis Fiscalibus ali, & substentari jussi, & uti Regii Capellani Capellæ Palatinæ cooptati; quæ quidem prærogativa nunquam in posterum specifice abrogata est, quum ipsi actu Oratorio Garganico inservirent.

Postremo loco recensenda cetera, quæ supersunt monumenta. Non desunt arma Regalia, non lapidea stemmata, non Chronica, non quamplurima a Regibus, ac Principibus profecta munera, atque alia veritatis vestigia. Extat denique datum die 2. Augusti anno 1755. Catholici Regis Rescriptum in hæc verba: *Ha risoluto, che si continui al feudo di Monte Santangelo il titolo di Città, come eziandio il nome di Basilica a quella Chiesa, per aver goduto quel celebre Santuario la special protezione, e munificenza de' Serenissimi Predecessori di S. M., e per essere stato decorato di molti Regali Privilegj confermati dall' Imperatore Carlo V.*

Ex his omnibus apparet, serenissimos retro Principes variis temporibus triplici jure, nempe honorifico, oneroso, atque utili, quod patronatus complectitur, usos esse, ut vere possit adfirmari, quod quidem privatis competit, nempe *per exercitium, ac usum unius actus dumtaxat ex competentibus patrono, quasi possessionem in jure patronatus adquiri*. Ceterum Princeps semper retinet supremam Regaliam etiam illius Regaliæ, quam in alium trasfert; tunc enim non aliud, quam ipsius exercitium intelligitur esse concessum. Hinc facile patet, cur Regii patronatus, de quo agitur, possessio apud Principem manserit.

Quum igitur pro jure Regio vindicando tot præsto sint argumenta, ut nullus amplius dubitandi sit locus: jura vero Regiæ Coronæ, ubi pateant, ne momento quidem posse ab aliis detineri, manifestum sit, nisi ab iis, qui causam specifice habeant a Rege; idcirco quum jus patronatus in Basilicam Garganicam Regiæ Coronæ ex justitia debeatur, omnino quidem oportet, ut Capitulum, & Canonici tot juribus Regalibus in eos collatis, privilegiis, atque honoribus suffulti, sub defensione sacri Palatii ab antiquissimis usque tempo-

poribus cooptati, eum colant, & recognoſcant patronum Principem, a quo & honorem Oratorii, cultumque inſtauratum, & alimenta habuere.

Quo factum eſt, ut, tum ex documentis ab ipſo Sipontino Præſule exhibitis, tum ex aliis Privilegiis ab Imperatore Carolo V. confirmatis, & in judicio appellationis rite productis, veritate pleniſſime cognita, jus patronatus juribus Majeſtatis inhærens, ab ipſa Majeſtate non minus abſurdum, quam pene impium exiſtimandum ſit poſſe divelli: ac proinde amoto quocumque detentore, cujus nulla poſſeſſio, Regiæ Coronæ vindicandum oportuit. Namque in hujuſmodi Regalibus nullam, niſi apud Principem, dari poſſeſſionem, apertiſſimum eſt. Juris enim operatione fit, ut poſſeſſio apud Principem ſervetur; alii vero quicumque nunquam ſuo, ſed Principis nomine, Regalia detinere poſſunt; hi enim in poſſeſſione ſunt, ſed non poſſident; *aliud eſt enim poſſidere*, Juriſ. inquit in *L. 10. ff. de adquir. poſſeſſ.*, *longe aliud in poſſeſſione eſſe*; ſacra igitur hujuſmodi jura impræſcriptibilia ſunt, ſanctèque ſervanda.

His itaque rationibus, jus patronatus in Baſilicam Garganicam, ejuſque Capitulum, & Canonicatus Regiæ Majeſtati ex juſtitia deberi, in judicio appellationis pronunciatum eſt.

In cauſa redintegrationis Regii patronatus in Monaſterium, ſive Abbatiam S. Mariæ de Ripalta. Die 18. Novembris 1785.

IN Curia Capellani Majoris agitata lis fuit de patronatu celebris Monaſterii, ſeu Abbatiæ S. Mariæ de Ripalta, quæ ob derelictionem Fratrum Ciſtercienſium ſuppreſſa in præſenti reperitur, & per Romanam Curiam commendata; ab Abbatibus vero Commendatariis ſub annuo cenſu tranſlata in S. Severi Cæleſtinos Patres. Illuſtris Princeps S. Angeli D. Placidus Imperialis die 18. Decembris ann. 1779. ſupplici libello ſuo Regi clementiſſimo expoſuit, memoratæ Abbatiæ patronatum cum feudo Alexinæ cohærere, eum rogans,

Abbatiæ & Monaſteria quibus dos cōſtituta eſt in feudis, Regii patronatus judicantur; neque enim feudorum conceſſio aliunde proficiſci poteſt.

gans, ut juberet declarari, ejus ſpectantiam ad ſe pertinere, tamquam utilem prædicti feudi dominum. Verum die 26. Januarii ann. 1780. Promotor Fiſcalis Regalis Coronæ in Curia petiit libello ſuo, ut controverſa Abbatia Regii patronatus declararetur, atque in ejus poſſeſſionem Regalis Corona redintegraretur. Cum pluries Regiis literis mandatum Curiæ fuerit, ut ea de controverſia ſententiam rite diceret, termino probationibus præſtituto, in quo ab utraque Parte probationes ſunt allegatæ, & documenta exhibita, Curia omnibus perpenſis, ad dicendam ſententiam de more procedit.

Quod ad Principem S. Angeli, is ad fundandam intentionem ſuam exhibuit Caroli II. Andegavenſis Diploma ſcriptum die 19. Junii ann. 1294. In eo Carolus interpellatus ab Abbate & Fratribus S. Mariæ de Ripalta edixit, ſe ſub clientelam ſuam Monaſterium recipere, eique confirmare: *bona omnia eidem Monaſterio conceſſa olim ex dono Matthæi Comitis Alexinæ, ac bona infraſcripta, jura, immunitates, & libertates indultas, & confirmatas eis per Prædeceſſores noſtros in Regno Siciliæ.* Mox deſcripſit memorata bona, & nulla facta concedentium diſtinctione, his uſus eſt verbis: *Bona vero prædicta, libertates, & immunitates hæc eſſe dicuntur, videlicet: Locus ipſe, qui dicitur Ripalta, in quo dictum Monaſterium ad honorem Beatæ Mariæ Virginis noſcitur eſſe fundatum, cum omnibus poſſeſſionibus, & pertinentiis ſuis, tam intus, quam foris, tam terris cultis, quam incultis. Tota ſiquidem Foreſta, Iſcla, Gualdo cum omnibus adjacentiis, & rationibus ſuis. Similiter & lacus aquarum, fauces, portus, & omnis proprietas fluminis Fortoris uſque ad mare, & infra.* Deſcriptis deinde finibus, quibus Monaſterium continebatur, diſtincte retulit bona Monaſterio donata per Comitem Alexinæ inſequentibus verbis: *Item conceſſiones, & libertates factæ dicto Monaſterio Beatæ Mariæ de Ripalta per Matthæum Gentilem olim Comitem Alexinæ, ſcilicet de angulo, qui eſt ad caput hoſpitalis, & imbocaturella piſcali cum omnibus juſtis tenimentis, & pertinentiis ſuis; ita videlicet, quod liceat . . . . ejuſ-*

ejusdem Ecclesiæ piscari facere in ipso angulo, & in ipsa imbocaturella singulis annis a quatuor temporibus Septembris usque dum idem Comes in aliis angulis suis ipsius fluminis piscare faciebat tam in luce, quam in obscuro, nullam troctam, nullum inde capitonem ipsi propterea Comiti exhibendo de tota piscatione, quam dicta Ecclesia Beatæ Mariæ de supradicto angulo & imbocaturella piscali vendiderit: eadem Ecclesia platiam deberet percipere, & habere de omnibus, quæ dicta Ecclesia per universam terram dicti tunc Comitis ad opus suum compararet, vel venderet, prout in Privilegio ejusdem tunc Comitis eidem Monasterio indulto plenius continetur. Denique alia bona descripsit ab aliis Monasterio concessa.

Præterea Princeps S. Angeli in judicio allegavit taxam Baronum Regni, licet incerti temporis, & adhuc non definiti. Ea vero sic habet: *Comes Goffridus Alexinæ, sicut dixit. Alexina est feudum VIII. militum: & Porcina est feudum IV. militum: & Ripalta feudum II. militum. Una de proprio feudo sunt milites XV., & augmentum ejus sunt milites XVII., una inter feudum & augmentum sunt milites XXXII. & servientes C., & sicut significavit Raymundus filius Franchaldi, idem Comes Goffridus tenet Casale S. Trifonis feudum I. militis, & cum augmento obtulit milites II.*

His quidem documentis Princeps S. Angeli adprobare contendit, Alexinam, Porcinam, ac Ripaltam unam veluti Baroniam ab initio constituisse, ac proinde Ripaltam Comitatus Alexinensis partem & membrum fuisse; Matthæum Gentilem controversum Monasterium fundasse, ei donato latissimo Ripaltæ feudo, ideoque patronatum in Monasterium Comitatui Alexinensi fuisse acquisitum. Inde infert, Civitate Alexinensi a se acquisita cum juribus patronatus Ecclesiarum, ad se quoque pertinere oportere patronatum in Ripaltæ Abbatiam.

Adversus hæc regerit Promotor Fiscalis, in Diplomate Caroli II. nusquam legi Matthæum Alexinæ Comitem Monasterium fundasse, eique Ripaltam concessisse: ibi quidem enunciari *bona Monasterio concessa ex dono Matthæi Comitis Ale-*

lexinæ, pariterque enunciari *bona infrascripta, jura, immunitates & libertates indultas & confirmatas eis per Prædecessores nostros in Regno Siciliæ*. Quod tamen ad bona donata ab Alexinæ Comite, de iis singularem rubricam fieri, ac speciatim indicari, allegato etiam memorati Comitis Privilegio; inter ea vero Ripaltæ concessionem non legi. In Caroli Diplomate memorari quoque bona Monasterio concessa per antiquiores Siciliæ Principes; ea vero alibi non inveniri, nisi in præcedenti rubrica, in qua, & Monasterii fundatio, & Ripaltæ concessio ei facta memoratur. Fisco autem non obstare, affirmari in allata taxa, prædicta feuda penes Comitem Alexinensem fuisse. Nam adversus id excipit Promotor Fiscalis, cum non extet certa epocha & memoratæ taxæ, & fundationis Monasterii, contingere potuisse, ut intermedio tempore publicationis titulo ad Regiam Curiam feuda pervenerint.

Sed ea controversia seposita, perpendi debet, quo jure contendatur, a Matthæo Gentili Monasterio concesso Ripaltæ feudo, Monasterii patronatum feudo Alexinæ fuisse acquisitum. Ad id adprobandum primo ponitur, Alexinam, Porcinam, Ripaltam unam Baroniam, seu Comitatum constituisse, idque significari illis taxæ verbis, *una de proprio feudo sunt milites XV*. At vero potius ex ipsis taxæ verbis inferri potest, ea tria feuda separata fuisse; unumquodque enim diversa & propria taxa descriptum fuit: *Alexina est feudum VIII. militum, & Porcina est feudum IV. militum, & Ripalta feudum II. militum*. Sane si unum feudum ea constituissent, conjunctim omnia describenda fuissent sub una taxa. Neque vero verba, *una de proprio feudo sunt milites XV.*, Baroniæ, quæ ponitur, unitatem designare possunt.

Potius ad recte interpretanda verba *de proprio feudo*, dici oportet, Goffridum ex genere procerum Nortmannorum fuisse, qui post ann. 1041., Apulia armis parta, Melfium convenientes, eam inter duodecim Principes viros diviserunt, inter quos Gualterius Civitatem retulit, auctore Leone Hostiensi *lib. 2. cap. 67*. Proinde Gualterium qui Civi-

vitatem habuit, Alexinæ etiam imperasse oportuit, cujus territorium, ut asseritur in Caroli II. Diplomate, cum Civitatensi commune erat. Sane ipse Leo Hostiensis *lib.* 3. *cap.* 58. memoriæ tradit, ann. 1084. Gualterium Alexinæ fuisse Comitem; incertum tamen an is idem ille Gualterius fuerit, an alius inter ejus liberos. In prædicta etiam taxa a P. Borrello allata cernere est, sub rubrica Civitatis afferri tam Goffridum Alexinensem Comitem, quam Philippum Comitem Civitatensem, utrumque cognomento Gentilem, ex liberis fortasse primi illius Gualterii, inter quos Oppida illa divisa fuerant. In Registro etiam Roberti Regis, ubi traditur de Matthæo Gentili, qui memoratæ donationis auctor fuisse creditur, additur *Comitis Civitatis, & Alexinæ*. Inde autem tuto licet inferre, superioribus temporibus Civitatem & Alexinam penes eumdem possessorem fuisse.

Inde igitur enatam oportuit expressionem *de proprio feudo* in taxa extantem, cum constet ex P. Borrello, a quo integra ea affertur, in ea fuisse distincta feuda, quæ agnoscebat Goffridus *de Domino Rege in demanio*, cujusmodi erant Peschutium, Biccarum, Caprilia, Varanum, atque alia in Monte S. Angeli, ab aliis a se tanquam propriis feudis possessis, cujusmodi erant Alexina, Porcina, Ripalta. Qua quidem ex re deduci potest, ea feuda in debellatis Provinciis fuisse partem, quæ majoribus suis in earum divisione cesserat.

Aliud insuper argumentum affertur, ut evincatur, prædicta feuda unam Baroniam constituere. Id eo redit, Porcinam, & Ripaltam inveniri in territorio Alexinensi: eorum igitur feudorum unicum, & indivisum esse territorium; id vero liquere ex Diplomate Caroli II., & ex instrumento ann. 1411., quo Regina Margarita donavit Alexinæ feudum SS. Virginis Nunciatæ Domui, a qua S. Angeli Princeps causam agnoscit; id ipsum convenire Comitatus naturæ, cui illud insit, ut individuus existimetur.

Enim vero neque feuda, de quibus agitur, a Principe Supremo aliquo in unum Comitatum fuerunt erecta, neque ex

ex memoratis ſcripturis deducitur quod a Principe S. Angeli ponitur. Et ſane in Diplomate Caroli II. primum occurrunt verba illa: *ipſum vero Monaſterium hic finibus circumdatur. In primis ex parte meridiei a flumine Fortoris aſcendens per oleaſtrum quod eſt parum longe a flumine*. Inde vero tantum illud inferri poteſt, Monaſterium ex meridie flumine Fortore circumdari. Verum in finibus porro deſcribendis via memoratur, *qua itur a Civitate ad Ripaltam*, & additur; *& tranſiens per ipſam viam incipiunt limites, qui dividunt tenimentum prædictum a tenimento Civitatis uſque ad partem meridiei*. In Ripaltæ vero limitibus alterius deſcribendis ſubnectitur: *Deinde ex orientali parte deſcendit per ipſam viam juxta commune tenimentum Civitatis, & Alexinæ uſque in viam, qua venitur a Porcina per Barbaranum ad Ripaltam uſque ad partes ſeptemtrionis, & deſcendens per ipſam viam juxta tenimentum Alexinæ venit uſque ad Vallonem de Conca*. Ex quibus ſane eruitur, per id temporis territorium Alexinæ, & Civitatenſe fuiſſe commune, illudque idem territorium, nunc ſub nomine Civitatis & Alexinæ, nunc ſub nomine ſolius Alexinæ, proponi tanquam limitem territorii Ripaltenſis, ac præterea per limites ſuos utrumque territorium fuiſſe diviſum. Quæ quidem evincunt, Ripaltam territorium ſuum habuiſſe ab Alexinenſi diverſum: tantum abeſt, ut oſtendant utriuſque territorii unitatem.

Quod ad inſtrumentum donationis a Regina Margarita in Domum SS. Nunciatæ collatæ, in eo fines Alexinenſis territorii ita breviter deſcribuntur. *Civitatem Alexinæ ſitam juxta territorium S. Licandri, juxta territorium Porcinæ, & juxta territorium, ſeu fluvium Fortoris, & alios, ſi qui ſunt veriores confines*. Verba *juxta territorium Porcinæ* falſam evincunt aſſertionem, qua ponitur territorium Porcinæ, Alexinæ, & Ripaltæ unum, & indiviſum fuiſſe: Porcinæ enim territorium diſtinctum erat. Cum enim in inſtrumento dicatur, Porcinæ territorium Alexinæ fuiſſe limitem, neceſſario inde debet inferri alterum in altero contineri non potuiſſe. Quæ ſubjiciuntur verba *juxta territorium, ſeu fluvium Fortoris*, accipi

cipi debent de latissimo illo territorio, quod per id tempo- ris, & hodie quoque *territorium Fortoris* appellitatur, in quo sita est pars Ripaltæ; nam pars quidem altera posita est trans flumen. Convenit id etiam cum Diplomate Caroli II., in quo inter alia bona Monasterio concessa connumeratur *omnis proprietas fluminis Fortoris usque ad mare*. Hoc Forto- ris territorium designatum in instrumento fuit tamquam Ale- xinæ limes. Proinde ab Alexinensi territorio Ripalta fuit exclusa.

Sed & in præsenti controversia ea intercedunt adjun- cta, ut a Principe S. Angeli ne peti quidem possit ea ter- ritorii unitas. Is enim emit Civitatem Alexinæ juxta de- scriptionem finium contentam in appretio per Tabularium Gallaranum inito ann. 1730., quæ a probationibus credi- torum in judicio factis non differebat. In ea descriptione, secundum quam eum Alexinam emisse vidimus, diserte di- citur, Alexinæ territorium per plura milliaria terminari a territorio Ripaltæ, atque ibidem memorantur multi limites, qui Ripaltæ territorium ab Alexinensi dividunt. S. Angeli Princeps eo jure, ea conditione in præsenti possidet, ne- que alia judicialis declaratio produci potest, qua possessionis suæ causa mutata fuerit. Perperam igitur ab eo petitur pa- tronatus in Monasterium Ripaltæ sub vano illo quidem ob- tentu, Ripaltæ territorium ab Alexinensi diversum existi- mari non oportere.

Regina Margharita in donatione Alexinæ in Domum SS. Nunciatæ collata, cum in ea patronatus etiam contineri vellet (nam Latislaus quidem in assensu ei donationi præ- stando, nusquam patronatuum meminit), cum inquam Mar- gharita in donatione sua patronatus etiam contineri vellet, insequenti formula liberalitatem suam coercuit: *cum beneficiis Capellaniarum, & jure patronatus Ecclesiarum, quæ sunt in Ci- vitate prædicta, ejusque territorio & districtu*. Patronatus igi- tur extra Alexinæ Civitatem & territorium constituti ad pos- sessorem Alexinæ non pertinent. In venditione vero a Gu- bernatoribus prædictæ S. Domus, aliisque inita quorum in-

tererat, de patronatu quidem mentio fuit injecta, ea tamen respexit Alexinensis Matris Ecclesiæ patronatum. Quod si speciosus ille in Ripaltæ Monasterium patronatus ad prædictam S. Domum pertinuisset, in venditione non fuisset omissus.

Cum igitur controversus patronatus ad S. Angeli Principem pertinere nequeat, ad Regem Neapolitanum necessario pertinere debet. Nam si concedatur, fundationem Monasterii cum concessione Ripaltæ a Matthæo Alexinensi Comite fuisse factam, non vero a decessoribus Neapolitanis Principibus; exploratum videtur, Alexinensem Comitem ex Procerum Nortmannorum stirpe fuisse, qui regiones Neapolitanas armis partas, Aristocratico veluti regimine ab initio constituto, inter se diviserunt, unoquoque in Oppida sibi delata jus Summi Imperii exercente. Sub Rogerio I. quidem Regni formam induerunt Neapolitanæ Provinciæ, memorati tamen Nortmannorum proceres regiones suas quisque retinuerunt, in eas juribus Majestatis utentes, cum obligatione tantum præstandi Regi personalis servitii militaris, ubi bellum ingrueret. Is vero habitus rerum Neapolitanarum stetit, donec, prædictorum Nortmannorum procerum deficiente virili stirpe, cessantibus ejusmodi Dynastiis, jura Majestatis nusquam imminuta ad unum Principem redierunt. Ipsa autem Ripaltæ concessio Monasterio facta jure allodii, *quod francum* dictitari solet, ejusmodi erat, ut a simplici feudatario legibus feudalibus obnoxio cœptari non posset. In francum enim allodium feuda a privatis concedi nequeunt. Ea enim facultas & jus Summi Imperii supponit, & ab eo divelli non potest. Ad naturam etiam feudorum accedunt, & inter Regalia quoque referri debent alia, quæ Monasterio concessa memorantur, *lacus aquarum* scilicet, *fauces*, *portus*, *& proprietas fluminis Fortoris*. Ea enim ad Principatum pertinent.

Ex dictis liquet, quod si Alexinus Comes patronatum in Ripaltæ Monasterium acquisivit, quia dotis titulo Ripaltam ipsam jure allodii largitus fuerat; eum tanquam ejus æta-

ætatis Dynasta acquisivit, & jure Summi Imperii, quo suis regionibus imperitabat. Nam eo quidem respectu ea concessio fieri poterat, & sine quo ejus concessio exitum habere non potuisset. Enim vero jura Majestatis isthæc, memoratis Dynastis deficientibus, in Regem Neapolitanum migrarunt. Proinde prædictus patronatus a jure Summi Imperii ab initio natus in Regem tantum Neapolitanum cadere potest, eique necessario debet addici.

Ea de causa Abbatiæ, & Monasteria vetera, quibus in feudis constituta dos fuit; in defectu chartarum de fundatione testantium, Regii patronatus sunt judicata. Neque enim feudorum concessio aliunde proficisci poterat, quam a Summa Potestate: seu a Principibus Regia dignitate munitis exercita ea fuerit, seu a Dynastis, qui Majestatis jura in regiones suas habuerunt. Quin licet Monasteria feudis dotata non forent, ubi constitisset dotationem fuisse factam a veteribus Nortmannis Principibus, dominii sui latifundiis, aliisque ipsius Principatus bonis, Regii patronatus declarari solita fuerunt; idque actum fuit habito respectu ad ipsam Summam Potestatem, qua ii in suas regiones utebantur. Neque vero ex præsentibus Baronibus quisquam ejusmodi patronatus ad se pertinere contendit. Instar omnium sint Montis Caveosi Monasterium an. 1099. fundatum a Radulfo Maccabeo Montis Caveosi Comite, Monasterium S. Anastasii & S. Eliæ de Carbone ann. 1077. fundatum ab Hugone Clarimontis Comite, Ecclesia Cathedralis Bibinensis ann. 1110. fundata a Roberto Lauretelli Comite, Ecclesia Archiepiscopalis Compsana ann. 1161. fundata per Jonatam Compsæ Comitem, quæ judicatæ sunt Regii patronatus esse: neque præsentibus utilibus Dominis Montis Caveosi, Clarimontis, Lauretelli, vel Compsæ, ullatenus in mentem venit eorum Monasteriorum, vel Ecclesiarum patronatum sibi vindicare.

Quin si fundatio non probetur jure Summæ Potestatis facta, ex rebus quotidie judicari solitis exploratum hodie in Regno est, in defectu heredum fundatorum, patronatum,

ut reliqua jura vacantia, Fisco addici oportere.

His igitur omnibus accurate perpensis, Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris cum voto Regii Consil. D. Dominici Potenza, ordinarii Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Monasterium, seu Abbatiam Sanctæ Mariæ de Ripalta in Provincia Capitanatæ sitam, fuisse & esse Regii patronatus; ac proinde Regalem Coronam redintegrari oportere, prout præsenti sententia redintegratur in patronatum prædicti Monasterii, cum omnibus suis bonis, feudis, juribus, granciis, Ecclesiis, obedientiis, privilegiis, jurisdictionibus, & pertinentiis quibuscumque, cum jure ad Principem pertinente eligendi Abbatem Commendatarium, quousque pati velit, ut reditus Monasterii veteris ab Abbatibus Commendatariis percipiantur, & cum jure mutandi veterem Abbatiæ formam ob Monasterii suppressionem, & convertendi reditus in alios pios, aut publicos usus, prout suæ religioni videbitur, cum finis fundationis cessaverit: & cum aliis juribus, quæ ad Principem Patronum pertinent. Quo vero ad petitionem Ill. Principis S. Angeli D. Placidi Imperialis, Curia declarat, non esse locum petitis per eumdem. Ut autem jura Regia detrimentum non patiantur, prædicta Abbatia referatur in libris Curiæ inter alias Abbatias, & Monasteria Regii patronatus.*

In causa redintegrationis Regii patronatus in Ecclesiam Sancti Altissimi Soranæ Diœcesis. Die 1. Decembris 1785.

Cum nulla produci possit a Barone patronatuum concessio, præsertim quoad feuda, patronatus ad Regiã Coronam pertinet.

NUnciatum faustissimo Regi fuit, S. Altissimi Ecclesiam in Arpini Territorio positam in Soræ Diœcesi, cum reditibus, & pertinentiis suis, Regii patronatus esse. Per Regiam Majestatem Regiis codicillis Curiæ mandatum, ut auditis, quos oporteret, ad controversiam definiendam rite procederet. Proinde citationibus edictalibus se judicio sistere jussi sunt omnes, quorum interesse posset. Ita penes acta adfuit Procurator Ill. Principis Plumbini, & Ducis Soræ, isque contendebat, patronatum in prædictam Ecclesiam feudalem esse, atque ad prædictum Principem pertinere, tamquam Arpini Baronem. Exinde Curia examen instituere su-

suscepit documentorum, quæ patronatum seu Regium, seu feudalem possent evincere.

Ad Regium in prædictam Ecclesiam patronatum probandum, fuit ostensum documentis extractis ex Tabulario Regiæ Siclæ, Carolum II. Andagavensem literis suis Regiis ex Brinnonia scriptis die 2. Augusti ann. 1292. ad Carolum Martellum filium suum, Hungarorum Regem, eum certiorem fecisse, se contulisse quibusdam Clericis familiaribus suis *subscriptas Capellas nostras ad collationem nostram pleno jure spectantes, cum omnibus juribus, redditibus, & pertinentiis suis*; atque inter illas se contulisse dixit *Tibaldo de Dussiaco Ecclesiam S. Altissimi de Arpino*. Subjecit, se ad ejusmodi collationes processisse *irritatis per nos collationibus quibuslibet, si quæ forte factæ fuissent per Dominos locorum prædictorum, vel alios, personis aliis quibuscumque*. Inde cernere est, ab iis usque temporibus locorum Barones patronatus Regios usurpare studuisse. Ceterum iis expositis præscripsit Carolus II., ut collationibus a se factis plena exequutio daretur, Clericis prædictarum Ecclesiarum possessione, & redituum perceptione concessa.

Idem vero Carolus II. aliis litteris suis ad eumdem Carolum Martellum de eadem Ecclesia S. Altissimi ita statuit: *Sicut nobis datum est nuper intelligi, Raynaldus Galardus Miles Regni Siciliæ Panecterius Capellam S. Altissimi de Arpino, in qua claræ memoriæ Dominus Pater noster jus patronatus habuisse dignoscitur nosque habere debemus, quæque per eumdem Dominum Patrem nostrum cum viveret pluries collata fuisse comperitur, prætextu doni de terra Arpini sibi facti, sibi appropriens jus prædictum indebite usurparit, eamque alii pro suo velle contulerit. Nos id pati nolentes, cum intentionis dicti Domini Patris nostri, ac nostræ semper extiterit, quod in concessionibus factis per eum, aut nos, personis quibuslibet, Capellæ hujusmodi, si quæ forent in locis concessis, in manibus Curiæ servarentur: volumus, ac fidelitati vestræ præcipimus, quatenus statim post receptionem præsentium Capellam prædictam cum juribus suis omnibus de manu dicti Raynaldi, vel cujuscumque personæ ex ipsius*

ipsius Raynaldi collatione tenentis, ad manus Curiæ revocantes, Capellam ipsam faciatis ad opus ejusdem Curiæ procurari: de cujus etiam Raynaldi bonis, in prædictæ usurpationis pœnam, proventus, & reditus Capellæ prædictæ, totius scilicet temporis, quo eam in suis manibus habuit, vel alter ex collatione sua, ut prædicitur, tenuit, exigatis, & exigi faciatis.

Ex allatis literis aperte liquet, Carolum II. in conferenda S. Altissimi Ecclesia, eodem tempore voluisse qualitatem, & statum prædictæ Ecclesiæ declarare, ea in Regiam manum asserta, atque eamdem ab invasoris feudatarii potestate liberare. Neque quicquam vehementius excogitari potest expressionibus prædicti Principis, quibus edicitur, quæcumque fuisset Arpinatis feudi concessio, ejus Capellæ patronatum complecti non potuisse, eamque in manu Regia perpetuo permanere oportere.

Aliis quoque Regiis literis idem Carolus die 27. ejusdem mensis Augusti (incertum est enim cur exitu caruerit prima illa collatio pro Tibaldo de Dussiaco) eamdem Capellam contulit Joanni de Monte familiari suo eadem ferme rescissoria clausula, ita enim edixit: *irritata per nos collatione qualibet, si qua forte facta fuisset per Dominum, aut Dominos loci prædicti, vel alios, alteri personæ cuicunque*, cum Regii patronatus esset.

Cum prædictæ Caroli II. litteræ de Regio patronatu dubitari non sinant, Dux Soræ solito vitiligatorum effugio eo devenit, ut earum fidei controversiam faceret. Ut autem earum suppositionem probaret, obtendit, eas cum ratione temporum non convenire. Ait enim, Collenucii, & Troili auctoritatem allegans, ann. 1292. Carolum II. Brinnoniæ esse non potuisse. Enimvero eam quidem oppositionem confutari non oportet, nam publica regestra in Tabulario Regiæ Siclæ controversiam pati non debent. Tantum autem abest, ut ob Scriptorum narrationes indubium revocari possint, ut potius ipsorum ope eorum errores sint emendandi, præsertim si ejus ætatis non sint, cujus historiam narrant.

Ex

Ex alio documento ex eodem Tabulario exscripto liquet, Robertum Regem anno 1318. præsentasse ad Ecclesiam S. Altissimi Canonicum Simeonem de Spineto familiarem suum, cui præsentationi insequentem declarationem præmisit: *Sane Ecclesia S. Altissimi Soranæ Diœcesis, in qua ex causis legitimis jus nobis competit patronatus, quamque Banduinus filius Raynaldi de Supino militis huc usque tenuit, propter diversos excessus, & culpas, non sine proditionis nota commissas per Banduinum eundem, sicut constitit esse notorium, contra Majestatem nostram, circa invasionem Regni nostri, cum damnatis hæreticis, & nostrorum hostium nefaria comitiva, ipso Banduino de jure privato, ac per consequens ad præsentationem nostram rationabiliter devoluta &c.*

Ex his quidem verbis Dux Soræ frustra colligit, controversæ Ecclesiæ patronatum ad Arpini feudum pertinuisse. Ab initio orationis suæ declaravit Robertus, prædictam Ecclesiam Regii patronatus esse. Subnectit eo usque penes memoratum Banduinum fuisse. Id eo pertinet, quod Ecclesia ipsa ei concessa, seu collatione, seu nominatione Regia fuerit: falso autem inde quis inferat, ad ipsum Banduinum patronatum pertinuisse, quem in literis suis Regium Robertus asserit. Ea vero ob proditionis crimen ille privatus fuerat, itaque rursus Regiæ nominationi, seu collationi locus patuit. Perperam vero jactatur, prædictum Banduinum Arpini fuisse Baronem, cum ea de re nusquam monumenta appareant. Si vero ponatur eumdem prognatum fuisse Raynaldo illo Galardo, cujus in literis Caroli II. fit mentio, quamvis persona diversimode indicetur, eumque patronatus usum attentasse, idem alterius usurpationis reus fuisset, & merito puniendus ob ejusdem Caroli mandata contempta.

Producta ex vetustissimo Regiæ Siclæ Tabulario documenta Partis adversæ argumenta refellunt, neque de Regio in controversam Ecclesiam patronatu dubitari sinunt. Sed transeamus ad documenta per Ducem Soræ allegata, qui contendit, patronatum feudalem esse, utpote, ut ipse ait, pertinentem ad Arpini feudum.

Is

Is vero primo allegavit Regias literas Ladislai Regis ſcriptas anno 1404. Ibi legitur, Mazzeum Puldericum libello ſuo Regi aſſeruiſſe, ſe quatuor Eccleſias poſſidere, quas inter Eccleſiam S. Altiſſimi numeravit, ad ſe delatas ex præſentatione Jacobi Eſtendardi, ad quem patronatus pertinebat. Sacerdotem vero Nicolaum de Jannotto plurifariam earum ſibi poſſeſſionem turbare, & ab eo in perceptione redituum negotium ſibi fieri; ea autem de cauſa a Rege imploraſſe præſidium Capitulorum Regni, ut poſſeſſionis commodis uti pergeret; Regem porro literis ſuis ad Arpini Capitaneos, Camerarios, Bajulos, Judices, prædictum Capitulorum præſidium ei conceſſiſſe. Poſito igitur, prædictum Jacobum Eſtendardum Arpini Baronem fuiſſe, inde Dux Soræ ait deduci poſſe, controverſam Eccleſiam ad Arpini feudatarium, tamquam feudi partem pertinuiſſe.

Enimvero ex prædictis literis id inferri non poteſt. Eæ enim omnino innituntur Mazzei Pulderici aſſertione circa poſſeſſionem, in qua ſe dixit eſſe, neque Rex diſquirendum cenſuit, num patronatus aut omnium, aut alicujus ex prædictis Eccleſiis, ad Jacobum Eſtendardum pertineret. Futile eſt autem quod addit Dux Soræ, Regem ſcilicet omnia recte perpendiſſe ob verba a Principe adhibita *provida*, & *interna diſcuſſione*. Ea enim quovis alio pertinent, ut ex inſequenti contextu liquet. Sic enim ibi: *Nos igitur provida, & interna pariter diſcuſſione penſantes, quod ſe caritas extendit ad omnes, & in repellenda injuria, non inferenda lex virtutis aſſumitur*. In ea igitur aſſertione Principi id unice in mentem venit, turbatis in poſſeſſione ſua denegandum non eſſe manutentionis præſidium, ut in Regni Capitulis cavebatur, neque examinandum ſuſcepit, num Jacobo Eſtendardo præſentandi jus eſſet. Et ſane poſt enunciatam ſanctionem Caroli II., ut conceſſo feudo, prædicta Eccleſia in Curiæ manu foret, apud Jacobum Eſtendardum prædictæ Eccleſiæ patronatus eſſe non potuiſſet, niſi ubi oſtendiſſet, eum ſpeciatim ſibi conceſſum. Sed & ea conceſſione poſita, ipſa Duci Soræ prodeſſe non potuiſſet; memorati enim Eſtendardi

dardi linea extincta, Arpini Oppidum ad Fiscum rediit.

Praeterea ex fide extracta ex repertoriis Regiorum quinternionum ostendit idem Dux Sorae, anno 1533. Carolum V. Imperatorem Francisco Mariae de Rovere Urbinati Duci donasse Ducatum Sorae, & Arcis, qui ab eodem Duce possidebatur ob concessionem Philippi de Croy ei factam *cum ejus hominibus, vassallis, Castris, Oppidis, Terris, Casalibus &c.* Ostendit autem, in concessione jurium in eum translatorum clausulam quoque comprehensam, *cum juribus patronatus Ecclesiarum*. Supponens vero, inter Oppida a Ducatu Sorae pendentia Arpinum quoque comprehensum fuisse, inde infert, translato Sorae Ducatu venditionis titulo ab Urbini Ducibus in majores suos, se validam quoque concessionem habere in Ecclesiam S. Altissimi patronatus.

At vero posito, tempore praedicti Privilegii Arpini Oppidum in Ducatu Sorae fuisse contentum, nil quicquam prodesset simplex illa clausula *cum juribus patronatus*. Nimirum totus contextus ita se habet: *cum censibus, angariis, perangariis, servitiis realibus, & personalibus, possessionibus, vineis, arbustis, startiis, querquetis, forestis, herbagiis, glandagiis, defensis, clausuris, demaniis, molendinis, baptinderiis, aquis, plathaeis, juribus plathearum, & correturae, gabellis, datiis, doganis, scannagiis, portulaniis, mercatura ponderum, & mensurarum, bajulationibus, bonis mortitiis, & vacantibus, juribus patronatus Ecclesiarum &c.* Formula vero isthaec ex Cancellariae stylo omnibus feudalibus concessionibus adnecti solet. Eo autem accedit, in allegato Privilegio clausulas omnes fuisse coercitas per solemnia investiturarum verba, *prout sui praedecessores tenuerunt*, quemadmodum in aliis Privilegiis coerceri solent per formulam, *si qui, vel si qua sunt*. Ut igitur Privilegii formulae intentionem Illustris Ducis firmare possent, ab eo ostendi oporteret, ut decessoribus Philippi de Croy ipsius patronatus controversi concessio facta fuerit, non vero vaga, & generalis illa concessio, accepta referenda Regiae Cancellariae stylo. Cum enim Ecclesia S. Altissimi ad patronatum Regium pertineret, ex Regis Caroli II. san-

ctione quacumque generali concessione comprehendi non poterat.

Verum frustra ponitur, Arpini Terram in Soræ Ducatu fuisse comprehensam. Anno 1533. quo prædictum Privilegium fuit obtentum, Arpini Oppidum non possidebatur neque a Philippo de Croy, neque ab Urbini Duce, sed a Ferdinando Francisco de Avalos, tamquam in Aquini Ducatu comprehensum. Id liquido constat a confirmatione ab ipso Carolo V. facta anno 1517., ejusque matre Regina Joanna, qua Aquini Ducatus confirmatus fuit prædicto Ferdinando. Ibi enim in feudorum enumeratione ad prædictum Ducatum pertinentium Arpini etiam Oppidum recensetur, ut ostensum documento extracto ex iisdem repertoriis Regiorum quinternionum. Aliunde Urbini Dux, Soræ possessor anno 1536. Carolum V. precibus suis interpellavit, ut ob ejus Ducatus exiguos reditus, ei concederet Soræ fiscales functiones, & feudorum a Sora pendentium, quas Imperator sibi reservaverat: id vero ei concessum. In Imperatoris enim Diplomate ei concessæ leguntur fiscales functiones *Civitatis*, & *Terrarum prædictarum*, *Soræ*, & *Arcis*, *Brocchii*, *Campli*, *Castellucii*, *Fontanæ*, & *Insulæ*. Ibi autem non memoratur Arpini Oppidum, ut liquet ex documento ab ipso Duce Soræ allegato.

Id ipsum vero in dubium revocari nequit. Ipsi scilicet decessores Ducis Soræ ann. 1579. Ducatum Soræ emerunt ab Urbini Duce. Anno etiam 1583. ab Alphonso de Avalos Vasti Marchione Aquini Baroniam emerunt. In Aquini autem emptione speciatim comprehensum fuit Arpini Oppidum: id ipsum vero in Ducatu Soræ comprehensum non fuit, ut liquet ex taxa adhoæ, ad quam faciendam memoratæ sunt *Sora*, *Arcis*, *Fontana*, *Castellucius*, *Insula*, & *Broccus*: Arpini nusquam in ea mentio. Eo autem jure, ea conditione Dux Soræ prædicta feuda in præsenti possidet.

Cum igitur nulla usquam concessio patronatuum producta fuerit, quod ad Oppida, quæ Aquini Baroniam constituunt; omni destituitur fundamento Dux Soræ, quo vindicare

care possit patronatum in Ecclesiam S. Altissimi Arpinatis, qui a pluribus retrosæculis, tamquam Regius, ad Regalem Coronam pertinuit. Cum vero nullius momenti videri debeant alia pro ejus petitione in judicium deducta, eaque ne confutari quidem oporteat, controversum patronatum Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris sententia sua Regiæ Coronæ addicendum censuit. Ea de re cum voto Regii Consiliarii D. Dominici Potenza Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Ecclesiam S. Altissimi Arpinatis in Diœcesi Soræ, fuisse & esse Regii patronatus, ac proinde Regalem Coronam redintegrandam, prout præsenti sententia redintegratur in prædictum patronatum cum omnibus bonis, juribus, & pertinentiis suis; atque ob destructam pridem Ecclesiam, cum jure convertendi bona in alios pios, aut publicos usus, prout æquius melius suæ religioni videbitur: atque ea de causa prædictæ Ecclesiæ bona sequestro poni oportere, etiam quoad fructus. Respectu vero deductorum per Ill. Ducem Soræ, Curia declarat, non esse locum petitis per eumdem. Ne vero Regia jura detrimentum quandocumque patiantur, Ecclesia S. Altissimi describatur in libris Curiæ inter alias Ecclesias Regii patronatus.*

In causa declarationis Regii patronatus in Canonicatus Ecclesiæ Collegiatæ Vallatæ Civitatis Pedimontii. Die 20. Decembris 1785.

Lis instituta fuit de pertinentia patronatus seu Canonicatuum, qui anno 1719. erecti fuerunt in Ecclesia Collegiata Vallatæ Pedimontii, & sex aliis inibi existentibus adnexi. Prædictum patronatum sibi vindicarunt Dux Laurentiani utilis Pedimontii Dominus, ejusdem Civitatis Universitas, Æconomi Capellarum SS. Annunciatæ, & SS. Sacramenti in eadem Collegiata erectarum; Episcopo Alifano etiam intercedente, qui contendebat prædictos Canonicatus ad suam liberam collationem pertinere. Re in Regali Camera S. Claræ rite discussa, & ad feliciffimum Principem relatione missa, is Regiis literis sub die 12. Maji 1785. declaravit, prædictos Canonicatus, utpote anno 1719. dotatos, & fundatos bo-

Cum desint heredes fundatorum, patronatus Fisco addici debet; & cum bona laicalia conversa sint in Ecclesiastica sine Principis licentia, eaque deinde sola Principis ejusdem indulgentia acceperint suā legitimā substinentiā sequitur, ut ea Principis indulgentia sit potissimum fundamentum Regii patronatus.

bonis laicalibus prædictarum Capellarum, quæ antea Confraternitates erant, perperam, & contra jus publicum erectos fuisse, & irritum ab initio fuisse Canonicatuum ita erectorum negotium; bona enim prædictarum Confraternitatum sine venia Principis in Canonicatuum dotem converti non potuisse; id injurium adversus Principis Majestatem fuisse, ad quem tantum pertinere poterat commutare voluntatem testatorum, qui memoratis Sodalitiis ea bona donassent. Ibidem declaratum, frustra contendere Laurentiani Ducem prædictorum Canonicatuum patronatuum ad se pertinere; neque enim eum fuisse fundatorem prædictarum Confraternitatum, quas in præsenti prædictæ Capellæ repræsentant, sed simplicem protectorem.

Per clementissimum autem Principem intellecta etiam instantia Advocati Regalis Coronæ, qua petebatur a patronatu prædicto ipsam Pedemontii Universitatem excludendam esse, quippe quæ nil de suo ad Canonicatuum fundationem contulisset; pariterque memoratas Capellas, quippe quæ ob saluberrimas de vetita admortizatione leges acquirere nequeant; Canonicatuum etiam collationem neque ad Episcopum, neque ad Datariam Romanam pertinere posse, eosque Regii patronatus declarari oportere, eo magis quia Pedemontii Universitas qualecumque jus suum Fisco renunciavit in consilio publico habito die 30. Decembris 1783.: proinde eodem rescripto pientissimus Princeps perpendens, cum religione sua non convenire prædictorum Canonicatuum abolitionem, cum detrimento sacri servitii per Canonicos incolis præstari soliti; statuit eos sustineri oportere; excluso autem a petitione sua Laurentiani Duce, & a collatione tam Episcopo, quam Dataria Romana, Curia Capellani Majoris de justitia provideat, audito Regiæ Coronæ Advocato, & ratione habita renunciationis per Universitatem in publicis Comitiis factæ die 30. Decembris 1783. Si Curiæ autem videretur, prædictos Canonicatus sanatoria indigere ad subsistentiam suam, ob nullitatem eis ab initio hærentem, eam a Principe de more postularet.

Cu-

Curia igitur actis expensis, & a Partibus allegatis mature discussis, rite controversiam definiendam suscepit. Et primo quidem Curia perpendit, necessariam non esse Principis novam indulgentiam ad sustinendam Canonicatuum erectionem irritam ab initio. Cum enim Principi placuerit, ut, non obstante nullitate erectionis, Canonicatus subsisterent, simplex hoc Principis placitum sufficere censuit ad controversam erectionem firmandam.

Deinde, cum exploratum sit controversos Canonicatus fuisse erectos fundis præstitis ab antiquis Confraternitatibus SS. Annunciatæ, & SS. Sacramenti, Curia censuit absurdum esse liberam eorum collationem vindicare Episcopum, aut Datariam Romanam. Ut enim nihil dicatur de jure civili, ipsum jus Pontificium in *Cap. Nobis, de jure patron.* diserte cavet, sola Ecclesiæ, aut Ecclesiastici beneficii fundatione jus patronatus acquiri. Cum autem neque Episcopus, neque Romana Curia memoratos Canonicatus fundarit, neque Episcopus, neque Dataria Romana controversum patronatum sibi potest asserere.

In controverso autem patronatu adjudicando, excluso jam Ill. Laurentiani Duce, perpendit Curia, non amplius existere Confraternitates, quæ dotem Canonicatibus constituerunt, easque a nemine repræsentari posse, quasi subingressionis jure ad eum patronatus pertineat. Capellæ enim, quæ extant hodie sub titulo SS. Annunciationis, & SS. Sacramenti, ab extinctis illis Sodalitiis sunt diversæ. Quin eæ ne acquirere quidem hodie patronatum possent ob novissimas de amortizatione leges. Controversus patronatus potiori jure pertinere potuisset ad pios illos testatores, qui in alios pios usus Confraternitatibus legarunt fundos, quos illæ contra eorum voluntatem in Canonicatuum dotem transtulerunt. Sed de eorum heredibus nusquam liquet. Ipsi autem Universitati jus nullum est patronatum sibi asserendi. Ea scilicet pro intentione sua firmanda non aliud allegat, nisi se solere, quo jure non constat, eligere Gubernatores prædictarum Capellarum Annunciatæ, & Sacramenti. Id vero ad pa-

patronatum Universitati prodesse non potest; si enim ipsis Capellis patronatus acquiri non potuit, earum Capellarum intuitu ipsi Universitati acquiri nequit. Eo accedit quod Universitas ipsa, perspecta sui juris insubsistentia, in publicis Comitiis 30. Decembris 1783. Canonicatus Regali protectioni subjecit.

His omnibus igitur in controversum patronatum jure carentibus, videndum superest, an deferri oporteat instantiæ Advocati Regalis Coronæ, qui petiit, prædictos Canonicatus Regii patronatus declarari. Ejus petitio duplici fundamento innititur. Primo enim desunt heredes testatorum, qui prædictis Sodalitiis legarunt fundos, quibus controversi Canonicatus fuerunt erecti; desunt quoque personæ, quæ subingressæ videri queant in jus qualecumque Confraternitatum jam extinctarum, quæ prædictis bonis Canonicatibus dotem constituerunt. Ii igitur, ut reliqua bona, & jura vacantia, Fisco debent addici. In articulo enim patronatus sexcenties definitum est, deficientibus fundatorum heredibus, patronatus Fisco addici oportere.

Deinde prædicti Canonicatus ab initio inutiliter constituti ob commutatam testatorum voluntatem per privatos homines non sine Majestatis injuria, & ob conversa laicalia bona in Ecclesiastica beneficia sine assensu Principis, sola Principis indulgentia legitimam subsistentiam acceperunt, is enim clementia sua confirmavit erectionem illam ab initio nullam. Si igitur Canonicatus neque subsistere possunt, neque bona possidere, nisi ob Principis voluntatem, qui, qua pollet humanitate, Canonicatus subsistere jussit, perinde res est, ac si Canonicatus existentiam, ac bona acceperint a manu ipsius Principis; adeoque ea Principis indulgentia ejus patronatus potissimum est fundamentum. His igitur perpensis, Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Regii Conf. D. Dominici Potenza Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Sex Canonicatus erectos an. 1719. in Ecclesia Collegiata Vallatæ Pedimontii, qui ob solam Principis indulgentiam subsistunt, non obstante eorum abusiva erectione, Regii patronatus esse:* ac

ac proinde eorum patronatus juribus Majestatis adjudicetur, cum omnibus pertinentiis suis, ac præsertim cum jure eligendi, & nominandi Canonicos in singulis vacationibus, ac cum aliis juribus, quæ pertinent ad Patronum Principem. Quapropter prædicti Canonicatus describantur in libris Curiæ inter reliqua beneficia Ecclesiastica Regii patronatus.

In causa redintegrationis Regii patronatus in Cathedralem Ecclesiam Trojanam. Die 4. Martii 1786.

Cum liquido constet aliquā Ecclesiā dotatam feudis, vel bonis a Summa Potestate manantibus fuisse, in dubium revocari nequit eisdem Principibus jus patronatus.

ANno 1785. mense Martio Franciscus Antonius de Simone causarum Patronus, divalium litterarum præcedente venia, in Curia Capellani Majoris libello petiit, ut Regius Patronatus redintegraretur in Ecclesiam Trojæ Cathedralem, utpote prædiis late patentibus dotatam liberalitate Principum, qui Neapolitanis Regionibus imperitarunt. Proinde edictales citationes expeditæ fuerunt, ut judicio adessent omnes, quorum interesse posset. Contumaciis autem de more incusatis, probationibus terminus præstitutus fuit, atque in eo ab actore ad firmandam intentionem suam allegata sunt documenta. Judicio igitur rite ordinato, Curia ad sententiam procedendum censuit.

Producta autem monumenta ejusmodi sunt, ut de Regio in prædictam Ecclesiam patronatu dubitari non sinant. Primo enim fuit exhibitum Diploma Rogerii cognomento Bursæ Roberto Guiscardo prognati, scriptum mense Martio anni 1092., quo is concedit Trojæ Ecclesiæ, ejusque Episcopo Gerardo *Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Arato, & Casale, & ejus Villanos quomodo ibi sunt, & venturi sunt, & cum omnibus pertinentiis sibi a patre meo concessis, quorum fines, & termini hi sunt &c.* Animadverti autem oportet, ob concessiones prædictæ Ecclesiæ a Roberto factas jam inde Rogerium ejus filium in eam jura Patronatus exercuisse per ipsam Episcopi electionem. Hæc enim in Diplomate occurrunt: *Concedo Trojanæ Ecclesiæ, & Domino Gerardo venerabili Episcopo, qui nunc prædictæ Ecclesiæ præest, quem ego favente Trojano Cle-*

Clero, & principali, & præsente, & cooperante Legato S. R. E., cui Trojana principaliter subjecta est, in Pontificem elegi, Ecclesiam S. Mariæ de Arato &c.

Aliud exhibitum est Diploma Ducis Rogerii mensis Maji anni 1092., in quo ostendens se velle sancta & venerabilia loca Beneficiis necessariis dotare, concessit prædictæ Ecclesiæ, & eidem Gerardo *Trojanæ Sedis venerabili Episcopo Casalem, qui dicitur S. Laurentius in Carminiano, cum omnibus rusticis tam præsentibus, quam futuris, & cum omnibus pertinentiis suis, quorum fines, & termini hi sunt &c. Hunc igitur Casalem, qui dicitur S. Laurentius in Carminiano, cum omnibus terris, quæ infra suprascriptos terminos concluduntur, & cum omnibus rusticis, qui modo ibi habitant, & qui aliquando habitaturi sunt, do & concedo Sacræ Trojanæ Ecclesiæ, & tibi Domino Gerardo venerabili Episcopo, & omnibus successoribus tuis in perpetuum habendum, & possidendum liberum & absolutum ab omni contrarietate mea, vel heredum & successorum meorum.*

Neque vero prædicti Principis in eamdem Ecclesiam munificentia hic substitit. Anno enim 1105. tertio suo Diplomate eidem Ecclesiæ in augmentum dotis concessit prædia latissime quidem patentia. Ita in Diplomatis epigraphe: *Donatio facta per Rogerium Ducem Guilelmo Episcopo de augmento terrarum, & tenimenti S. Laurentii in hæc verba*. Mox ita subdit: *Dono & concedo S. Trojanæ Ecclesiæ, & tibi Domino Guilelmo Trojanæ Sedis venerabili Episcopo, tuisque successoribus in perpetuum Terras, quarum fines & termini hi sunt &c.* Ex latissimo autem finium, & terminorum ambitu, cernitur inter eos comprehensa fuisse maximæ extensionis prædia, ac speciatim quæ dicuntur hodie feuda Montis Calvelli, & petia S. Nicolai in locatione Pontis Albaneti, quæ carros, quos vocant, ferme quinquaginta patent, quæque secundum Apuliæ mensuram jugera faciunt mille octingentum, & unde ducati pro mercede redeunt ultra duo millia.

Præterea producta sunt vetera documenta, unde liquet, statim ab initio Trojanos Episcopos ex prædictis concessionibus utilitatem maximam percepisse. Lubet ea de re veterem

rem chartam hic exhibere. Ea sic habet: *Præceptum hominum de Monte Arato. Ego Ubertus Trojanæ Sedis Episcopus concedo & annuo omnibus hominibus habitantibus in Monte Arato præsentibus, & futuris domos ædificare, vineas, & arbores plantare, terras laborare, ovium pascua, porcorum, atque armentorum habere*. In eadem vero charta ab ipso anno 1100. constitutæ fuerunt præstationes, quas homines Montis Arati persolvere oportebat Episcopo, & successoribus suis.

Alia vetus charta sic habet: *Pactum inter Trojanam Ecclesiam, & homines S. Laurentii. Ego Ubertus Trojanæ Sedis Episcopus firmissimo pacto concedo & annuo omnibus hominibus Casalis S. Laurentii, quod Carminianum vocatur, tam præsentibus, quam futuris, quod sine traditione nostra, nostrorumque successorum, terras, vineas, hortos, foveas, quæ in dicto Casali operati fuerint, vendere, & donare omnibus ibi residentibus, eaque dimittere filiis, & filiabus, usque ad septimam progeniem, necnon pro anima sua in Sanctis locis distribuere in nostris Trojanis Ecclesiis, potestatem habeant. Tributum vero, quod mihi, meisque successoribus omni anno homines ibidem commorantes persolvere debeant, hoc est: Si quis habet aratrum de duobus bobus, bis in anno persolvat decem denarios, quinque in mense Maji, & quinque in mense Septembris. Item qui habet aratrum de tribus bobus, seu de pluribus, reddat in anno solidum unum, medium in mense Maji, & medium in mense Septembris. Item qui habet duo jumenta, reddat bis in anno novem denarios, qui vero unum bovem, vel unum asinum, vel unum jumentum, solvat dimidium de dicto pretio dictis temporibus. Homo autem, qui nullum laboriosum habet, bis in anno duos denarios solvat, unusquisque nempe tributum bis in anno reddat saltem, & sex operas cujusvis animalium ad seminandum, & tres ad mundandum, & septem ad metendum, de frumento, hordeo, vino etiam solvat &c.*

At vero insequutis temporibus remanserunt Episcopi in possessione bonorum, quæ ipsis concessa fuerant. Sub Regina etiam Joanna I. ab ea obtinuerunt immunitatem a solutione adohæ respectu feudi S. Laurentii, in Diplomate de die 24. Maji anni 1363. in actis exhibito. Rursus cum ejusdem

Ecclesiæ prædia in locatione Pontis Albaneti sita, occupata fuissent, in eorum possessionem redintegrata fuit per decreta Regiorum Magistratuum. Ita Trojana hodie Ecclesia in pacifica possessione est bonorum, quæ liberalitate Neapolitanorum Principum ei concessa vidimus: Episcopi autem, qui eam Ecclesiam habuerunt, in diversis judiciis, ut jurium suorum. possessionem sibi tuerentur ex concessionibus prædictorum Principum argumenta sumpserunt.

Cum igitur liquido constet, Trojæ Cathedralem Ecclesiam opulenter dotatam esse per veteres Neapolitanos Principes feudis, aliisque ipsius Principatus bonis, in dubium revocari nequit, eisdem Principibus acquisitum fuisse patronatum in eamdem Ecclesiam. Exploratum est enim in jure non minus civili, quam Pontificio, jus patronatus per dotationem acquiri. Jus autem patronatus semel quæsitum in Regem Neapolitanum concessit, in quem & reliqua jura Majestatis migrarunt. Proinde Curia Illustriss. & Reverendiss. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Trojæ Cathedralem Ecclesiam in Capitanatæ Provincia, utpote opulenter dotatam a veteribus Regni Principibus feudis, atque aliis ipsius Principatus bonis, fuisse, & esse Regii patronatus: proinde Regiam Coronam redintegrari oportere, prout præsenti sententia redintegratur in prædictæ Ecclesiæ patronatum, cum omnibus bonis, feudis, Ecclesiis inde pendentibus, præeminentiis, & privilegiis, & cum omnibus prærogativis, quas leges, & Canones Principi Patrono tribuunt, & præsertim cum jure nominandi Episcopi, quoties Ecclesiam vacare contigerit. Ne quid autem detrimenti Regia jura capiant, Ecclesia Trojæ Cathedralis referatur in libris Curiæ inter alias Cathedrales, in quas patronatus Principi competit.*

In

In causa redintegrationis Regii patronatus in Dignitates, & Canonicatus Cathedralis Ecclesiæ Cavensis. Die 20. Martii 1786.

Regii patronatus in Cavensem Cathedralem Ecclesiam redintegrationis absoluto judicio, petitum est quoque, ut in Dignitates etiam, & Canonicatus ejusdem Ecclesiæ Regius Patronatus redintegraretur. Ut igitur solito judiciorum ordine res ageretur, lis denunciata fuit cum Episcopo, tum Cavensi Capitulo. Termino autem probationibus præstituto, allegata sunt documenta, unde de eo quoque Principis patronatu liquere posset.

Cum Monasterium, quod Regii patronatus est, dederit dotis nomine Episcopali alicui Ecclesiæ redditus decerptos ex bonis per Principes Monasterio concessis, sequitur ut etiam Cathedralis Ecclesia Regii patronatus declaretur.

Tota vero prædicti patronatus possessio inde desumitur, anno 1513. Regium Monasterium Trinitatis Cavensis Regii patronatus jam declaratum, Ecclesiæ Cathedrali Cavensi per id temporis erectæ dotis nomine dedit annuos scutatos auri de Camera mille quadringentum. Summa autem isthæc decerpta fuit ex bonis per veteres Neapolitanos Principes Monasterio Cavensi concessis. Ea causa fuit cur anno 1779. die 14. Augusti prædicta Cathedralis Ecclesia cum Monasterio, Regii patronatus declarata fuit. Inter bona autem, unde prædicta summa redibat, insequentia numerata fuerunt *Census Camerariatus*, *Census de Camera*, *pensiones quædam annuæ*, *seu affictus bonorum stabilium*.

Inde ostensum est, anno 1515. Cardinalem Aragonium, Episcopalis Cavensis Ecclesiæ administratorem, ad Cavensis Universitatis preces eidem quasdam gratias concessisse, easque confirmatas fuisse instrumento successoris Episcopi. Preces eo redibant: *Item supplicant prædictam Ill Dominationem, ut creare dignetur in prædicta Ecclesia noviter construenda Capitulum cum quatuor Dignitatibus, duodecim Canonicos, Sacristam, & Cantores duos = Placet quatenus dos Ecclesiæ patiatur. Item supplicant, ut Ill. Dominatio dignetur constituere mensam Capitularem ex dicto Episcopatu, eique dare præbendam in scutatis aureis de Camera quatuorcentum inter ipsos dividendam = Placet deductis & reservatis nobis fructibus ad vitam, modo & forma inter nos servandis.*

Cum igitur eo modo prædictæ Cathedralis Ecclesiæ Capitulum initia habuerit, ei præbenda decerpta scutatorum quatuorcentum desumptorum ex dote Ecclesiæ constituta in annuis scutatis mille quatuorcentum, & ipsa decerpta ex Monasterii bonis: inde illatum, Dignitates, & Canonicatus quoque prædictæ Ecclesiæ Regii patronatus censeri oportere, Monasterium enim, Ecclesiam, Capitulum dotem suam agnoscere ex veterum Principum liberalitate.

Ut autem ostendatur, Dignitates, & Canonicatus prædictos eas præbendas hodie possidere, easque constare bonis a Monasterio datis Ecclesiæ Cathedrali, atque inde ab Episcopis dotis titulo concessis Capitulo: exhibiti sunt sex libri veteres, seu Catasta diversarum præbendarum Canonicalium, ubi recensentur diversi reditus ad quemque Canonicum pertinentes. Curiæ autem Cancellario prædictos libros inspicere jusso, & referre quod oporteret circa qualitatem, & identitatem bonorum, quæ ad Canonicatus pertinent: ab eodem renunciatum est, in antiquis libris præbendarum Canonicalium contineri testimonia plurium personarum ab antiquo facta, quæ declarant, se debere Monasterio Cavensi varias præstationes annuas ob stabilia a se in censum accepta. Ita autem constitit, præbendas hodie ad Canonicos pertinentes constare bonis, quæ ab initio ad Cavense Monasterium pertinuerunt ob Neapolitanorum Principum concessionem, & quæ postea anno 1513. a Monasterio dotis nomine Cathedrali Ecclesiæ assignata fuerunt sub nomine *Censuum de Camera*, & quæ tandem anno 1515. ab Episcopis ipsi Capitulo dotis titulo concessa fuerunt. His igitur rite perpensis, & inspecto quoque libello Advocati Regiæ Coronæ, Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Regii Consiliarii D. Dominici Potenza, Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Dignitates, & Canonicatus Capituli Ecclesiæ Cathedralis Cavensis, fuisse & esse Regii patronatus, proinde Regiam Coronam redintegrandam, ut præsenti sententia redintegratur in prædictum patronatum, una cum bonis, præbendis, juribus, ac prærogativis pertinentibus ad Dignitates & Canonicatus prædictos, juxta*

ta integrum eorum statum , & cum jure ad Regem ejusque in Regno successores spectante eligendi Canonicos , eosque qui dignitates occupent in singulis vacationum casibus . Ne vero Regia jura detrimentum patiantur , prædictæ Dignitates & Canonicatus describantur in libris Curiæ inter alia beneficia Regii patronatus .

In causa in gradu appellationis Regii patronatus super Abbatiam S. Martini de Mesa inter Archiconfraternitatem S. Spiritus de Urbe Roma , & Regium Fiscum. Die 8. Junii 1786.

Cum per Curiam Rev. Capellani Majoris sententia interposita sub die 7. Januarii 1783., *fol.* 249., fuisset decretum abusivam, & nullam fuisse unionem factam Abbatiæ S. Martini de Mesa, Archiconfraternitati S. Spiritus de Urbe Roma ; dicta Archiconfraternitas appellavit ab hac sententia , & datus fuit Dominus M.les U. J. D. D. Franciscus Peccheneda Regius Consiliarius , Præses Regiæ Cameræ Summariæ, in præsenti causa Judex appellationis specialiter per S. R. M. per quem fuit provisum : *Bene judicatum per Curiam Reverendi Capellani Majoris in citata sententia diei 7. Januarii* 1783. , *fol.* 249. , *respectu nullitatis unionis Abbatiæ , sive Beneficii Sancti Martini de Mesa in beneficium Venerabilis Archiconfraternitatis Sancti Spiritus de Urbe Roma , & male appellatum pro parte ejusdem Archiconfraternitatis Sancti Spiritus , ac proinde dicimus , decernimus , sententiamus , declaramus , & confirmamus , unionem prædictam fuisse , & esse abusivam , & nullam* . Ac visis ceteris actis , declaratum: *Abbatiam , sive beneficium nuncupatum S. Martini de Mesa , extincto Collegii Monastici titulo , fuisse , & esse devolutam in beneficium Regiæ Coronæ , cum facultate pleno jure disponendi de ejusdem Abbatiæ juribus , ac bonis omnibus , subrogata legitima Principis potestate , ubi deficit defuncti fundatoris arbitrium , ad normam Regiæ declarationis diei* 10. *Septembris proxime elapsi anni* .

Deficiente titulo Monastico , Canonica Ecclesiastici beneficii erectio quoque deficit , retenta natura legati pii .

Omnia jura , & bona, quæ temporalia sunt, a solius Principis potestate pendent , & proinde uniones, collationes, & concessiones si a Principis voluntate non proficiscantur , nullius sunt roboris .

Diversa est natura Regii exequatur ab illa Regii assensus.

Et cum Capitulum Rheginum petiisset Regium assensum in unione Abbatiæ S. Martini de Mesa facta anno 1682. ab Ar-

Archiepiſcopo Rhegino in beneficium ejuſdem Capituli, *fol.* 342., decretum eſt: *quod reſpectu deductorum in dicta ſupplicatione Capituli Rhegini, explicata prius inſtantia Domini Advocati Regalis Coronæ, providebitur ſuper conſultatione facienda S. R. M. vigore prædicti Regalis Reſcripti*.

Perſpicuum enim eſt ex ipſis Bullis Pontificiis apud acta exhibitis, Abbatiam, de qua agitur, titulo Collegii Monaſtici fuiſſe inſignitam, ac conventu in poſterum caruiſſe. Hæc ſunt verba: *Monaſterium Abbatia nuncupatum S. Martini de Meſa, ſeu de Calanda, Sancti Benedicti, ſeu Sancti Baſilii, aut alterius Ordinis, Rheginenſis Civitatis, vel Diœceſis*. Et infra: *Monaſterium præfatum, quod cura, & conventu caret, & de quo conſiſtorialiter diſponi non conſuevit, fol.92. proc. curr.* Certum porro eſt, deficiente titulo Monaſtico, Canonicam Eccleſiaſtici quoque tituli erectionem omnino deficere, pii dumtaxat legati natura retenta.

Quæ quum ita ſint, omnino patet, omnia hujuſmodi jura, ac bona, quæ nonniſi temporalia ſunt, a ſolius Principis poteſtate pendere; propterea conceſſiones, collationes, atque uniones, ſi a Summa Principis Poteſtate non proficiſcantur, nullius roboris eſſe habendas. Quocirca unionem bonorum Abbatiæ, de qua agitur, anno 1698. a Romano Pontifice *motu proprio, non ad alicujus inſtantiam, ſed ex mera ſcientia, liberalitate, & Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine*, ut in ipſis Bullis aſſeritur, *fol.92.*, factam Archiconfraternitati Sancti Spiritus Nationis Neapolitanæ in alma Urbe erectæ, nulla accedente ſpecifica Principis conceſſione, nullam habere firmitatem, apertiſſimum eſt.

Principio quidem occurrit, quod unio, de qua agitur, peracta eſt a Summo Pontifice *motu proprio*, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine; quæ quidem poteſtas, niſi ſpirituale jus tangat, temporalia jura Principum invadit. Profecto, extincto titulo, ſive Canonico miniſterio, eodemque non exiſtente, nil ſpirituale ſupereſt; ſed quod eſt reliquum, id tantummodo bona attingit, quæ temporalibus accenſentur: ac proinde bonorum hujuſmodi diſpoſitio non a Ponti-

fice,

fice, nec ab Episcopis, sed ab uno Principe petenda est.

Præterea, si de re beneficiaria ageretur, uniones Beneficiorum, præcipue quæ perpetuæ sunt, utpote jus alteri quæsitum lædentes, ex unanimi Canonistarum sententia tanquam odiosæ sunt habitæ, tum aliis de causis, tum præsertim, quod Beneficia instituta sunt, ut singula suum habeant ministrum. *Van-Espen P. II. tit. XXIX. cap. 2.*, iidemque uniones ipsas *speciem esse alienationis* merito adfirmant. Propterea, quum Ecclesiæ tutela Principi sit demandata, atque alienandi facultas Ecclesiæ Ministris legum sanctionibus sit vetita, fieri nequit, quin in unionibus solemnis, ac legitima Principis omnino intercedat auctoritas. Tutela enim Reipublicæ, in qua est Ecclesia, juribus Majestatis inhærens, vim, & potestatem suam, præsertim in beneficiorum unionibus, exercere debet; quod si secus evenerit, fundationes, quæ publici juris sunt, evertantur necesse est.

Accedit, quod uniones Beneficiorum quacunque ex causa de una in aliam Diœcesim, ac multo magis de uno Regno, vel Principatu in alium, utpote ab abusu potestatis Ecclesiasticæ manantes, nullo temporis intervallo firmitatem accipere possunt. Hæc quidem publici juris pars, publica suadente causa, apud omnes ferme Nationes est habita. Hujus rei exempla extant apud Fevretium *de abusu lib.2. cap.4. num. 28.*

Neque obstat, quod Pontificiæ unioni anno 1698. *Regium*, quod ajunt, *Exequatur* accesserit, quod utique vice Regiæ concessionis fungatur. Hoc sane absurdum est, & ad imminuenda Majestatis jura excogitatum. Quis enim inficias ibit, in omnibus Regiis placitis, quæ Pontificum concessionibus adjiciuntur, pro Regiæ Majestatis, Regnique incolumitate perpetuo tuenda, insitam inesse clausulam *Regiis juribus, Regnique legibus, ac moribus semper salvis? Regium* præterea *exequatur* eo potissimum spectat, ut Princeps territorialis patiatur, ea, quæ constituuntur, aut rescribuntur extra Regnum ab Ecclesiastica potestate, usui esse in Regno, si legibus patriis, & Majestatis juribus non officiant

ciant. Proinde Princeps, *Regium exequatur* concedens, id dumtaxat agit, ut finat, eas caufas, pro quibus *Regium exequatur* indulget, in arbitrio fuiffe Ecclefiafticæ poteftatis, quæ extra Regnum exercetur. Contra vero Regii affenfus ea eft natura, ut ipfe Princeps territorialis vim omnem addat, imo communicet caufis, pro quibus affenfum interponit fuum. Quum vero Beneficiorum uniones, & tanquam alienationes, & tanquam voluntatum commutationes, in forma faltem fpecifica affenfum Principatus requirant, plane fequitur, eas affenfu Regio communiendas, nec fatis fuiffe, ut a Pontificia poteftate factæ *Regio exequatur* permitterentur: nifi quis dicere velit, illud fieri potuiffe, ut Princeps territorialis pateretur, exteram Poteftatem in Regno fuo fummis potiri Majeftatis juribus.

Quæ modo dicta funt, in re beneficiaria locum habent; in re vero temporali, quæ pia legata complectitur, Pontificum conceffio, five alienatio ipfo jure eft nulla; ac proinde *Regium exequatur* in iis rebus, quæ pii tantum legati naturam induunt, vice Regiæ conceffionis fungi poffe, adeo eft abfurdum, perinde ac fi diceres, *quod meum eft*, *alieni juris effe poffe*; idque *contra naturam* effe, fanxere leges.

Eliminanda igitur opinio eft, *Regium exequatur* Regis affenfum implicite continere: quod quidem fæpius Regiis Refcriptis declaratum eft. Ad rem omnino faciunt, quæ fequuntur, Refcripti verba: *Ha veduto il Re quanto V. S. Ill. ha rappresentato sull' istanza dell' Avvocato della Corona, il quale ha chiesto, che per la causa del Regio Padronato della Badia della Trinità di Mileto, da decidersi in grado di appello, si giudichi in termini di giustizia, e non di economia al solo Principe riservata, e che tengano presenti le massime fondamentali della Sovranità del Re in altre occasioni ricordate, così toccante i Regj dritti de' Padronati delle Chiese Conventuali, come il non bastare l'* Exequatur, *trattandosi particolarmente di Regio Padronato sulle Bolle di unione, e di traslazione; e tanto meno un* Exequatur implicito; *ma essere necessario l'Assenso in forma specifica solennemente emanato dal Trono. E memore la M. S. di*

di non esser questa la prima volta, in cui ha dovuto soccorrere alla oscitanza de' suoi Magistrati, e frenare gli arbitrj col ricordare loro le leggi, e le regole, che debbono tener ferme nel giudicare. Mi comanda dire a V.S. Ill., che siccome l' entrare in termini di economia è fuori della facoltà del Giudice, circoscritta nell' esecuzione delle leggi; così vuole ancora la M. S., che resti V. S. Ill. nell' intelligenza, che nella causa del Regio Padronato della Bagnara si ebbe per massima fondamentale della Sovranità, che nella reintegrazione del Regio Padronato di Chiese Conventuali, quando non sia mutata l' antica forma (come tutto giorno si pratica) non debba controvertirsi il dritto di eligere, che al Re appartiene. E vuole ancora S.M., che resti V.S. Ill. nella intelligenza, che coll' occasione del Baliaggio di S. Stefano di Potignano, il quale essendo da principio un Monistero di Regia fondazione, trovavasi con Bolle Pontificie unito alla Religione di Malta, e che anche pretendeasi confermato dalla Sovranità con Regj Assensi impliciti, dichiarò la M.S. con Dispaccio de' 8. *Agosto* 1771. *per questa Segreteria di Stato, che vedea il Re una Regia fondazione, vedea una traslazione non Regia, vedea la massima fondamentale della Sovranità, di non potersi supplire per equipollenza, e congettura il necessario atto della Sovranità, ovunque si trattasse di qualunque genere di concessione; ma dover tal atto esser chiaro, espresso, pensato, ed emanato solennemente dal Trono. Con qual Dispaccio resta per punto generale ordinato, che il Regio Assenso, e tutto quello, che è Regalia, non si possa supplire nè per tempo, nè per congettura, nè per equipollenza, ma dee essere solenne, e nella forma specifica, e vedersi ocularmente originale e nudo. -- Caserta* 10. *Febbrajo* 1772. *Bernardo Tanucci -- Sig. Consigliere Caporuota D. Carlo Paoletti.*

In eamdem sententiam loquutus est idem augustus Rex noster in Rescripto, quod ad Cameram S.Claræ missum est die 15. Augusti 1785. Jussit enim, tanquam Principatui noxiam, haberi opinionem, quæ *Regium exequatur* in locum Regii assensus subrogat.

Quapropter, sanctiore disciplina Regiis Rescriptis firmata, optimo jure Principi, quæ Principis sunt, sarta tecta servanda censuimus.

In causa redintegrationis Regii patronatus in Ecclesiam Cathedralem Gravinensem. Die 7. Junii 1786.

Ecclesiæ, quæ bonis Principatus dotatæ sunt, Regii sunt patronatus.

DOctor D. Paulus Tambellus supplici libello suo Principem interpellavit, ut sibi patrocinium mandaret Regii patronatus in Gravinensem Cathedralem Ecclesiam, innixi documentis a se producendis. Ita Divalibus litteris anni 1784. Curiæ Capellani Majoris in mandatis datum, ut audito prædicto Tambello, quomodo expediret, juxta Regni leges, & politiam de prædicta controversia sententiam diceret. Hinc per Curiam citationes per edictum sunt expeditæ, ut judicio adessent, quorum interesse posset, ac præsertim Episcopo Gravinensi denunciata lis fuit. Nemine judicio se sistente, contumaciæ de more sunt incusatæ. Mox probationibus termino præstituto, ad institutam actionem fundandam producta sunt documenta. Termino igitur rite conflato, ad causæ definitionem Curia procedendum censuit.

Ea de re primo fuit exhibitum Diploma Umfridi Gravinæ Domini, ex genere veterum Nortmannorum Principum, datum anno 1093. mense Septembri. Ibi enarrat, in adventu suo in Gravinæ Civitatem se maximo dolore affectum; eam enim Ecclesiam, quamvis sub regimine Arnaldi Archiepiscopi Acheruntini constitutam, proprio tamen Rectore jamdiu viduatam esse: se execratum a militibus suis, & a Gravinæ Nobilibus, ut legatos ad Archiepiscopum mitteret, Rectoris Ecclesiæ constituendi causa, Archiepiscopum vero id facere recusasse, dicentem *Ecclesiam Gravinensem non oportere Episcopali Sede fungi, paupertatis tanto onere depressam, quod si aliquis in ea ordinaretur Episcopus, victum ibi una die vix inveniret*. Id cum rescivisset Umfridus, & secum cogitans, quomodo Episcopi, & totius Ecclesiæ subsistentiæ consuleret; Montem Pilosum venit Archiepiscopi rogandi causa, ut se Gravinam conferret, atque ibi de utilitate Ecclesiæ ageretur. Id cum impetrasset, congregatis militibus, & optimatibus, coram Archiepiscopo se dotem Ecclesiæ in sequentem modum constituisse tradit:

Ob-

Obtuli super ejusdem Ecclesiæ Altare, & concessi in perpetuum cunctam integre decimationem nostram frumenti, hordei, vini, monetæ, omniumque quatrupedum nostrorum, & fructuum hortorum absque ulla diminutione, meo fratre Aytardo, meisque militibus præsentibus cunctam suam decimationem similiter concedentibus, & offerentibus. Concessi potestatem homines affidandi quotcumque ipsi Ecclesiæ se affidare voluerint: & ut Episcopus potestatem habeat hominibus Ecclesiæ Judicem ordinare ... Ipsi etiam homines tam Clerici, quam Laici, habeant licentiam arandi, & seminandi terras nostras, & plantandi vineas, salvo jure nostro: sed Ecclesia, Episcopus, & Canonici sine terratico semper laborent ubi voluerint terras nostras, & plantare vineas sine aliquo reditu vini, & non sint sub aliquo banno publici juris. Concessi etiam perpetuo omnibus hominibus ipsius Sanctæ Ecclesiæ potestatem ædificandi domos, & cavandi cryptas sibi, & foveas in terris nostris, absque ulla datione penitus, & contrarietate. Omnia vero animalia eorum habeant communem aquam, & herbam per universas terras Gravinæ sine aliqua affidatione, & impedimento, & ligna pro foco communia esse volumus, & statuimus eis omnes utilitates totius Gravinensis Terræ, tamquam nostris propriis hominibus. Præterea concessi, ut omnia animalia Sacri Nostri Episcopi semper habeant pascua ubicumque nostra propria animalia pascunt, & ut ligna incidantur in nostris nemoribus, & incisa deferantur ad utilitatem Ecclesiæ, & ad ædificationem domorum ejus; & omnia jura, quæ Episcopali honori pertinent, omnia præscriptæ Gravinensi Ecclesiæ, sine mea, meorumque heredum vel successorum contrarietate vel contradictione stabilivi, & perpetuo concessi.

Aliud etiam productum est documentum anni 1152., unde liquet, Marchionissam Philippam viduam Marchionis Manfredi Gravinæ Dominæ, ex consilio Ursonis ejusdem Civitatis Episcopi animum appulisse ad construendam in Episcopio Capellam in honorem Sanctorum omnium; ea constructa, multos Episcopos, & Abbates invitasse, ut eam rite dedicarent. Eos tamen dedicationem recusasse, eoque venire se nolle testatos, nisi prius Capellam dotasset, eamque

subjecisset Episcopo cum omnibus juribus, quæ ad eam pertinebant. Ea autem in instrumento ea de re confecto dixit se statim ejusmodi conditionem implesse: *Nam prius eam dotavi de viginti affidatis meis, quos prædictus Dominus Maritus meus cum Florengia mihi in dodarium cum aliis affidatis dedit, & de terris Sancti Martini pro quatuor aratris circa eamdem Ecclesiam dirutam, & de bobus quatuor, & de scrofis viginti prægnantibus, & equabus tribus, & de ovibus centum, quod, velut ego ipsa cognovi, me facere oportuit. Postquam de prædictis dotibus eamdem Capellam omnium Sanctorum dotavi coram prætitulatis Episcopis, & Abbatibus, una cum ipso filio meo prænominato, & cum Guilelmo Folliarino, & Umfrido de Piro Baronibus ipsius filii mei, tradidi eamdem Capellam cum omnibus præscriptis dotibus in manus ipsius Domini Ursonis Episcopi, Accardo Milite suo Advocato cum eo stante, & per clavem recipiente cum eo, sic ut amodo ipsa Capella, cum omnibus suis dotibus præscriptis, sit in potestate, & regimine, & ordinatione prælibati Domini Episcopi Gravinensis, & omnium Successorum ejus. Sicque eo die, Spiritus Sancti gratia suffragante, consecrationis munus ab eodem Domino Episcopo Gravinensi eadem Capella consecuta est.*

Denique Diploma fuit exhibitum Tancredi de Say Comitis Gravinensis datum mense Septembris 1189., unde constat eum pluries interpellatum per Thomam Gravinensem Episcopum, ut donationem aliquam largiretur Ecclesiæ Gravinensi in demanio suo constitutæ, cum ob animæ suæ remedium, tum ob ejusdem Ecclesiæ commodum, tandem eam peregisse insequentibus verbis: *Concessimus, donavimus eidem Ecclesiæ in perpetuum, & tradidimus in manibus ipsius Domini Episcopi terras, quæ sunt inter rivum majorem, & vallonem, qui descendit a fonte, qui dicitur Cordasca, & iis finibus designatur . . . Ea tamen ratione, ut amodo in antea omni futuro tempore idem Dominus Episcopus, vel ejus successores habeant, teneant, & possideant, atque dominentur omnes præsignatas terras a fine in finibus cum omnibus pertinentiis suis & utilitatibus, ad utilitatem & commodum ipsius Gravinensis Ecclesiæ, franca ra-*

ratione, faciantque in eis, & ex eis quidquid voluerint sine nostra, nostrorumque heredum, seu successorum contrarietate, contradictione, vel requisitione.

Illud autem omitti non debet, tria memorata Diplomata in autographis ipsis oblata fuisse per Jacobum Gravinensem Episcopum Carolo II. Andegavensi. Ne vero eorum memoria periret, seu ob temporis vetustatem, seu ob alias rerum humanarum vices, de verbo ad verbum fuerunt inseria in quarto Diplomate edito ab ipso Rege Carolo 17. Novembris 1308., cujus regestum extat in tabulario Regiæ Siclæ.

Quoniam igitur in dubium revocari nequit, Gravinæ Cathedralem Ecclesiam fuisse dotatam per veteres Neapolitanos Principes, quo tempore jure Summi Imperii in Regni Neapolitani Provinciis utebantur, inter summas ejusdem Ecclesiæ angustias, ipsius Principatus bonis, & immunitate earum præstationum, quæ jure Majestatis exigebantur: inficias iri non poterit prædictam Ecclesiam Regii patronatus esse. Ut enim ex regulis utriusque juris exploratum est, patronatum in Ecclesias per dotationem acquiri; ita exploratum etiam est, patronatum ejus Ecclesiæ per prædictos Principes acquisitum ad hodiernum Regem Neapolis rediisse, in quem & reliqua eorum jura migrarunt. Cum vero aperte liqueat, prædicta dotatione non solum Episcopi, sed & Canonicorum sustentationi fuisse prospectum, necessario inde consequitur, Regium patronatum extendi non solum ad nominationem Episcopi, sed Canonicorum quoque in singulis vacationibus. Proinde Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ejusdem, ita definivit: *Gravinensem Cathedralem Ecclesiam fuisse & esse Regii patronatus, ac proinde Regalem Coronam in eum redintegrandam, ut præsenti sententia redintegratur cum omnibus suis bonis, feudis, Ecclesiis, juribus, privilegiis, immunitatibus, & pertinentiis sui primævi status, & cum jure ad Principem, ejusque in Regno successores spectante, eligendi, & nominandi tam Episcopum, quam Dignitatarios, & Canoni-*

cos

cos ejusdem Ecclesiæ Cathedralis in singulis vacationibus & cum reliquis juribus, quæ ad Patronum Principem leges pertinere jubent. Ne vero jura Regia detrimentum capiant, Gravinæ Cathedralis Ecclesia describatur in libris Curiæ inter alias Ecclesias Regii patronatus.

In causa redintegrationis Regii patronatus in Cathedralem Ecclesiam Archiepiscopalem Civitatis Capuæ. Die 8. *Junii* 1786.

Cum regulæ juris utriusque per fundationē & dotationē cuique privato patronatum tribuunt, Regii patronatus erunt Ecclesiæ, quæ bonis Principatus fuerunt dotatæ.

CUm in Curia Capellani Majoris actio instituta fuerit, qua petabatur, ut Regius patronatus redintegraretur in Capuæ Archiepiscopalem Ecclesiam, ad judicium rite ordinandum edictales citationes sunt expeditæ, ut ei adessent, quorum interesse posset. Cum vero nullus contradictor copiam sui fecerit, processit Curia ad examen documentorum in actis productorum, unde de Regio in prædictam Ecclesiam patronatu constabat.

Primum omnium, veterum Scriptorum auctoritate fuit ostensum, in consequentiam edictorum Imperatoris Constantini, quibus cavebatur, ut in honorem veri Dei magnifica Templa construerentur Imperiali pecunia, solita ejusdem Principis liberalitate veteris Capuæ primam Cathedralem Ecclesiam fuisse fundatam, Constantinianam Basilicam jam inde dictam; eadem vero non solum ad divini cultus Majestatem ornamentis fuisse ditatam, sed & latifundiis fuisse locupletatam, ut Ministris perpetua alimenta suppeterent. Ea de re Anastasius Bibliothecarius ita scripsit in vita S. Sylvestri.

Eodem tempore fecit Beatissimus Constantinus Augustus intra Urbem Capuam Basilicam Apostolorum, quam cognominavit Constantinianam, ubi posuit dona hæc: Patenas argenteas duas pensantes singulas libras viginti, scyphos argenteos tres pensantes singulas libras octo, calices ministeriales quindecim pensantes singulas libras duas, amas argenteas duas pensantes singulas libras decem, candelabra ærea in pedibus denis pensantia singulas libras 180., *phara cantara ex argento triginta. Et donum quod obtulit, possessionem in Territorio Menterno, Massam Statilianam præ-*

præstantes solidos 85., *Possessionem Paternum in territorio Suessano præstantem solidos* 150., *Possessionem ad centum in territorio Capuano præstantem solidos* 60., *Possessionem in eodem territorio Suessano Gauronicam præstantem solidos* 40., *Possessionem Leonis præstantem solidos* 40.

Ejusdem fundationis illustre monumentum occurrit in Vulturnensi Chronico *lib. I.* transcripto a Muratorio *tom.* 1. *Scriptor. rer. Italic. pag.* 330. Ibi enim traditur, Constantinum fundasse *in Civitate Capuana Ecclesiam in honorem Apostolorum, quæ dicitur Constantiniana*. Idem testatur Alphonsus Ciacconius in *Vit. Pontific. tom.* 1. *fol.* 217. *in vita S. Sylvestri* his verbis: *Præterea juxta urbem Capuam in Campania Basilicam sub nomine Apostolorum idem Imperator Constantinus construxit, cognominatam a Civibus Constantinianam. Cui donavit quinquaginta mille septingentos, & quinquaginta coronatos in ornamentum, & splendorem divini cultus: duobus mille sexcentum aliis aureis, Sacerdotibus inibi ministrantibus constitutis*. Eamdem fundationem memorat Baronius ad ann. 324. n. 62. Recentioribus vero temporibus Abbas Fleury historiæ Ecclesiasticæ scriptor accuratissimus describens *lib. XI. num.* 36. Ecclesias Constantini jussu constructas cum Romæ, tum in aliis Italiæ partibus, specialem mentionem injicit Ecclesiæ Capuanæ in honorem Apostolorum extructæ, Constantinianæ appellatæ, & annuorum redituum, qui per Constantinum ei decreti fuerunt.

Testimonium prædictorum Scriptorum confirmat Eusebius Pamphilus in vita Constantini. Is enim enarrans res a Constantino gestas postquam Maxensium debellavit, & ingenti cum laude ingressus est Romam, descripsit ipsius iter per Italiam inter comitatum Episcoporum, & thesauros, quos in Ecclesiarum extructionem expendit, *lib.* 1. *cap.* 42. *Ad hæc quocumque iter faceret, eos secum deducebat, Deum, quem illi colerent, ob id etiam propitium sibi adfore pro certo habens. Quin etiam Ecclesiis Dei plurima ex thesauris beneficia subministravit, partim Sacras ædes amplificans, & in sublime erigens, partim augusta Ecclesiarum sacraria plurimis donariis exornans*. Idem Eusebius *lib.* 2. *cap.* 45. memoravit binas Constantini leges, al-

alteram ad abolendum idolorum cultum, alteram ad construendas Ecclesias; addito, ut eam in rem expendenda pecunia e thesauris Imperialibus desumeretur. *Altera lex, quæ Oratoriorum fabricam in sublime erigi, & Ecclesias Dei tam latitudine, quam longitudine ampliores effici præcipiebat, perinde ac si universi, ut ita dixerim homines, insana multorum Deorum observantia e medio sublata, in posterum accessuri essent ad Deum. Hæc Imperatorem sentire, hæc ad cujuscumque Provinciæ Præsides scribere, religiosa Divini Numinis observantia impellebat. Illud præterea lex continebat, ne pecuniis largiendis parcerent, sed ut ex Imperialibus thesauris sumptus ad Ædium Sacrarum constructionem depromerentur. Quin etiam ad cujuscumque loci Ecclesiarum Antistites istiusmodi litteræ scribebantur: cujusmodi etiam ad me scribere dignatus est*. Et revera in epistola ad eumdem Eusebium, quæ apud eum extat *cap*. 46. Constantinus illum certiorem fecit, se Provinciarum omnium Præsidibus mandasse, ut quamcumque pecuniæ summam præberent, qua opus esset in extructionem Ecclesiarum. *Cunctos admone, ut in opera Ecclesiarum omni studio, ac diligentia incumbunt, quo aut reparentur, quæ adhuc manent, aut augeantur in majus, aut, sicubi usus postulaverit, nova ædificentur. Quæcumque autem necessaria fuerint, & ipse, & reliqui alii tuo interventu, tum a Præsidibus Provinciarum petant, tum ab officio Præfecturæ Prætorianæ. His enim per litteras præceptum est, ut omni diligentia iis, quæ tua sanctitas dixerit, obsequantur*.

Demonstratum est etiam, Sæculo XI. cum Capuæ imperitabant Longobardi Principes, destructa ferme veteri Civitate, Landonem, Paldonem, Landonulfum, & Landulfum, omnes prognatos Landulfo Matico e vivis erepto, ædificare connixos novam Capuæ Civitatem *prope pontem Casilini Vulturni fluminis*, ubi hodie cernitur; præ ceteris autem novæ Civitati construendæ studuisse Landulfum juniorem, qui cum Comes esset Capuæ ejusdem Civitatis fuit Episcopus, inde Comite Landone mortuo ei superstes fuit Comes Lando junior cognomento *Cirrutus*, qui secundum testimonium Chronici Comitum Capuæ, novam Ecclesiam Cathedralem ædifican-

ficandam instituit, & turrim Campanariam penes Casilinum, ubi hodie cernitur. Neque tamen is absolvere potuit ædificium inchoatum. Nam anno nondum exacto, comitatu privatus fuit per Paldonem patruum suum, Matico prognatum, *qui comitare volebat in Episcopio* cum fratre suo Landulfo Comite, ut constat ex eo loco Chronici: *Land. Cyrrutu fil. ejus Episcopiu, & Turri in Casulinu extruere cœpit. Sed ante anno Comitatu pulsus est a Pald. fil. Mathicu thiu suo, qui comitare volebat cum Landulfo fratre suo in S. Aula Episcopiu.* Ita novæ Cathedralis, & turris campanariæ extructio absoluta fuit per Landulfum Comitem alium patruum suum, qui & Episcopus fuit. Narrant enim Capuæ Historici recentioris ætatis, ante ruinas superioris ordinis turris Campanariæ, in marmore ibi existente fuisse scriptum, ME LANDO REXIT, LANDULFUS CULMEN EREXIT: in veteri etiam inscriptione musivi operis, quæ in eadem Ecclesia legebatur, sequens carmen fuisse, CONDIDIT HANC AULAM LANDULFUS, ET OTHO BEAVIT.

Animadversum est quoque, post obitum Landulfi Comitis, inter dissidia, quod ad electionem novi Episcopi, Guaiferium Salerni Principem, qui sibi afferebat Capuæ Comitatum, a Joanne VIII. contendisse, ut Episcopus consecraretur alius Landulfus a se nominatus; Pontificem vero in epistola sua se Capuam petiturum pollicitum ad controversiam componendam, his adjectis verbis: *Nam pro vestro, cum venerimus, amore, ipsum, quem vultis Capuanæ plebi, Domino favente, Antistitem ordinabimus, ut vester principalis bonor indiminutus remaneat.*

Curiæ quoque propositum, inspecta fundatione, & dotatione Ecclesiæ Capuanæ profecta ex liberalitate Principum, qui nostris Regionibus imperitabant, ipsos Romanos Pontifices agnovisse, ad eosdem Principes jus patronatus in illam pertinuisse. Sane cum Innocentius III. Friderici II. baliatum gereret, vacante sub ejus Pontificatu Ecclesia Capuana, quo tempore, per Canonicos Cathedralium cooptandi erant Episcopi, ad Capuanum Capitulum scripsit is litteras, seu De-

cretalem *Cum inter universas, tit. de electione, & electi potest.* Ea vero Collegium Canonicorum admonuit, ut virum idoneum Episcopum eligeret, & post electionem ad se nuncios mitteret, qui ab eo assensum in electionem peterent *vice Regia*, a se tamquam Friderici Bajulum interponendum. Ita enim Pontifex in Decretali prædicta: *Quia vero mora longior in electionibus est valde suspecta, imo sæpe damnosa, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus invocata Spiritus Sancti gratia, personam idoneam per electionem canonicam concorditer assumatis ad regimen Ecclesiæ Capuanæ: consequenter ad nostram præsentiam nuncios idoneos transmissuri, per quos a nobis vice Regia postuletis assensum, & Apostolicæ confirmationis gratiam requiratis*: Ad hanc vero Decretalem adnotavit Gonzales: *Unde in illis electionibus, in quibus Rex Siciliæ, si adultus esset, præstaret Assensum, tamquam Patronus Cathedralium sui Regni, Innocentius tamquam Tutor præstabat Assensum vice Regia.*

Ipse autem Fridericus II. Regno potitus controversæ Ecclesiæ impense favit. Ab ipsis enim Regni sui initiis Diplomate anni 1206. mense Martio confirmavit Raynaldo electo Capuæ Episcopo, ac successoribus suis, & ipsi Capuanæ Ecclesiæ concessionem Castri Vulturni a suis Parentibus ei factam. Ita enim in memorato Diplomate: *Concedimus, donamus, & confirmamus Tibi, tuisque Successoribus, & Capuanæ Ecclesiæ in perpetuum Castellum maris de Vulturno cum omnibus justis tenimentis, & pertinentiis suis, quæ cum omnibus terris, aquis, & quibuslibet aliis proventibus consuevit habere: quemadmodum olim a Domino qu. Imperatore patre nostro, & Domina Imperatrice matre nostra prædecessori tuo Matthæo Venerabili Capuano Archiepiscopo, ejusque Successoribus, & Ecclesiæ Capuanæ, per eorum Privilegium noscitur fuisse concessum.*

Curia quoque perpendit, prædictæ Ecclesiæ fuisse concessa bona & jura feudalia complura, ac præsertim Cancelli feudum, & Arnonis, quæ a manu Regis accipi oportuit: a munificentia quoque Roberti Regis in eam profectum anno 1316. feudum Roccæ Montis Capuæ: & a prædecessoribus

ribus Principibus accepisse decimam Bajulationis Capuæ: præter alia bona, quæ ex Regalibus concessionibus possidet. Illud etiam decretorium apparuit, quod scilicet anno 1397. Capitulum & Canonici ejusdem Ecclesiæ Regem Ladislaum adeuntes pro obtinendis nonnullis Terris, & possessionibus, quæ ad dictam Ecclesiam fuerant devolutæ, supplici eorum libello professi fuerunt, quod Rex ipse habebat stallum in Choro, & vocem in Capitulo, & partem: quæ quidem jura decessores Reges reservare consueverunt in Ecclesiis Regali munificentia fundatis. Ita habetur in Diplomate memorati Regis Ladislai de die 13. Junii 1397. *Quare dignetur ipsa Majestas, in qua est statera justitiæ, & jurium Ecclesiarum Protector, Defensor, & Pugil, & maxime dictæ Ecclesiæ Capuanæ, in qua habet stallum in Choro, & vocem in Capitulo, & partem, mandare quod dicta bona, quæ tenentur ab ipsa Ecclesia, taliter devoluta, præserventur, dentur, & assignentur Capitulo supradicto.*

Quoniam vero ex regulis utriusque juris fundatio, & dotatio Ecclesiarum cuicumque privato jus Patronatus tribuit, Curiæ visum, de Regio in Capuanam Ecclesiam Patronatu dubitari non posse, cum de bonis Principatus eam & fundarint, & dotarint Neapolitani Principes. Proinde cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza, ordinarii Consultoris Curiæ Regii Capellani Majoris ita pronunciavit: *Cathedralem Capuæ Archiepiscopalem Ecclesiam, tamquam fundatam & dotatam a Neapolitanis Principibus, fuisse & esse Regii Patronatus; quapropter Regalem Coronam in ejus Ecclesiæ Patronatum redintegrari oportere, ut præsenti sententia in eum redintegratur, una cum omnibus ejus bonis, feudis, Ecclesiis, prærogativis, privilegiis, præeminentiis, & pertinentiis suis, & præsertim cum jure ad Principem, ejusque in Regno successores spectante eligendi & nominandi Archiepiscopum in quibuscumque vacationum casibus, & cum aliis juribus, quæ Principi Patrono competunt. Ne quid autem detrimenti Regia jura patiantur, ea Ecclesia describatur in libris Curiæ inter alias Cathedrales Ecclesias Regii juris Patronatus.*

In causa redintegrationis Regii patronatus in Cathedrales Ecclesias Satriani, & Campaniæ. Die 12. Junii 1786.

Ex regulis utriusque juris exploratum est, jus patronatus per dotationem acquiri.

CAthedrales Ecclesiæ Satriani, & Campaniæ per unionem conjunctæ, feliciſſimo Regi Ferdinando nunciatæ fuerunt tamquam Regii patronatus. Ita Regiis codicillis anno 1784. 11. Septembris Curiæ Capellani Majoris mandatum, ut audito Regiæ Coronæ Advocato, aliisque quos de more audiri oporteret, sententiam suam ea de re diceret, & de litis exitu referret. Proinde per Curiam citationes per edictum expeditæ fuerunt, ut certiores fierent, quorum interesse possent, seque judicio sisterent. Judicio adfuit solus prædictarum Ecclesiarum Episcopus. Is autem libello declaravit, nihil sibi esse, quod adversus Fisci petitionem opponeret, ac sententiæ ipsius Curiæ se remittere, eo addito, ut ritu recepto in causa procederetur. Quapropter incusatis contumaciis adversus alios, qui a judicio abessent, ac termino probationibus præstituto, eoque per documentorum exhibitionem compilato ad controversiæ definitionem Curia in præsenti procedit.

Quod igitur ad Satriani Cathedralem Ecclesiam, Diploma fuit exhibitum Goffredi Comitis Satriani Nortmanni generis datum mense Septembris ann. 1011., quo is intenso desiderio suo commonstrato honoris Ecclesiæ præstandi, opulentam dotem constituit Ecclesiæ Satriani sub titulo Divi Stephani Protomartyris, in eam collato nobili feudo cognomento Castellari, cum pertinentiis suis, cum bonis cujuscumque generis, cum decima ad eum pertinente, ejusque Curiam Civitatis Satriani, & cum exercitio jurisdictionis. Sic enim in Diplomate: *Ideoque ego Goffredus Dei gratia Comes Satriani in finibus Salerni, una cum conjuge mea Sicalgaita, & filiis Roberto, Alexandro, Tranquido, & Guilelmo offerimus in primis Deo, & postmodum Altari S. Stephani Protomartyris, quod est Episcopi ejusdem Civitatis, pro redemptione animæ filii Domini Radulfi, qui defunctus est, & in eadem Ecclesia est sepultus, ut intercessione B. Protomartyris Stephani anima*

ma ejus sit in gloria æterna, Castellum, quod vocatur Castellarum, cum omnibus rebus suis & pertinentiis, stabilibus & mobilibus, & sicut ego prædictus Comes tenui, cum sæculari dominatu, & cum decima de nostra Curia de prædicta Civitate Satriani.

Neque vero hic substitit Goffredi liberalitas erga Satriani Ecclesiam. Adhuc enim ei donavit vineas duas cum Abbatia dicta de Merulo, cum duabus Ecclesiis a se constructis in honorem SS. Virginis, altera sub titulo S. Mariæ de Rocca, altera sub titulo S. Mariæ de Stella, cum pertinentiis suis, ac speciatim cum domibus, vineis, hortis, campis, villis, ac pistrinis, juxta limites a se descriptos; præterea eidem donavit prædia quædam nuncupata de Aira veteri cum pertinentiis suis. Denique in Diplomate ejus hæc leguntur: *Offerimus Deo in Ecclesia S. Stephani Protomartyris Castellum, Abbatiam, vineas, decimas, Ecclesias, & terras supradictas, ad semper habendum, possidendum, & utendum, Domino Joanni Venerabili Episcopo, qui hodie est, seu alii successores ejus, in honorem S. Matris Ecclesiæ, absque nostra, nostrorumque heredum, vel posterum nostrorum contrarietate, vel requisitione qualicumque, unde nullam portionem de his prædictis rebus nobis reservamus, quas pro salute animæ filii nostri Radulfi, qui defunctus est in eodem venerabili loco, obtulimus, & nos, & nostri heredes & successores defensores existamus ad omnem humanam personam.*

Præterea allegatum in judicio fuit Privilegium Reginæ Joannæ II. anno 1427. 23. Augusti, in quo fuit insertum integrum Diploma memorati Goffredi Satrianensis Comitis. Precibus autem Andreæ de Vinetis per id temporis Satriani Episcopi id ipsum Regina observari præcepit contra plurium occupatorum attentata, eo addito, ut Satriani Ecclesia restitueretur in bona, & jura omnia, quæ in memorata concessione ei donata fuerant.

Inspecta igitur tam opulenta dotatione Satrianensis Ecclesiæ in eam collata a Goffredo Satrianensi Comite, qui in Oppida dominii sui jure Summi Imperii utebatur, Curiæ vi-

visum, inde concedenti Principi jus patronatus in eamdem Ecclesiam quæsitum esse. Exploratum est enim ex regulis utriusque juris, per dotationem potissimum jus patronatus acquiri. Juris etiam explorati visum, patronatum per prædictum Principem acquisitum ad Regem utriusque Siciliæ fuisse delatum, in quem fuere translata jura omnia Majestatis Principum omnium, qui in Neapolitanas Regiones jus Summi Imperii exercuerunt.

Quod autem ad Cathedralem Campaniæ Ecclesiam, Bulla Leonis X. fuit exhibita mense Aprilis anno 1514. Inde liquet, Matricem Campaniæ Ecclesiam, interpellante Ferdinando de Ursinis Campaniæ Comite, evasisse Collegiatam sub titulo S. Mariæ de Pace: in eadem vero Collegiata erectum fuisse Præpositurum, inibi destinato Præposito, qui hujusmodi Ecclesiæ Capitulo præesset cum jure superioritatis, & cognoscendi, & judicandi causas, coercendi subditos, & exercendi jurisdictionem spiritualem in paræcianos ejusdem Ecclesiæ; reservato in eam jure patronatus non solum prædicto Ferdinando Campaniensi Comiti, sed & ejus in Comitatu successoribus, ob dotationem ex ipso fundo Campaniæ decerptam.

Bulla etiam Clementis VII. fuit exhibita mense Julio anno 1525., unde liquet prædictam Campaniæ Collegiatam Ecclesiam a memorato Pontifice fuisse erectam in Cathedralem, atque Cathedrali Satriani Ecclesiæ fuisse unitam, quæ ob Satriani devastationem Sede Episcopali carebat. Cum vero per eam occasionem Præpositura antiquæ Collegiatæ Campaniæ fuisset abolita, omnia Præpositi jura, ut & prædia omnia, quibus Præpositura constituta dos fuerat, migrarunt in Satriani Episcopum, quippe quem & Campaniæ Ecclesiam regere oportebat.

Ex dictis hactenus facile inferre est, novam Campaniæ Cathedralem Regii patronatus evasisse. Id autem factum oportuit, tum quia ea fuit unita Cathedrali Satrianensi, quæ & Regii patronatus erat, accessorium enim natura rei principalis sequitur; tum quia patronatus pertinens ad Campaniæ

niæ Comites in veterem ejus Præposituram extingui non potuit. Quoniam vero jura superioritatis ad Præpositum spectantia, & Præposituræ prædia in Episcopum sunt translata, qui Satriani, & Campaniæ Cathedrales regebat, necessitate jus patronatus fuit extensum ad ipsam Campaniæ Cathedralem, quæ Ecclesiæ Satriani unita fuerat. Exploratum est autem, insequutis temporibus Campaniæ Comitatum ad Fiscum rediisse ob perduellionem Principis Monaci, qui Comiti de Ursinis in Comitatu successerat. Ita factum, ut cum reliquis Comitatus juribus, patronatus etiam in Campaniensem Ecclesiam ad Regem Neapolitanum pertinere cœperit. Proinde Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris de controversia ita pronunciavit, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza, ordinarii Consultoris ejusdem: *Cathedrales Ecclesias Satriani, & Campaniæ simul unitas, fuisse & esse Regii Patronatus, ac proinde Regiam Coronam redintegrandam esse, ut præsenti sententia redintegratur in earum Patronatum, una cum earum bonis, feudis, Ecclesiis, juribus, jurisdictionibus, prærogativis, præeminentiis, & quibuslibet pertinentiis suis, & speciatim cum jure ad Regem Neapolitanum, ejusque in Regno Successores spectante, eligendi, & nominandi Episcopum in singulis vacationibus, & cum aliis juribus ad Principem Patronum pertinentibus. Ne vero jura Regia detrimentum patiantur, memoratæ Ecclesiæ describantur in libris Curiæ inter alias Cathedrales Ecclesias, in quas Patronatus Principi competit.*

In causa in gradu appellationis a sententia Regii patronatus in Basilicam Montis S. Angeli inter Cives, & Rever. Archipræsulem Sipontinum. Die 16. Junii 1786.

Concertatio quidem, quæ in præsentia adeo præfracte, obfirmatoque animo in Curia Rev. Capellani Majoris disceptatur inter Cives Montis S. Angeli, necnon sacræ Garganicæ Basilicæ Canonicos, seu Capellanos Palatinos, ut melius, & apposite dixeris; & Rev. Archipræsulem Sipontinum hæc duo complectitur capita, num scilicet Basilica Garganica Ange- *Caussas Regii patronatus submoto judicio ordinario executive esse tractandas.*

ge-

gelorum Principis Michaelis juris patronatus sit Regiæ Coronæ; numne sententia dicenda sit executive, ut Pragmatici ajunt, vel cognita causa, & termino ordinario expleto. Contentio isthæc dispari amplissimorum virorum judicio definita est; Dominus Consultor enim modo dictæ Rev. Curiæ homo sane præclarissimus, non aliter eam definiendam esse decrevit, quam judicio proprietatis, sive ordinario. Ex opposito vero, & fortasse non abs re, appellationis Judex per pientissimum Regem nostrum (quem Deus Optimus Maximus sospitet cum Augusta Familia) designatus, tunc Regius Consiliarius, modo Regiæ Cameræ Summariæ Præsidens D. Franciscus Peccheneda, vir profecto laudatissimus, in alia omnia ivit, & Sacram Basilicam Garganicam, utpote de antiquo Regio jure patronatus, e vestigio, nulloque interjecto termino, & ex Diplomatibus, chartis, ceterisque scripturis in processu editis, Regiæ Coronæ redintegrandam esse sua sententia dixit. De isthac sententia Archipræsul Sipontinus reclamavit, supplicationis libellum præfato Augustissimo nostro Regi porrexit, petiitque alium Judicem, per quem postrema modo dicta sententia perpenderetur, deque ea sedulo cognosceretur; deindeque ea rescissa, atque abrogata, primam firmo talo stare debere statueretur, utpote quæ redintegrationem ad Regiam Coronam Regii juris patronatus Garganicæ Basilicæ Angelorum Principis S. Michaelis expetitam per supradictos Cives, Canonicosque termino ordinario mancipavit. At clementissimus Rex noster, quippe qui in ministranda justitia semper sibi constans fuit, sive de privato jure subditorum, sive de patrimonio, juribusque dominicis quæratur, mihi in mandatis dedit, ut de utraque sententia cognoscerem, cequænam firmanda, vel infirmanda sit, meo judicio dicerem. Ego porro ut Regiis mandatis, omni qua par est observantia, obsequar, meam sententiam aperiam, & ut perspicue dilucideque rem exequi valeam, quod in antecessum retuli, strictim complecti curabo.

Cives Montis S. Angeli, & dein Canonici Sacræ Basili-

filicæ Garganicæ dicatæ Angelorum Principi S. Michaeli, una fimul petierunt in Curia Rev. Capellani Majoris redintegrandam effe modo dictam Bafilicam Regiæ Coronæ, tanquam de antiquo Regio jure patronatus, utpote quæ fundata, dotata, ditataque fuit tam per Ludovicum II. Imperatorem, quam per Dynaftas, Regefque fucceffores hujus florentiffimi Regni. Huic fane petitioni obftitit Sipontinus Archiepifcopus, in cujus Diœcefi locata eft hæc Sacra Bafilica; expofuitque Bafilicam ipfam, Canonicos, Dignitatefque, & quicquid ad illam pertinet, juris metropolitici effe, adque Metropolitam libera collatione attinere; pro qua libertate firmanda, non folum veterem ufum in conferendo interceffiffe allegavit: verum etiam Bafilicam Garganicam de Regio patronatus jure effe, vel quoquo modo fuiffe in antecelfum, obfirmato animo abnuit; atque fpuria, confictaque effe omnia Diplomata, & quæcumque monimenta, ex quibus Actores redintegrationem Regii juris patronatus perfequi animum intendunt.

In hacce quidem mutua, alternaque concertatione difertiffimus Confultor Curiæ Rev. Capellani Majoris, Civibus, Canonicifque minime auditis, die 27. menfis Aprilis anni 1784. decrevit: *Super omnibus hinc inde prætenfis & deductis in biduo audiantur Partes, & interim citra præjudicium judicii moti pro prætenfa redintegratione Collegiatæ Ecclefiæ S. Michaelis Archangeli Civitatis Montis S. Angeli ad Regium Patronatum, Reverendifs. Archiepifcopus Sipontinus utatur pro nunc fuo jure in conferendis Canonicatibus dictæ Collegiatæ Ecclefiæ, quoties cafus vacationis occurrerit, donec judicium prædictum fuerit expletum.*

A quo quidem decreto reclamaverunt Cives, & Canonici, expofueruntque caufas redintegrationis Regii juris patronatus, non judicio ordinario, fed executivo, jure, & praxi definiendas effe, femperque pertractatas; eapropter fupplicem libellum porrexerunt Suæ Regiæ Majeftati, ut Judicem appellationis ftatuere, qui ne redintegrationis caufæ Regiorum jurium patronatuum detrimentum caperent, con-

certationem hanc definiret. Merito igitur per Suam Regiam Majeftatem defignatus fuit appellationis hujufce Judex clariffimus Regius Confiliarius D. Francifcus Peccheneda, qui fedulo re perpenfa, accurateque, atque momento fuo perfpectis omnibus Diplomatibus, chartis, & monimentis etiam per Rev. Archiepifcum in proceffu editis, caufam executive, ut explorati juris, & praxeos eft, ablegato prorfus termino ordinario, definivit, & Bafilicam Garganicam, utpote quæ ex diplomatibus, ceterifque fcripturis liquebat effe de antiquo Regio jure patronatus, redintegrandam Regiæ Coronæ, una cum juribus omnibus effe cenfuit.

At Rev. Archipræful de hac fententia conqueftus, eam ægre tulit, reprobandamque effe afferuit; nam jurifdictio Judici appellationis demandata (ut ipfe dictitat) circumfcripta tantum fuerat in cognofcendo, num ordinario judicio, vel executivo caufa ifthæc definienda erat, qua cognitione, & decifione peracta, remittenda erat decifio redintegrationis Regii juris patronatus ad Rev. Curiam Capellani Majoris, cujus jurifdictionis in prima inftantia erat cognofcendi, numne conftet de Regio patronatu; & hinc redintegrandum effe, vel non; cum autem appellationis Judex, miffum faciens decernere, ordinarie ne, an executive, in hac caufa fententia dicenda erat, ficque decretum dictæ Rever. Curiæ probare, vel folum judiciarium ordinem inftaurare, extemplo Regium patronatus jus re ipfa adeffe, illudque redintegrandum fore Regiæ Coronæ ftatuiffet, mandatæ jurifdictionis, poteftatifque limites tranfiluit.

Infectatur etiam Archiepifcopus fententiam, contendens, nænias effe ea, quæ de Regio patronatu effunduntur, nam five Diploma Imperatoris Ludovici II. infpiciatur, hocce tanquam inconftans, & fpurium flocci habendum effe decantat; five cetera Diplomata fucceflorum hujus Regni Regum emunctæ naris hominis judicio fubjiciantur, abfonum effe, ex illis jus Regium patronatus poffe deduci prædicat. Hæc porro eft contentio, de qua mihi differendum eft, meaque fententia definiendum. De utroque igitur duorum virorum

rum apprime sapientissimorum judicio disquirere, me, measque tenues ingenii vires urget necessitas; attamen quod mihi mandatum est, intrepide agam.

De binis profecto quæstionibus, quæ in hac causa ad trutinam revocandæ sunt, discutiendum est. Una scilicet, num in judiciis redintegrationum juris Regii patronatus, sententia ferenda sit, dato, & expleto termino ordinario, editis jam monimentis licet antiquitate donatis; an vero termino ordinario submoto, executive redintegratio sit definienda? Altera vero, sit nec ne Regii juris patronatus Basilica Garganica? In prima quippe concertatione scissi sunt in contraria studia præclarissimus Consultor Rev. Curiæ Capellani Majoris, & disertissimus appellationis Judex, disparibus siquidem, ni me mea fallit opinio, juris principiis. Etenim Dominus Consultor pro comperto habuit, in præsentationibus, collationibus, electionibusque semper ultimum statum servandum esse in re beneficiaria. Itaut si contentio sit inter quasi possessorem juris præsentandi, conferendi, atque eligendi, & proprietarium, scilicet eum, qui proprietatem præsentandi, conferendi, vel eligendi habet, semper ultimus status, ut ajunt, servandus est, videlicet ille qui in præcedentibus vacationibus præsentavit, contulit, aut elegit, in quasi possessione modo dictorum jurium manutenendus est: præstabit autem Judex farta tecta jura proprietario in judicio petitorio, sive proprietatis, vel ut Pragmatici ajunt, ordinario; sicque definitum fuisse assequitur ab *Cap. Cum olim*, & *Cap. Cum Ecclesia Sutrina*, *de causa possessionis*, *& proprietatis*, atque ex *Cap. Querelam*, *de electione*: quam theoriam Pragmatici in praxin produxere.

Ex hisce porro librorum Decretalium regulis decretum supra exscriptum retinuit in quasi possessione conferendi Canonicatus Basilicæ Garganicæ Archipræsulem Sipontinum, utpote qui ipse ejusque prædecessores Archiepiscopi illos in antecessum contulerunt; Augustissimo Regi autem juris patronatus proprietario, proque illius redintegratione fuit cognitio servata in judicio ordinario, eoque expleto.

Insuper possessor, qui neque vi, neque clam, neque precario possidet ab altero, ita interea possidere debet, ex interdicto Prætoris statutum fuisse Ulpianus refert in *L.* 1. *ff. Uti possidetis: Separata namque*, ut verbis ejusdem Jurisconsulti utar, *esse debet possessio a proprietate: fieri etenim potest, ut alter possessor sit, dominus non sit*. Ex hisce igitur juris principiis decretum modo dictum, ut mea fert opinio, manat.

In contrarium ivit Dominus appellationis Judex, & fortasse ex sequentibus juris rationibus: siquidem Prætoris interdictum, ut ipse Ulpianus patefacit in laudata lege §. 1. *de soli possessore*, scriptum est, *quem potiorem Prætor in soli possessione habebat*: quodque etiam monet §. 8. & Justinianus *lib.* 4. *Instit. tit.* 15. *de Interdictis* §. 4. non secus quam hisce verbis edixit: *Interdicto quidem Uti possidetis, de fundi, vel ædium possessione contenditur*. In causa profecto qua de agitur, non de soli possessore, sive de fundo, ædibus, ceterisque stabilibus rebus contentio versatur; neque de mobilibus, de quibus unis interdictum *Utrubi* Prætori locum habere placuit, obtinuitque ejus vim exæquatam fuisse *Uti possidetis* interdicto, ipso Ulpiano teste in *L. unica ff. Utrubi*, & Justiniano obfirmante loco nuperrime laudato. Agitur quippe, ut ajunt, de quasi possessione rei beneficialis patronatui Summi Principis mancipatæ: in quo quidem jure frustra, & contra jus, fasque dicitur quemcumque quasi possidere præsentationem, collationem, vel electionem beneficiorum Regii juris patronatus. Sunt porro isthæc jura Regiæ Coronæ ita ferruminata & annexa, ut ne quid minimum ex eis decerpi potest, nisi ipsa Regia Corona evertatur, destruatur, & pessum eat. Nulla igitur horum sacrorum jurium quasi possessio sive civilis, sive naturalis dari potest penes quemvis etiam quacumque dignitate præditum, atque donatum; simplex etenim detentatio, ut cum Pragmaticis loquar, dici potest, ex qua neque possessio, neque quasi possessio in detentatorem transfertur, ut apposite inter ceteros docet Franciscus Salgadus *de Regia protectione par.* 3. *cap.* 10. *n.* 154. *&* 155. Nec aliquo temporis vestigio

gio possessio, vel quasi possessio Regii juris patronatus a sacra Principis persona, ejusque Corona divelli potest; nullum enim præjudicium, nullumque detrimentum ei afferri potest, ut in propatulo est apud omnes hujus juris Scriptores; ita namque affirmant Solorzanus *de Indiarum jure tom.2. lib.3. cap.2. num.25. & seq.* & in sua Politica *lib.4. cap.2.* Cabedus *de Patronatu Regiæ Coronæ cap.4. 7. & 10.* Salgadus loco supra laudato, ceterique innumeri, quos videre est tam apud hosce Scriptores, quam penes Michaelem de Cortiada *decis.253. a num. 55. ad 58.* Immo docet prælaudatus Cabedus *de Patronatu Regiæ Coronæ cap.* 10. nullam possessionem posse per Episcopum, vel quemlibet alium allegari, quamvis per centum pluresque annos Ecclesia Regii juris patronatus per eos collata fuerit: additque ita, ipsomet patrocinante, decisum fuisse per Lusitaniæ Senatum in causa cujusdam Beneficii magni redditus Regii juris patronatus, eamdemque sententiam secutus est Salgadus loco nuperrime adducto *n.* 145. 146. & 147. qui etiam firmat *n.* 155. in hisce causis non competere remedia possessoria; & Cabedus edocet loco laudato *cap.8. n.11.* fructus perceptos ex bonis Regii patronatus per provisos ab Episcopo esse restituendos, prout judicatum refert, ipsomet instante tanquam Regiæ Coronæ Procuratore. Prosequuntur quæ diximus Cortiada *dict. decis.253. n.58.* ceterique, quos ne fastidium moveamus, hic referre lubenti animo prætermimus.

Si igitur nulla possessio, vel quasi allegari, & afferri potest per Episcopum, quamvis per ævum, cujus memoria non habeatur, ab eo, ceterisque prædecessoribus Ecclesia, vel quodcumque beneficium Regii juris patronatus fuerit collatum; abs re est interdictum Prætoris *Uti possidetis* in medium proferre; scriptum porro est illud de possessore, ut Ulpianus monet; editum namque fuit de fundi, ædiumque possessione, Justiniano edicente.

Labefactantur quoque suprascriptæ Decretales epistolæ, utpote quæ de possessore, possessioneque scriptæ fuere, ideoque ad rem non pertinent, nefasque est ad jura Regiorum pa-

patronatuum illas deflectere, atque detorquere: horum jurium namque nec vola, nec vestigium possessionis vel quasi possessionis, apud Episcopos esse potest, licet per immemorabile tempus collatio per eos facta videatur. Si ergo nulla est possessio, frustra retentus fuit Archiepiscopus Sipontinus in quasi possessiune conferendi Canonicatus Basilicæ Garganicæ, quousque terminus ordinarius fuerit expletus, in quo Supremus Princeps noster de proprietate sui patronatus edocere valeat. Contra fas inquam mancipata fuit termino ordinario redintegratio Regii juris patronatus, & retentus Archiepiscopus in quasi possessione conferendi Canonicatus; nam in hisce judiciis quocumque tempore, etiam post lapsum mille annorum, actione spolii Rex successor, ejusque Coronæ Procurator agere potis est contra Episcopos pro redintegratione Regii juris patronatus, ita sane docet Cabedus *de Patronatu Regiæ Coronæ cap.* 7. & decisum refert *n.* 5.

Etenim Regium jus patronatus, ut supra monuimus, inter præcipua jura Majestatis adscribitur, ut percipere licet ex Antunnez Portugal *de donationibus Regiis tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 28. *n.* 138. & *cap.* 45. *n.* 28. Frasso *de Patronatu Regio Indiarum tom.* 1. *cap.* 1. *n.* 19. Cabedo, Solorzano, Salgado, ceterisque omnibus, quos vide si lubet apud laudatum de Cortiada *decis.* 253. *n.* 55., ac proinde præscribi nullo modo per quemvis potest. Quotiescumque porro ablegata est præscriptio, contra juris œconomiam est, posse possessionem, vel quasi possessionem in medium proferri, redintegrationem vero Regii juris patronatus termino ordinario subjici.

Ex hisce profecto, aliisque (quæ consultius missa facimus, ne alios tædio, molestiaque afficere videamur) tamquam firmissimum confectarium fluit rite; appositeque Consultissimus appellationis Judex, submoto rejectoque judicio ordinario, confestim ad redintegrandum Regium jus patronatus Basilicæ Garganicæ, cum ceteris suis juribus Regiæ Coronæ invictissimi Regis nostri devenit, & redintegrationem luculentissima atque præclarissima sua sententia definivit.

De altera quæstione sane nunc differere præstaret, num vi-

videlicet sit, necne Regii juris Patronatus Basilica Garganica? Verumtamen quia de hoc Regio jure super Basilicam Garganicam satis superque profecto, ac omnino apposite, & dilucide per disertissimum Dominum appellationis Judicem disceptatum est in sua sententia, Regiumque jus patronatus firmissimis rationibus ex *Novell.* 27. Justiniani, aliisque Conciliorum, atque Summorum Pontificum, Canonibus, & epistolis, ceteris demum patronatuum signis luculentissime proditum est; neque ultra id quod per eundemmet non vulgaris eruditionis virum dictum, perscrutatumque est, aliquid proferre opus est, nisi placeat crambem repetere, libenter igitur sermonem abstinemus.

Ast quia postquam sententia dicta fuit, Archipræsul diplomatibus, monimentis, aliisque scripturis, quas ipsemet in actis edidit, injuria obsistit, earumque aliquas spurias, ceterasque ad jus patronatus firmandum, nulla efficacia, & robore præditas esse jactat, ne dicam, nugatur; ideo ad propulsandas hasce technas, nugasque dispellendas, parumper de eis disquirere lubet. De Diplomate Imperatoris Ludovici II. filii Imperatoris Lotharii I. nepotisque Ludovici Pii per eumdemmet Archipræsulem in actis exhibito, sic qui partes tenent Archipræsulis obloquuntur. Modo dictum Diploma adscriptos non habere annos Incarnationis Christi Servatoris, sed Ludovici Imperii solum. Porro sequens nota chronologica in ea signata legitur: *Acta Beneventi Civitate: Datum IIII. Kal. Junii anno Christo propitio Imperii Serenissimi Augusti Domini Ludovici XX. Indictione IIII. feliciter*. Deest igitur, obtrectatores isti murmurant, adscriptio annorum Christi: Spurium ergo, falsumque Diploma est, proindeque *Castellum* quod in eo per Ludovicum donatum, datumque cum suis Gastaldianis asseritur Garganicæ Basilicæ, purum putum hoc figmentum est. At bona verba quæso, & indesinenter precamur, ut non tam dictu proclives sint in exsibilando Diplomata illa, quæ ipsimet exhibendo in processu, probaverunt; ne contra legem faciant, quæ vetat reprobari ea, quæ semel probata fuere; sed missis istis, amabo, nobis dicatur, unde

nam

nam critici noſtri iſti didicerint, apocrypha eſſe Diplomata, præcipue Sæculi IX., a quibus æræ Chriſti Servatoris noſtri adſcriptio abeſt? At ut in poſterum rem melius percipiant, & ab ſimilibus inſectationibus abſtineant, ſtrictim quod ad rem facit, eos admonendos eſſe putamus.

Chronologia quæ in Diplomatibus obſervatur, ad tria capita revocari poteſt, nempe in adpoſitione anni, & diei, Indictionis, & Regni, & Imperii Regis, vel Imperatoris, cujus eſt Diploma. Non unica, & certa numerandorum annorum apud omnes fuit ratio, ſed aliter apud Francos, aliter apud Germanos, diverſimode apud alias gentes illa fuit, unde maxima rerum confuſio, ac perturbatio, ut præclariſſimi viri monent, orta eſt. Adſcriptio quippe annorum Chriſti ortum habuit a Dionyſio Exiguo Romano Abbate, qui ineunte Sæculo VI. floruit, hæcque ab Incarnationis Dominicæ anno adſcribi cœpit. Verum non ſtatim in Diplomatibus illa adpoſita fuit, ſed primum annalium Scriptores ea uſi fuere in ſuis Chronicis. Sæculo VIII. porro initium cœpiſſe videtur, ex eo quia adpoſita illa legitur in quodam Langobardico Diplomate, quod Bernardus Montfaucon evulgavit in *Diario Italico cap.* 4. *pag.* 64.

Et licet æra Dionyſiana computationem ſtatuiſſet a die Incarnationis, videlicet a die 24. menſis Martii, attamen computatio iſthæc hunc firmum canonem non obtinuit, nam multi a die Natalis Chriſti; alii a Circumciſione Domini; a die Paſchatis quamplurimi; & non defuere, qui a menſe Octobris ut videre eſt apud doctiſſimum virum Joannem Mabillonium *de Re Diplomatica l.* 2. *cap.* 23. Du-Cange in Gloſſario verbo *Annus*, Chriſtianum-Henricum Eckardum *Introductio ad rem Diplomaticam ſect.* 3. *de internis Diplomatum notis*, ceteroſque qui rem diplomaticam verſaverunt.

Adpoſitio profecto annorum Chriſti Servatoris in Diplomatibus Francorum, Germanorumque Imperatorum, quonam tempore cœpiſſe videatur, res inconſtans eſt apud Scriptores; ſi ſtatim maledicta detrectantium dirumpere placeret, nobis ſine cunctatione eis objicere liceret, annorum Chriſti

in

in Diplomatibus Francorum Imperatorum adſcriptionis, ex ſententia Davidis Blondelli: *In pleniore Genealogiæ Francorum aſſertione*, nulla monimenta reperiri integra ætate Pippini, Caroli Magni, Ludovici Pii, filiorumque; ſed ævo poſteriore illos adpoſitos fuiſſe; ſed quia ſententiam hanc reprobandam eſſe didicimus a doctis rei Diplomaticæ viris, libenter eam mittimus. Non deſunt quippe, qui affirmant modo dictorum annorum adſcriptionem initium ſumpſiſſe ſub Carolo Craſſo, qui ad Imperiale faſtigium aſſumptus fuit die Chriſti Natalis anni 880. quamquam alii affirment Carolum Coronam Imperii obtinuiſſe anno 881.; attamen Pagius monet hanc varietatem interceſſiſſe, quia hi poſtremi anni initium ducunt a die Natalis. Verum ſententiam hanc viri doctiſſimi refellunt, inter quos clariſſimus Hermannus Coringius in *cenſura Diplomatis Lindavienſis cap.* 18.

Illud profecto quod magis conſentaneum eſſe videtur, originem annorum Chriſti in Diplomatibus quandoque uſuveniſſe ævo Carolingorum, itaut a ſæculo octavo in aliquibus Diplomatibus perraro illos adpoſitos fuiſſe legitur; major pars vero illorum hac adſcriptione caret, ut laudatus *Mabillonius lib.* 2. *cap.* 26. *&* 28. monet, quodque advertit doctiſſimus *Heineccius Diſſertat. de genuina Nativitatis Chriſti æra* §.4. Illud porro quod extra dubitationis aleam eſt, a *Carolo Craſſo* in poſterum, hoc eſt ab anno 881., firmatum uſum fuiſſe adpoſitionis æræ Chriſtianæ in Diplomatibus Imperatorum Francorum, atque Germanorum, cum in anteceſſum ſoli anni Regni, & Imperii adſcribebantur.

Quamobrem ex præmonitis tanquam ex prono alveo fluit, nugas eſſe, atque quiſquilias ea quæ inſcite objiciuntur circa falſitatem *Diplomatis Ludoviciani* propter deficientiam adpoſitionis æræ Chriſtianæ; iſthæc porro anno 868., quo datum fertur modo dictum Diploma, nondum in pleniore uſu erat in diplomatibus Francorum, apud quos a *Carolo Craſſo*, videlicet ab anno 881. in poſterum immota ſtetit, ſicuti apud Germanos ab *Othone I.*, ut præ ceteris admonet laudatus *Eckardus* loco deſuper adnotato.

At fas sit mihi dicere, nescio ex quo monimento, & undenam excerpti sint illi anni 868., qui initio prædicti Diplomatis typis editi, per Archipræsulem Sipontinum in actis hujus causæ exhibiti, videntur, leguntur que adnotati & impressi. Diploma hanc epocham non fert, sed annum vigesimum dumtaxat Imperii *Ludovici*, & Indictionem quartam. Hæ siquidem notæ Chronologicæ haudquaquam ad prænotatos annos respondent, nam anno 868. prima Indictio numerabatur, non vero quarta, quæ incidit in annum 871., quæ quidem quarta Indictio adscripta anno vigesimo Imperii *Ludovici II.* magis magisque firmat hoc diploma. Siquidem *Ludovicus II.* anno 855. successit patri *Lothario I.* Ad eruendam tamen veritatem Diplomatum hujus *Ludovici* præstat distinguere, atque secernere quatuor epochas Regni ejusdem. Prima nempe anni 844., quo anno declaratus fuit Italiæ Rex ab Lothario Imperatore ejus patre, missusque Romam, ut perquireret quonam jure, quave auctoritate *Sergius* electus, ordinatusque fuerat Pontifex inconsulto Imperatore *Lothario*, & priusquam ipse Imperator sineret, ut in locum demortui Pontificis cooptaretur; tunc profecto coronatus Romæ fuit Langobardiæ Rex die 15. mensis Junii anni 844. Secunda epocha Ludovici fuit annus 849., quo a Lothario fuit ad Imperium associatus. Tertia fuit annus 850., quo, patre Lothario adhuc in humanis existente, fuit sacratus Imperator per Pontificem *Leonem IV.* die 2. Decembris. Quarta demum fuit annus 855., quo Lotharius mortem obiit: vixitque vero Ludovicus II. ad diem usque 13. Augusti an. 875. Verum tertia epocha, videlicet an. 850., quo aliqui putant Ludovicum II. Imperiale fastigium consecutum fuisse, nomenque Imperatoris assumpsisse, itaut ab hoc anno inchoanda sit computatio annorum sui Imperii, ad *Pagium* adscribenda est, quem incunctanter Patres Maurini prosecuti sunt *Dans l'art de verifier les dates*. Attamen præclarissimus, summæque eruditionis vir *Ludovicus Muratorius* in *Annalibus Italiæ ad annum* 850. non abs re de hac Imperii epocha dubitatione æstuat.

Hac

Hac distinctione modo epocharum *Ludovici II.* præmissa, monendum porro est (quod brevibus verbis complectar) tres esse præcipuas Indictiones. Prima nempe Constantinopolitana, seu Græca nuncupatur, quæ numerari incipit a prima die mensis Septembris; deque ea fit mentio ab Anastasio Imperatore in *L. ult. Cod. de Annonis, & tributis lib.* 10. & ab Valentiniano, & Valente in *L.* 1. *Cod. de Militari veste lib.* 12., de qua quidem Indictione intelligendus est Justinianus, cum eam adscribi jussit in *Novell.* 47. *cap.* 1. omnibus instrumentis. Altera Constantiniana, quæ deinceps etiam Cæsarea appellari consuevit, quæ ab octava die mensis Octobris inchoatur. Tertia demum Pontificia seu Romana, quæ initium ducit a Circumcisionis die, seu a prima die mensis Januarii; sunt enim & aliæ, quæ ad nos nunc nihil faciunt. Ex hisce enim trium Indictionum speciebus, Constantiniana potissimum ab Imperatoribus Francicis, & Germanicis in Diplomatibus servata fuit, meruitque eapropter dici etiam Cæsarca; videsis inter ceteros laudatum Eckardum loco superius adnotato §. 28. & Du-Cange in *Glossario* verbo *Indictio*.

Hisce autem prænotatis, ad Diploma modo dictum rectum redeundum est. Hoc vero sequentes notas chronologicas inscriptas habet: *Acta Beneventi Civitate. Datum IIII. Kal. Junii anno Christo propritio Imperii Serenifs. Augusti Domini Ludovici XX. Indictione IIII.* Licet enim, ut præmonuimus, Ludovicus II. fuisset consecratus Imperator die 2. mensis Decembris anni 850. ut Pagius, & Maurini Patres autumant, non proinde anni viginti, qui Diplomati adscripti visuntur, recensendi sunt ab die secunda mensis Decembris anni 850. Etenim admonent Papebrochius in *Propyl. part.* 1. §. 46., atque Eckardus loco superius adnotato, *Sect.* 3. *de internis Diplomatum notis* §. 28., crebro aliquos menses prioris anni, vel Regni, vel Imperii, fuisse in Diplomatibus aut omissos, numerando ab anno sequenti; vel adauctos: incipiendo computationem a prima die anni suscepti Regni, vel Imperii uniendo nempe annos Regni, cum annis Imperii.

rii . Exemplum notatu dignum , atque luculentissimum affert præclarissimus Papebrochius , loco nuperrime laudato . Otho siquidem Magnus coronatus Imperator Romæ fuit initio an. 962. , & quamquam annus vigesimus sextus Imperii a Coronationis die decurreret , tamen abrupto anno vigesimosexto, annum vigesimum septimum numeravit, ut anni Regni, & Imperii æquarentur; id quod nostro Diplomati contingit, nam modo dictæ Coronationis tempore adhuc Lotharius pater imperabat, quamquam ab anno 849. Ludovicus ad Imperium associatus fuisset .

Insuper Diploma Ludovici habet annum vigesimum Imperii, & quartam Indictionem , qui annus vigesimus Imperii , si recenseatur ab die , qua tamquam Imperator consecratus fuit , videlicet a die secunda mensis Decembris anni 850. explebitur annus vigesimus die secunda mensis Decembris anni 870. quo quidem anno non quarta Indictio , sed tertia decurrebat , ut (si fastidium computationis Indictionum effugere placet) videre est *Dans l' art de verifier les dates*, elaborata per Patres Benedictinos Congregationis S. Mauri , *pag.* 36. & apud ceteros Chronologos , qui accuratius annos cum Indictionibus dinumeraverunt , & præcipue laudatissimus Muratorius videndus in anno 870. *Annalium Italiæ* .

Primus annus igitur Imperii Ludovici II. non ab anno 850., sed ab anno 851. jam inchoato, incipiendus est, itaut annus vigesimus sui Imperii expleatur die octava mensis Octobris, vel in mense Septembris (a quo mense etiam Indictiones dinumeratæ leguntur in quamplurimis ejusdem Ludovici Diplomatibus) quo Indictio IV. pariter absolvitur ; sicque annus vigesimus , non secus quam anno 871. mense Junio , in quibus Indictio IV. contingebat , statuendus est , hisque anno , & mense quidem Diploma datum habendum est .

Nec obstat quod hoc anno Ludovicus II. ob insidias, quas ei Adalgisus molitus fuit , Benevento comprehensus , fuit custodiæ mancipatus ; siquidem hoc nefandum facinus ac-

accidit die vigesima quinta mensis Augusti modo dicti anni, postquam Ludovicus ob verba ei ab Adalgiso data, iterum Beneventum regressus fuit, a quo nuperrime discesserat. Non obstat quidem hoc, nam ex Diplomate quodam ejusdemmet Ludovici per accuratissimum Criticum Ludovicum-Antonium Muratorium typis datum, & in dissertationibus *Antiquitatum medii ævi*, *dissertatione II.* relatum, constat Ludovicum die 14. mensis Aprilis anni 871. moram fecisse in Beneventana Civitate, ibique per aliquam temporis intercapedinem permansisse: quodque idem laudatissimus vir refert in Annalibus Italiæ anno 871. ex Andrea Presbytero Historico synchrono: merito igitur Diploma datum legitur die 2. mensis Junii 871.

Ultraquamquod, etiamsi mense Junio Ludovicus Benevento non permansisset, sed ad propellendos Saracenos a Civitate Bari cum exercitu commeasset, nec eapropter Diploma sublestæ fidei habendum esset; inscriptum profecto illud est: *Actum Beneventi Civitate*: *Datum IIII. Kal. Junii.* Quæ quidem notæ *Actum*, *&* *Datum*, sive *Acta*, *&* *Data*, indicant, prima videlicet locum, ubi Princeps gratiæ concessionem mandavit, ibique præsens tunc erat: altera vero locum, ubi per Cancellarium Diploma scriptum fuit. In comperto siquidem est apud rem Diplomaticam callentes, discrimen hoc inter utrasque notas intercedere, quod acceptum referre primo debemus disertissimo Joanni Mabillonio *de re diplomatica lib.* 2. *cap.* 26. §. 10. *&* 13. Nec ab eo seorsum sentit præstantissimus Joannes-Petrus de Ludewig in *præfatione tom.* 1. *Reliquiarum manuscriptorum pag.* 43. ubi ait: *inde discenda discrimina formularum*: *Datum*, *atque actum*. *Ultimum notat tempus concessionis*, *&* *significatæ Imperialis voluntatis*; *primum vero scripturæ*, *&* *conceptorum verborum*, *Cæsare licet absente*; quodque denuo edocet *pag.* 50. Hanc eamdem sententiam prosecutus est laudatissimus Eckardus in *introductione in rem Diplomaticam sect.* 3. §. 36. *&* *seq.* Quæ quidem duæ formulæ, multoties ambæ adscribuntur in Diplomatibus, sæpe numero vero sive una, sive altera tantum adnotata legitur.

Hoc

Hoc quippe discrimen formularum luculenter manifestum se prodit in nostro Diplomate, etenim legitur in eo: *Acta Beneventi Civitate*: *Datum IIII. Kal. Junii*, hoc est concessio facta fuit mense Aprilis, vel alio tempore anni 871., quo Ludovicus Beneventi morabatur; scriptum vero, exaratumque Diploma fuit per Cancellarium *IIII. Kal. Junii*, quamquam Ludovicus a Beneventana Civitate abesset. En igitur quoquoversum disperdita, ac dissipata techna cujusvis male feriati hominis, qui licet magna contentione Ludovicianum Diploma distorquere voluerit, nunquam tamen commentitii vitio illud afficere potis erit.

Neque silentio prætereundum est, quod usquequaque monet, urgetque præstantissimus Muratorius, parvi sciendum esse de notis Chronologicis, quæ apographis, sive exemplis præcipue Diplomatum adpositæ, adnotatæque reperiuntur, utpote quæ quam facillime per scribas ut plurimum illiteratos, rudesque invertuntur, distorquentur, miscentur, atque turbantur; a quibus mendis sane, atque interpolationibus apographum Diplomatis Ludoviciani per Archiepiscopum Sipontinum in actis exhibitum fortasse non abest.

Verum enimvero ut undique omnis cavillationis causas amputemus, amandamus adversæ sententiæ fautores, & Diplomatis Ludoviciani obtrectatores ad Chronicum Casauriense, in quo non pauca Diplomata describuntur ipsiusmet Ludovici Augusti, utpote qui Monasterium Casauriense (licet ævo posteriore abolitum) ædificari curavit, dotavitque. Ex modo dictis Diplomatibus profecto eruitur in aliquibus adpositos esse Christianæ æræ annos, atque Imperii, in quamplurimis vero Imperii solum, & Indictionis; quæ notæ Chronologicæ si cum nostro Diplomate conferantur, necesse est ut adversantes sibi os obstruant.

Quod nuperrime diximus in notis Chronologicis apographorum, sive exemplorum Diplomatum per amanuenses exscriptorum sæpe numero peccari, eas interpolando, dilucide visitur in ipsomet nostro Diplomate, seu melius in iisdemmet suis apographis, sive exemplis. Etenim aliud apographum

phum ejusdem Diplomatis nobis exhibet Ferdinandus Ughellus *tom. 8. Italiæ Sacræ de Beneventano Archiepiscopo .pag.44. & 45. editionis 1721.* legitur quidem ibi : *Actum Beneventi Civitate : Datum IV. Kal. Junii anno Christi propitio Imperii Serenissimi Augusti D. Ludovici XXI. Indictione VIII. feliciter*, adestque etiam monagramma Ludovicianum . Hoc exemplum testatur Ughellus desumptum fuisse ab ipso Autographo Bibliothecæ Beneventanæ .

Duo quippe monenda hic sunt ; primum quidem huic apographo adpositam esse Indictionem VIII. ; illi vero per Archiepiscopum exhibito Indictionem quartam . Ughellianum Apographum præseferre annum vigesimum primum Imperii Ludovici, qui si computetur ab anno Coronationis 850. incidit in annum 871. , quo quidem anno non Indictionem octavam , sed IV. in antecessum decurrisse docuimus ; in apographo autem in actis exhibito , Indictionem IV. adnotatam esse legitur , quæ anno 871. , & anno vigesimo Imperii Ludovici respondet . Monitu dignum etiam esse quoque mihi videtur , minus recte ibi scripsisse Ughellum modo dictum Diploma datum fuisse anno 21. Imperii Ludovici , eumdemque annum fuisse ultimum suæ vitæ, & annum salutis 875. , indeque sane eum falli , in aperto est , nam licet annus 875. fuisset ultimus Imperii & vitæ suæ ; Diploma siquidem non fuit datum anno vigesimo primo sui Imperii , neque hic annus fuit ultimus suæ vitæ , ut colligi potest ex his quæ in antecessum adnotavimus .

Insurgit nihilosecius Archipræsul, objicitque, quod etiamsi nulla suspectæ fidei labe prædictum Diploma laboraret, nec propterea ab eo Regium jus patronatus inferri , deducique posset . Siquidem (ipse obsistit) Castellum, quod cum Gastaldianis in Ludoviciano Diplomate Sacræ Basilicæ Garganicæ donatum a Ludovico fertur , longe ante constructum fuisse ab quodam Urso electo ipsius Ecclesiæ ; proindeque cum neque construxerit , neque (ipse Archipræsul ait) de re propria eam dotaverit Ludovicus ; patronatus jus prorsus acquirere ipse nequivit ; hoc jus namque , sive per Ju-
sti-

ftiniani *Novel.* 57. five per *Can.* 33. *cauf.* 16. *qu.* 7. & *Canonem* 4. *cauf.* 18. *qu.* 2., five demum per *Cap. Nobis* 25. *extra de jure patronatus*, non fecus acquiri a quovis poteft, quam per fundationem, vel extructionem, dotationemque Ecclefiæ. Cum igitur Ludovicus nihil ex hifce Garganicæ Bafilicæ contuliffet; fruftra afferitur eam de Regio jure patronatus fuiffe, & in præfentia effe.

Ad Caftellum conftructum ab Urfo, & ab eodemmet Bafilicæ Garganicæ donatum probandum, producitur ab ipfo Archipræfule Sipontino charta quædam Pandolfi Beneventani Principis, cui nefcio quomodo appictus fupra eam fit annus MCCCCLXIX., cum neque in principio, neque in fine illius legatur dies vel menfis, vel quævis alia nota chronologica. In hac enim Charta hæc verba leguntur: *Igitur noverit omnium fidelium noftrorum, præfentium fcilicet, ac futurorum follertia, Joannem Venerabilem Archiepifcopum Sanctæ Tarentinæ Sedis & Nicolaum Prothofpatarium, & Judicem, & Theodoro Prothofpatario de ipfo Chrifotriclino, & Teporete de ipfe Scole, dilectis fidelibus noftris, noftram adierunt a Deo protegendam Principalem dignitatem, deprecantes ut pro augumento S. Eeelefiæ, noftreque Patrie falvatione, concederemus, atque confirmaremus in Archiepifcopio S. Dei Genitricis, & Virginis Mariæ Sedis Beneventane, in quo Landolfus Venerab., & egregius Archiepifcopus Spiritalis nofter Pater preeffe dinofcitur, ad perpetualiter habendum, & poffidendum integram Ecclefiam S. Michaelis Archangeli, que conftructa eft in Monte Garganico, cum omnibus ejus pertinentiis, & poffeffionibus, fimulque cum integro ipfo Caftello ejufdem S. Angeli; quod quidem Urfus electus prefate Sedis in proprio territorio jam dicte Ecclefie, a nobo* (ideft a *novo*, ut *Cangius* verbo *nobus* explicat) *conftruxit fundamine. Pariterque eum integrum Epifcopatum S. Sipontine Sedis, cum omnibus ejus pertinentiis &c.*

Ex verbis illis: *Cum integro ipfo Caftello ejufdem S. Angeli*, quod quidam *Urfus electus prefate Sedis* (Beneventane fcilicet) *in proprio territorio jam dictæ Ecclefiæ a novo conftruxit fundamine*, auribus fuis blanditur Archipræful Caftel-

lum

lum a Ludovico Imperatore pro dote Basilicæ Garganicæ datum anno 871. fuisse proprium ejusdemmet Basilicæ; nam Pandolphus Beneventi Princeps, ita firmissime declarat modo dicta Charta anni 969. Eapropter cum Basilicam non dotavisset; abs re est asserere jus patronatus acquisivisse, cum rem propriam Ecclesiæ ei confirmavisset.

At paulisper exscriptis verbis Chartæ immorandum est. Mittimus libenter num Charta prædicta vera sit, an commentitia, a qua cum prorsus absint quæcumque notæ chronologicæ, & temporis adnotatio, ex Constantini Magni legibus, nempe *L. 1. Cod. Theod. de Constit.* & *L. 1. eod. Cod. de Rescript.*, eam flocci faciendam esse in propatulo est. Sicque etiam statutum esse legitur in *Leg. Alamannor. tit.* 43. *Bajuvariorum tit.* 15. *cap.* 13. & Caroli Magni Capitularibus *lib. 6. cap.* 147. Dicitur porro in Charta modo dicta: *Castellum ejusdem S. Angeli, quod quidam Ursus electus prefate Sedis in proprio territorio jam dicte Ecclesie a nova construxit fundamine*. At quisnam fuerit ille *Quidam Ursus electus Sedis Beneventane* ignoravit ipsemet Pandolfus cum dicat *quidam Ursus*. Verumtamen ut morem geramus meritissimo Archipræsuli Sipontino, & veritati obsequamur, non inficiamus Cathedram Sipontinam ab Religionis Christianæ ævo proprius habuisse Episcopos ad annum fere 668. nam cum anno 658. bellum indictum fuisset inter Langobardos, Græcosque pro illius Regionis occupatione, & præcipue Montis Garganici, prospera fortuna favit Langobardis, qui nedum integram Regionem illam, verum (proh facinus!) sacratissimum specus S. Archangeli Michaelis diripuerunt; & licet Paulus Diaconus utpote ipsemet Langobardus, scelestam hanc direptionem vertat ad Græcos; disertissimus Camillus Pellegrinus vero *de finibus Ducatus Beneventi differ. 7.* suspectæ fidei habet Paulum Diaconum in his quæ suis Langobardis officere possunt: idcirco quamplurimis argumentis, Langobardos illius facinoris auctores existimat, & a Pellegrino non dissentit Ughellus *Italia Sacra tom. 7. editionis* 1721. *de Metropoli Sipontina*.

Cum igitur quassatæ, ac eversæ fuissent illæ, ceteræque Regiones etiam ab Imperatore Constantio, qui contra Langobardos cum Græcorum exercitu arma movit, Cathedra Sipontina pene deserta, & divinis officiis destituta erat. Anno siquidem 668. petente S. Barbato, tunc Beneventano Episcopo, fuit illa Episcopatui Beneventano unita, insimul cum Garganica Basilica; a quo quidem anno, ad annum usque 1033. Beneventani Præsules se dixerunt Episcopos Beneventanos, & Sipontinos. Hoc quippe anno, Benedicto IX. Pontifice, Sipontina Sedes fuit in integrum restituta, & dignitate Archiepiscopali exornata; quamquam Sedes Beneventana jam pridem eisdem infulis fuisset donata: de qua re videndus est Marius Vipera *lib. 1. Chronol. Episcoporum, & Archiepiscoporum Beneventi*, & Ughellus paullo ante laudatus.

Hisce tamquam per excursum præmonitis, ultro fatemur inter Episcopos Beneventanos, & Sipontinos recenseri *Ursum Episcopum Beneventanum, & Sipontinum* ann. 833. sub Gregorio IV. Pontifice, qui vixit ad annum 845. usque. Attamen etiamsi ad hunc Ursum referri visum fuerit, quod in supra exscripta Charta anni 969. a Pandolfo dictum placet, illa verba vel subleftæ fidei Chartam faciunt, vel τὸ *Castellum* ad aliud ædificium referri debet, nequaquam vero ad Castrum, seu Oppidum S. Angeli habitatoribus, sive oppidanis refertum. Siquidem Imperator Ludovicus II. die 2. Junii anni 871. (videlicet non longe ab annis 833. & 845., in qua temporis intercapedine Ursus rexit utrasque Ecclesias Beneventanam, & Sipontinam) Beneventano, & Sipontino Episcopo dono dedit *ipsum Castellum ubi jam dicta Sacrosanta Ecclesia Garganica sita est, una cum omnibus Gastaldianis ibi commanentibus*; & de hac nova constructione Castelli a fundamine facta per quendam Ursum, nec parum, nec multum profert.

Insuper Imperator Otho Magnus anno 967. Castrum S. Angeli in Gargano donavit Landulfo Episcopo Beneventano, & Sipontino, una cum Ecclesia, ut ex Mario Vipera

pera testimonium perhibet Ughellius loco additato, & de nova illius extructione peracta per *Ursum*, altum silentium ipse Otho tenet.

Ast ne digito quidem abs verbis ipsis Chartæ Pandolfi discedamus, quæso ut accuratius illa perlegantur; eindeque si de Castello, seu de Oppido, & habitatoribus, oppidanisque in eo commorantibus, verba illa intelligenda sint, omnes qui ingenii dexteritate non destituantur, quid ea sibi velint, pergnoscant. Donat igitur Pandolfus Castellum ejusdem S. Angeli, quod *quidam Ursus electus prefate Sedis* (*Beneventanæ*) *in proprio territorio jam dicte Ecclesie a novo construxit fundamine*. *Castellum* siquidem medii ævi latinitate præsertim, non solum indicabat Oppidum, sive Castrum habitatoribus refertum, & in locis montanis collocatum, sed etiam *Casam* in loco alto positam; sic enim apud *Du Cangium* in *Glossario mediæ & infimæ latinitatis*, verbo *Castellum* ex Ugutione legitur: *Castrum quod in loco alto situm est, quasi Casa alta, unde Castellum*. Silentio prætereundum non est quod Patres Maurini ibi addunt eodem verbo *Castellum*. *Castellum, vel Castellus receptaculum, quod aquam publicam suscipit, quæ ducitur ad aliquod prædium irrigandum*. Non immerito sane laudati Patres Maurini modo dictam interpretationem etiam ad τὸ *Castellum* accommodant; quippe non solum apud Frontinum in libro *de Aquæductibus*, & Marcum Vitruvium *lib*. 8. *cap*. 7. *Castellum* pro aquæ receptaculo usurpatur; sed apud JCtum Paulum etiam nunc pro aquæ receptaculo *Castellum* habetur in *L. Fistulam D. de servit. urbanor. prædior.* En ejus verba: *Fistulam injunctam parieti communi, quæ aut ex Castello, aut ex Cælo aquam capit, non jure baberi Proculus ait*. Apage quæso, ne quisquis, qui ad hoc Pauli *Castellum* fortasse offendat, illud pro Castro, oppidove repente existimare putet.

Ex illo etenim mediæ latinitatis loquendi more, & qui in ejus cognitione versantur in præceps non ruunt, affirmantque *Ursum* a fundamine construxisse *Castellum*, hoc est Oppidum cum incolis, & habitatoribus; sed quamdam Casam eum extrui curavisse, certo certius pro comperto habent, quæ Casa

cum posita fuisset in cacumine montis Garganici, in charta Pandolfi fuit Castellum illius ævi more appellatum. Hoc quippe præclare etiam deducitur ex ipsis verbis chartæ: Dicitur namque, *Ursum a fundamine construxisse Castellum in proprio territorio jam dictæ Ecclesiæ*. En ergo τὸ *Castellum* nil aliud sibi voluisse constat, ni Casam constructam ab *Urso* electo Sedis Beneventanæ, & Sipontinæ in Monte Garganico in *proprio territorio* Ecclesiæ Angelorum Principis. *Territorium* quippe non secus quam pro agro, possessione, prædioque accipiendum esse, tam leges omnes, quam ipsa medii ævi latinitas pro explorato habent. Ita siquidem territorium intelligitur in *L.* 34. *C. Theod. de operibus publicis*, *L.* 2. *de exactionib. L.* 30. *de Annonis*, & *L.* 186. *de Decurionib. eod. Cod.* Immo in plurimis fundationum Monasteriorum, Ecclesiarumque chartis *territorium* pro agro, possessione, & prædio, extra dubitationis aleam adhibetur. Quæ porro monimenta, si vellemus hic afferre, ab causæ concertatione, ad fastidiosum diverticulum digrederemur; adeant eapropter illi, qui de hac re sibi fieri satis exoptant Carolum du Fresne, seu du Cange in *Glossario mediæ & infimæ latinitatis*, verb. *Territorium*; ubi præcipue ex Ugutione scribit, *Territorium*: *Locus modicus, vel districtus alicujus, vel territorium dicitur, quasi tauritorium, idest tritum bobus*.

Castellum igitur Chartæ Pandolfi, non de Castello cum Gastaldianis a Ludovico II. Imperatore Sacræ Basilicæ Garganicæ dotis causa donatum, accipiendum est, sed de quadam Casa constructa in proprio prædio ipsius S. Angeli a quodam Urso electo Sedis Beneventanæ. Hinc profecto intelligitur, quam maxime dissimilis fuit loquendi modus Pandolfi ab illo Ludovici II. Pandolfus siquidem mentionem tantummodo fecit de Castello constructo ab Urso in proprio territorio ejusdem S. Angeli. Ludovicus vero (verbis utar fere ipsiusmet Imperatoris) *cum vidisset per varias temporum adversitates plurima ædificia, & alia quædam pertinentia Ecclesiæ S. Michaelis, quæ Domino Auctore sita est in Monte Gargano, deserta, & ruinosa, ne tanti Oratorii famosus honor, cultusque vi-*

vilesceret, concessit in eandem Ven. Ecclesiam ipsum Castellum, ubi jam dicta Sacrosancta Ecclesia sita est, una cum omnibus Castaldianis ibi commorantibus.

En igitur quantum distat Castellum constructum in proprio territorio Ecclesiæ S. Angeli, de quo Charta Pandolfi loquitur: *a Castello ubi jam dicta Sacrosanta Ecclesia sita est*, a Ludovico ipsi Ecclesiæ dono dato, cum omnibus Gastaldianis ibi commorantibus. Pandolfus siquidem meminisse pergnoscitur cujusdam Castelli, sive Casæ a quodam Urso in proprio territorio S. Angeli constructa: Ludovicus vero donat Castellum cum omnibus Gastaldianis, Incolis nempe in eodemmet Castello commorantibus, in quo ipsa Sacrosancta Ecclesia sita est. Castellum profecto in quo Gastaldiani commorabant, non secus erat quam Castrum, sive Oppidum Incolis inhabitatum, in districtu cujus Ecclesia S. Michaelis sita, sive collocata erat.

Incola quippe Oppidi, medii ævi latinitate, Gastaldiorum nomine donati fuere, Auctore Cangio in sæpe numero laudato loco, verbo *Gastaldiani*, ubi ita docetur: *Gastaldiani*, *Gastaldiatus incolæ*. Ad quam denominationem porro firmandam, in testem profert hoc ipsum nostrum Diploma Ludovici II., de quo in præsentiarum Archipræsul Sipontinus obloquitur, idque maledictis exagitat.

Præterea ecquisnam in animum induxerit, id ætatis qua assiduæ, & diræ, sævæque excursiones, direptiones, depopulationesque inter Langobardos, & Græcos committebantur, homo quidem privatus, sicuti Ursus erat, nulla sublimi potestate, nulloque eminenti dominio præditus, poterat Castellum, seu Castrum Incolis, & armis ad vim externam propulsandam munitum, a fundamine construere; & ita libere, ut neque Langobardi, neque Græci, opus de cetero ipsis suspectum, non præpedirent? Incredibile memoratu est, & a fide prorsus abhorret.

Firmo talo stat igitur veritas Diplomatis Ludoviciani, deque eo tanquam ex prono alveo manat, Basilicam Garganicam retroacto ævo, sive per Langobardos, sive per Græcos

cos direptam, & labefactatam, Imperator Ludovicus fartam tectam præstitit, eamque satis superque ditavit, dotavitque, *ne*, ut ipsemet Imperator ait, *tanti Oratorii famosus honor, cultusque vilesceret, ac debita veneratione per incuriam deperiret*. Dotavit siquidem nedum de Castello, & Gastaldianis, verum etiam de ceteris quamplurimis bonis, redditibusque, qui in jam dicto Diplomate singillatim recensentur.

Hancque porro opimam dotationem, donationemque confirmavit, ratamque habuit Carolus Calvus Ludovici patruus, utpote qui frater fuit consanguineus Lotharii, progenitusque ab Ludovico Pio Imperatore, & Judith ejus secundi tori socia. Annuit huic dotationi quoque Otho Magnus, ut in antecessum monuimus, illique fidem accrevit; quas quidem dotationes, & confirmationes ipsemet Pandolfus in prædicta sua Charta laudat, comprobatque.

At quorsum tandem ista, quæ usque adhuc diximus? Cogimur inviti fateri, nos perdidisse operam, diemque, tempus frustra terendo in prænotatis Diplomatibus differendis, atque disceptandis. Satius profecto erat, estque inspicere amplissimas concessiones, uberrimasque donationes Sacræ Basilicæ Garganicæ factas pro Divino, sacroque cultu sarto tecto servando, & alimoniis, suppetiisque Canonicis, sive Capellanis Palatinis præstandis per *Joannam Dyrrachii Ducissam, Margharitam ejus sororem, & hujusce Regni Reginam, Ladislaum, Alphonsum I. Aragoneum, Ferdinandum I. ejus natum*, & per maximum Imperatorem Carolum V. constanti animo pro obfirmatis habitas. Minima pars siquidem eorum, quæ in hisce concessionibus visuntur, & honorum, prærogativarum, quibus iidem Capellani afficiuntur, ultra id, quod res exigit, Regium jus patronatus super Basilicam illam acquisitum, obfirmatumque fuisse certo certius luculenter ostendit.

Ultraquamquod anno 1362. die vero 25. mensis Martii, Indictione XV. Joanna Dyrrachii Ducissa (ita verba perhibuit) *Archidiaconum, Archipresbyterum, Primicerium, & omnes, & singulos Canonicos Garganicos in Capellanos, & Familiares nostros domesticos eligimus, & aliorum Capellanorum, & fa-*

& familiarium nostrorum domesticorum numero, & consortio aggregamus, volentes, & concedentes eisdem, & cuilibet ipsorum, quod illis de cetero honoribus, privilegiis, & immunitatibus, prærogativis, & gratiis ubilibet potiantur, & gaudeant, quibus ceteri alii Capellani, & familiares nostri domestici potiuntur, & gaudent, ac potiri soliti sunt, & uti (leguntur isthæc verba *fol.* 13.). Hæc quippe conceffio, & declaratio confirmata fuit per Reginam Margharitam, ceterofque nuper laudatos Regni fucceffores, Reges, & demum per auguftiffimum Carolum V. Imperatorem die 22. menfis Martii anni 1533. dum hic Neapoli degebat. Immo ipfamet Regina Margharita, in confirmando Privilegia, omnefque conceffiones, prærogativas, & exemptiones per Joannam Dyrrachii Duciffam fororem fuam, & Civitatis Montis S. Angeli Dynaftam, Capitulo, & Canonicis Bafilicæ Garganicæ largitas, eos appellat *Capellanos, & devotos suos, fol.* 10.

Non abs re fane initio hujufce noftræ difquifitionis, & fententiæ Canonicos Sacræ Bafilicæ Garganicæ diximus Capellanos Palatinos. Cum enim tam Duciffa Joanna, quam Regina Margharita illos elegiffent, adfcripfiffent, atque adnumeraviffent inter Capellanos, familiares, & domefticos ipfarum, & hocce honore, & dignitate illos donaviffent; dubio procul ex hoc fluit eos adlectos fuiffe inter Regales Capellanos. Ii fiquidem, qui per Principes in Capellanos fuos adlecti erant, Capellani Regales, & ad Palatium pertinentes dicebantur. In divifione porro inita anno 851. inter Radilchifim Beneventi Principem, & Siconolfum Principem Salerni commemorantur Canonici, & Abbates ad Palatium pertinentes. En verba capitularis Radilchifis; feu modo dictæ divifionis, quam debemus præclariffimo viro Camillo Pellegrino, qui eam exfcripfit a Codice membranaceo Bibliothecæ Caffinenfis, legiturque nunc *tom.* 3. operum ejufdemmet laudatiffimi critici; editionis anni 1751. eruditi viri Canonici Pratilli: *Præter Monasteria S. Benedicti* (*Cassinensis*) *& S. Vincentii, quæ sub defensione Domini Imperatoris Luthari, ejusque filii Domini Ludovici Regis sunt, ut singulæ Eccle-*

clesiæ, suum primatum habeant integrum, sicut semper habuere in omni loco, quemadmodum decet causam Dei: Exceptis Canonicis, Abbatibusque ad Palatium pertinentibus; nam Abbatum res, quæ ad Palatium pertinent, in cujus divisione res ipsæ venerint, ille eos habeat, in cujus fuerint parte, ita habetur *n. 4. jam dictæ divisionis, & num. 6.* etiam legitur *exceptis Clericis, qui in Palatio serviunt*.

Hacce enim divisione unicuique modo dictorum Principum fuit adscripta pars magni olim Ducatus Beneventani, una cum Ecclesiis, & Monasteriis collocatis in qualibet duarum partium; ab hisce tamen fuere excepta Monasteria S. Benedicti Cassinensis, & S. Vincentii ad Vulturnum (ex cujus excidio ortum habuit Monasterium S. Laurentii Aversani) utpote quæ sub defensione, & patronatu Lotharii, & Ludovici erant; cetera vero Monasteria, & Ecclesiæ sub ditionem illius Principis remanserunt, in cujus parte illæ collocate erant. Canonici quoque, Abbates, & Clerici ad Palatium pertinentes, subjecti fuerunt illi Principi Patrono, in cujus parte Principatus Beneventani incolæ erant.

Hi profecto Canonici, Abbates, & Clerici, qui in Sacellis, sive Capellis Palatiorum Principum sacris peragendis officiis operam præstabant, Palatinorum Capellanorum nomine donabantur, Clerumque Palatinum efficiebant, ut ex veteribus chartis, auctoribusque videre est apud Cangium in *Glossario mediæ & infimæ latinitatis*, verb. *Capellani* v. *Atque id primum*. Dicebantur eapropter isti Capellani Palatini, ad Palatium pertinere; nam ex eodem Cangio elicitur idem esse Presbyterum Palatii, ac Presbyterum Capellæ Palatinæ, sive Capellanum Palatinum.

Ministrabant porro in Regum Capellis viri dignitate illustres, ut Episcopi, Abbates, aliique; & familiares Principum, sive Regum etiam appellabantur; in cujus rei testimonium affert Cangius loco laudato, v. *Ministrabant*: chartam Imperatoris Caroli Calvi, ubi hæc habentur *Abbas quoque, vel Rector Monasterii ejusdem in Capella nostra, Episcopis, & Abbatibus nostris adhæreat, & nobis familiariter serviat*.

Hinc

Hinc intelligitur quid sibi velint verba illa *Radilchisi exceptis Canonicis Abbatibusque ad Palatium pertinentibus*; scilicet exceptis Canonicis, Abbatibusque Capellanis Palatinis, qui ministrabant sacra officia in Capella Palatina; dicebanturque etiam familiares Principis.

Ex hucusque præmonitis firmissimum consectarium fluit, Archidiaconum, Archipresbyterum, Primocerium, & omnes, & singulos Canonicos Garganicos per Joannam Dyrrachii Dynastam fuisse inter Capellanos Palatinos, & domesticos, familiaresque suos adlectos, & dignitate, ministerio, & honore Capellanorum Palatinorum præditos; hasque prærogativas, & dignitates per Reginam Margharitam (a qua Capellani nostri fuerunt appellati) confirmatas fuisse; immo per ceteros Reges Regni successores sollemni ratihabitione munitas, & confirmatas, ex in antecessum adnotatis in comperto est. Jure igitur, & quidem merito nos eos Capellanos Palatinos, & Clerum Palatinum appellavimus a quacumque jurisdictione exemtos, & solum Archicapellano, seu Apocrisiario, qui per nostrates Capellanus major dicitur, esse subjectos. Quæ quidem subjectio a novitate prorsus abest, immo ab Principis eminenti dominio, & summa potestate, a qua ceteræ omnes deducuntur, fluere, atque emanare, missis aliis, testis est celeberrimus Hincmarus Remensis Archiepiscopus in suo *Opusculo* 14. *tom.* 2. *Ad Proceres Regni pro institutione Carolimanni Regis*, *de ordine Palatii n.* 16. ubi sic habet: *Apocrisiarius autem, quem nostrates Capellanum, vel palatii custodem appellant, omnem Clerum Palatii sub cura, & dispositione sua regebat*. De his enim Presbyteris, aliisque Clericis qui ad Palatium pertinebant, meminet idem Hincmarus eodem *tom.* 2. *opusc.* 6. inscripto *Clericis Palatii, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, & ceteris in Palatio Domno nostro Regi, & Domnæ Reginæ, ac illorum fidelibus Ecclesiastico ministerio consulentibus*. Non inficiamur tamen eos quandoque ab Ecclesiastica disciplina fuisse digressos.

Alienum a re non est hic monere, Apocrisiarii nomen inditum fuisse diversis officiis, Legatis Principum nempe;

Cancellariis, qui sigillum Principis servat, & ejusdem Diplomata signat, dictus etiam Secretarius; & demum primum Capellanum, sive Capellanum Majorem Regiæ Capellæ Apocrisiarii nomine fuisse donatum ex Cangio loco laudato, verbo *Apocrisiarius* in comperto est. Hunc siquidem Apocrisiarium (quem Hincmarus Remensis Responsalem rerum Ecclesiasticarum etiam appellat nuperrime laudato *opusculo* 14. *n.* 13.) primum institutum fuisse a Constantino Magno postquam pacem Ecclesiæ indixit, & in Aula Regia collocatum ut toti Clero Palatino præesset, illumque regeret atque ordinaret ipsemet Hincmarus *n.* 13. ejusdem opusculi tradit sequentibus verbis: *In prima igitur dispositione, Regis palatium in ornamento totius palatii ita ordinatum erat. Antepositæ ergo Rege, & Regina, cum nobilissima prole sua, tam in spiritualibus, quam & in sæcularibus, atque corporalibus rebus per hos Ministros omni tempore gubernabatur. Videlicet per Apocrisiarium, idest Responsalem negotiorum Ecclesiasticorum. Cujus ministerium ex eo tempore sumpsit exordium, quando Constantinus Magnus Imperator Christianus effectus fuit.* Igitur Capellanos Palatinos, sive omnes Presbyteros ad Palatium pertinentes subditos esse Apocrisiario, sive Capellano Majori in Aula Regis posito, perque eumdem ordinandos, & instituendos esse, proprii, & antiqui juris esse perquam manifestum est.

Quis ergo huic Regio juri patronatus usque adeo est adversarius, ut ea quæ prænotavimus dissimulare possit, & a Regia Corona consilio præceps illud decerpere, atque extorquere ausit? Firmo igitur talo stat jus Regium patronatus super Basilicam Garganicam; illiusque propterea Archidiaconum, Archipresbyterum, Primicerium, & Canonicos veros esse Capellanos Palatinos, & Capellano Majori subditos, atque subjectos; & ab eo ordinandos, instituendos, & gubernandos esse certo certius est; eapropter adesse reipsa Regium jus patronatus super Basilicam Garganicam, ejusque Capellanos Palatinos; sublatoque termino ordinario hocce jus definiendo, apposite, accuratiusque sententiam dixit Dominus Præsidens Regiæ Cameræ Summariæ D. Franciscus

Pec-

Peccheneda vir ceteroquin cultiori eruditione refertus, atque præditus; & perperam ab sua sententia appellatum fuisse per Rev. Archipræsulem Sipontinum. *Merito profecto & quidem jure modo dictam sententiam, utpote quæ consentanea est juribus Majestatis Regiorum patronatuum a Regia Corona insecabilium, eique inseparabiliter connexorum atque ferruminatorum, exequendam esse censemus, definimus atque pronunciamus.*

BASILIUS PALMIERI.

In causa redintegrationis Regii patronatus in Ecclesiam Cathedralem Lyciensem. Die 28. Junii 1786.

Divalibus feliciſſimi Ferdinandi litteris Curiæ Capellani Majoris in mandatis datum, ut sententiam ex jure diceret de petita redintegratione Regii patronatus in Episcopalem Lyciensem Ecclesiam, & ad patrocinium admitteret Franciscum Antonium de Simone, a quo petitum id fuerat. Ea de causa edictales sunt expeditæ, ut ejus rei certiores fierent omnes, quorum interesse posset. Cum nemo judicio adfuisset, contra absentes incusatæ sunt contumaciæ, atque probationibus terminus est præstitutus; in eo vero prædictus Franciscus Antonius de Simone documenta exhibuit, ut in prædictam Ecclesiam Regium patronatum evinceret. Antequam vero in termino conclusum esset, Regem libello adiit Nicolaus Tursanus Advocatus, & Promotor Fiscalis Episcopalis Curiæ Lyciensis, & quibusdam scripturis exhibitis redintegrationi Regii patronatus se opposuit. Rex autem Curiæ præcepit, ut in judicando præ oculis haberet oppositiones ab eo productas. Termino igitur rite absoluto, Curia de more procedit ad dicendam de re controversa sententiam.

Cum documenta demonstrent dotem alicujus Ecclesiæ, repetendam esse a Dynastis illius Comitatus, ubi Ecclesia sita est, nequit dubitari de Regio in eam patronatu.

Primo igitur fuit exhibitum Diploma Goffridi Lyciensis, & Ostunensis Comitis de die 15. Augusti ann. 1115. quo ita declaratur: *Donavimus præfatæ Ecclesiæ Lyciensi totam medieta-*

tatem nos contingentem de Casali Vernulæ, quæ dicitur de S. Laurentio, cum Territoriis sitis sub dicto Comitatu Lycii, juxta tenimentum Casalis Pisignani, juxta tenimentum Casalis Aquarici, juxta tenimentum alterius medietatis dicti Casalis, & alios confines, assignantes ipsam medietatem per nos donatam in manibus præfati Domini Episcopi recipientis ipsam pro parte prædictæ Lyciensis Ecclesiæ, scilicet cum omnibus Vassallis, juribusque suis, & nihil nobis reservavimus in eisdem tenimentis. Quod vero magis controversum patronatum asserit, id ipsum est, quod in libello suo prædictus Tursanus advertit, memoratum Dynastam scilicet prædictam donationem fecisse, *tam pro reparatione Matris Lyciensis Ecclesiæ, quam una cum Rev. Patre Formoso Dei gratia Venerabili Episcopo Lycii construi fecimus, quam etiam pro præbendandis, & beneficiandis Clericis prædictæ Ecclesiæ.*

Aliud quoque Diploma fuit exhibitum Imperatricis Constantiæ mensis Maji ann. 1197. in quo continetur, Robertum, ad quem Comitatus Lyciensis redierat, Lycii Cathedrali concessisse *decimam monetæ Catapaniæ, decimam plateæ, fluminis, piscium, & lini, decimam maritimæ, decimam aliminæ, decimam redituum Villanorum Rugiæ, decimam ... Curuliani, Carpiniani, Monteroni, Arnesani, & universorum Casalium, decimam casei, recoctæ, lanæ, gallinarum, & pullorum tam Lycii, quam Casalium, decimam redituum Casalis Seginæ tam frumenti, quam hordei, & aliorum redituum, quæ ad demanium Lyciensis pertinent Comitatus, decimam quoque omnium fructuum jardenorum, & aliorum hortorum de demanio prædicti Comitatus.* Memorata autem Imperatrix, exposita decimarum concessione per Comitem Robertum facta, ut nominatim continebatur in instrumento ea de re inito, edixit, eas se confirmare, & de novo concedere, *ita tamen quod nulli Lyciensis Ecclesiæ Episcopo, vel Prælato, liceat aliquid de prædictis decimis in præbenda alicui concedere, seu modo quolibet alienare, sed eadem decimarum proprietas debeat semper ad opus Lyciensis Ecclesiæ conservari, & in perpetuo detineri.*

Ex alio quoque Diplomate ejusdem Constantiæ mense No-

Novembris anno 1195. liquet, memoratum Goffridum Comitem, præter quam Ecclesiæ Lyciensi concessit dimidium Pagi Vernolæ in suo Comitatu positi, eidem donasse etiam *Casale S. Stephani de Finiano cum hominibus, vassallis, territoriis, & tenimento prædicti Casalis S. Stephani, terris cultis, & incultis, & cum omnibus juribus, & pertinentiis eorumdem tenimenti, & Casalis, de suo proprio demanio Lyciensi sito in Provincia Terræ Hydrunti. Necnon quædam tenimenta terrarum de eodem suo proprio demanio Lyciensi, videlicet tenimentum Pettorani, tenimentum Porcilliani, & tenimentum Cassanellæ, cum juribus, pertinentiis, & rationibus eorumdem*. Præterea ab eodem Diplomate constat, *quod Riccardus tunc Dominator Civitatis Lycii eidem Ecclesiæ Lyciensi concessit Ecclesiam Beati Petri, quæ cognominatur de Vernotico cum ipso Casale ad se pertinente, cum hominibus, vassallis, terris cultis, & incultis, cum arboribus, sylvis, & aquis, ac cum omnibus infra se habentibus, ac cum omnibus aliis juribus, rationibus, & pertinentiis suis, de suo proprio mero demanio Lyciensi*. Eadem vero Imperatrix Constantia expositis prædictis concessionibus, quas nominatim complectebatur instrumentum ea de re initum, edixit eas se confirmare eadem lege, *ita quod nulli Lyciensi Episcopo, vel Prælato ejusdem Ecclesiæ liceat aliquod de prædictis bonis in præbendam alicui concedere, seu modo quolibet alienare, sed proprietas integraliter ad opus Lyciensis Ecclesiæ conservari debeat, & perpetuo detineri*.

Præterea aliud quoque Diploma fuit exhibitum Ferdinandi Aragonii diei 26. Februarii 1465. Inde autem constat, omnes memoratas concessiones dimidii Pagi Vernulæ, Vici S. Stephani, prædictorum prædiorum, seu Pettorani, Porcilliani, & Cassanellæ, & alterius Pagi Divi Petri in Lama, antequam per Constantiam Imperatricem confirmarentur, confirmatas, & de novo concessas Cathedrali Lyciensi, ejusque Episcopo Fulconi, ab ipso Guilelmo II. Diplomate suo ann. 1180. sexto Aprilis. Is autem adjunxerat Diplomati suo, *quod prædicta Lyciensis Ecclesia, & ejus Episcopus perpetuo haberent liberam potestatem affidandi homines in*

in Casalibus prædictis, tenimentis, territoriis, & pertinentiis præscriptæ Lyciensis Ecclesiæ, & de eisdem Vassallis adscriptis, & affidatis cognoscendi in Curia ipsius Lyciensi, & non in aliqua alia Curia, in civilibus causis, necnon quod animalia omnia, & singula ipsius Ecclesiæ Vassallorum adscriptitiorum, & affidatorum prædictorum, ubilibet liberi, & sine aliqua molestia pascua, & aquas sumere valeant. Cum autem Lyciensis Episcopus Ferdinandum libello suo adiisset, ei expositis memoratis concessionibus, & confirmationibus Ecclesiæ suæ factis, Tarenti autem Principem, ad quem Lycii etiam Civitas pertinebat, eum privare voluisse jurisdictione in S. Petri in Lama incolas, & indigetas; idem Ferdinandus, confirmatis, & iterum concessis Lyciensi Ecclesiæ bonis omnibus in veteribus concessionibus comprehensis, Episcopum sine ulteriori causæ cognitione statim restituit in possessionem jurisdictionis prædicti Pagi, hoc addito, *concedentes eidem Episcopo, quod vigore & auctoritate præsentis nostri Privilegii possit & valeat per se, vel alium ejus parte, capere & apprehendere corporalem possessionem dictæ jurisdictionis, & potestatis in cognoscendis civilibus causis de Vassallis adscriptitiis & fidatis dicti Casalis S. Petri de Lama, de qua per dictum qu. Principem Tarenti ipse Episcopus, & ejus Ecclesia fuerunt indebite destituti, & spoliati*.

Ostensum etiam in judicio est, Ecclesiam Lyciensem præter feuda Vernulæ, S. Petri Vernotici, & de Lama, S. Stephani, & Rugiæ in veteribus concessionibus comprehensa, & in præsenti ab ea possessa, possidere quoque feuda Vienneri, S. Marci, S. Nicolai de Russis, quæ ipsi nonnisi a veteribus Dynastis in ea Provincia Summo Imperio usis, concedi potuerunt.

Ex alio quoque documento liquet, ann. 1562. Lyciensem Episcopum in controversia decimarum, quæ debebantur Ecclesiæ suæ, in quodam articulo in judicio declarasse, & probasse in insequentem modum. *Pone, e vuol provare, come di tutti li beni e robbe, delle quali al presente se ne ritrova in la reale, ed attuale possessione la detta Catedrale Chiesa*,

sa, e suo Rev. Vescovo, di quelle non se ne potrà mai costare, nè provare, che ne sia stata oblata, ovvero donata cosa alcuna a detta Catedrale Chiesa per detta magn. Università, e dalli particolari suoi Cittadini universalmente, ma essergli state tutte donate dalli Prencipi, ed utili Signori, li quali pro tempore *ne sono stati di detta Città di Lecce, come questo, ed altre chiaramente si dimostra per li Privilegj antichi, ed antichissimi di detta Catedrale Chiesa.*

Cum igitur documenta isthæc commostrent constructionem Cathedralis Ecclesiæ Lyciensis Goffrido Comiti maximam partem acceptam referri oportere; ejus etiam opulentam dotem ab eodem, & aliis Dynastis in Lyciensi Comitatu repetendam; eas vero concessiones majorem firmitatem accepisse per confirmationes, & novas concessiones Guilelmi II., & Ferdinandi I.: Curia censuit de Regio in Lyciensem Ecclesiam patronatu dubitari non posse.

Quæ vero adversus hæc regerit Advocatus Curiæ Lyciensis facillime refelli possunt. Quid quid enim seu de restituta, seu aucta Ecclesia dicat post constructionem in Goffridi Diplomate memoratam, quibus in operibus quidem partem opulentorum redituum expendere oportuit decessores Episcopos: exploratum est, opulentam illam dotationem per ea tempora extitisse, & adhuc extare. Prædia enim, unde Episcopus alimenta percipit, & Ecclesiæ onera sustinet, ea ipsa sunt, quæ e prædictorum Principum liberalitate manarunt. Ex amplissima illa dotatione redeunt ducatorum septem millia, quorum redituum si sors æstimetur, ea pertingit ultra ducatorum ducenta millia, qua cum ingenti forte sumptus expensis in restituendam, & augendam Ecclesiam conferri non debent. De Principum igitur dotatione dubitari nequit. Ea vero caput, & fundus est patronatus, unde & Episcopi vitam, & Ecclesia necessitates tollerare possint.

Frustra autem opponitur, eam Principum dotationem, dotem Ecclesiæ originariam non fuisse, cum per id temporis ea dotata sat fuerit; & ex prædictis largitionibus jus patronatus enasci non potuisse, cum & sine patronatus refer-

ſervatione ſint factæ, & rationem ſimplicis potius beneficii, quam dotandi conſilium exhibeant. Nam nuſquam legitur ante Goffridum Comitem, Lycienſem Eccleſiam aliam habuiſſe dotem; neque aliud hodie ea poſſidet, præter ea, quæ in prædictis conceſſionibus continentur. Prædictus autem contradictor aperte adverſatur judiciariis aſſertionibus Epiſcoporum Lycienſium, qui in judicio profeſſi ſunt, bona omnia Lycienſis Eccleſiæ conceſſa fuiſſe a veteribus Principibus, qui Lycii Comitatum olim habuerunt. Prædicta autem bona dotis titulo Eccleſiæ fuiſſe conceſſa, primo liquet ex verbis ab ipſo oppoſitore animadverſis, quibus inculcatur, Goffridum Comitem primam feciſſe donationem *tam pro reparatione Matris Lycienſis Eccleſiæ quam una cum Rev. Patre Formoſo Dei gratia venerabili Epiſcopo Lycii conſtrui fecimus, quam etiam pro præbendandis, & beneficiandis Clericis prædictæ Eccleſiæ*. Si igitur donata fuere bona, ut inde reparari poſſet Eccleſia recens extructa, atque indidem conſtituerentur præbendæ & beneficia ejuſdem Miniſtris, exinde liquet, bona iſthæc in Eccleſiam fuiſſe collata ejus dotis cauſa, quæ patronatum conſtituit juxta *Can. Nemo, de conſecr. diſt.* 1., & *Novell.* 57. *cap. ult.*. Id ipſum apertius deducitur ex memoratis confirmationibus, & novis conceſſionibus Imperatricis Conſtantiæ, quæ ea lege fuere factæ *ita quod nulli Lycienſi Epiſcopo, vel Prælato ejuſdem Eccleſiæ, liceat aliquod de ſupradictis bonis in præbendam alicui concedere, ſeu modo quolibet alienare, ſed proprietas integraliter ad opus Lycienſis Eccleſiæ conſervari debeat, & in perpetuo detineri*. Lex iſthæc de bonis perpetuo conſervandis integraliter *ad opus Lycienſis Eccleſiæ*, non alio profecto pertinet, quam ut ea dotem Eccleſiæ conſtituerent, ipſius Eccleſiæ perpetuo commodo inſervituram. Aliunde nemo inficias iverit, ipſo jure patronatum acquiri per Eccleſiæ ſeu conſtructionem, ſeu dotationem, quamvis id juris diſerte non reſervarit ſibi patronus, ut præter alios evincit de Roye *de jure patron. cap.* 15.

Quod denique opponitur, jus patronatus in prædictam Eccleſiam amiſſum inuſu fuiſſe; & ad Regem Neapolis perti-

tinere potuisse, non Regio quidem, sed patrimoniali jure, tamquam heredem veterum Principum, a quibus repeti concessiones debent, jus autem id genus præscriptioni subesse; facillime etiam refelli potest. Prædictæ enim concessiones ex ipsius Principatus bonis decerptæ sunt omnes. Concessa enim Oppida, & Pagi, in demanio Comitatus Lyciensis continebantur: ad idem demanium pertinebant decimæ omne genus Ecclesiæ Lyciensi concessæ. Diserte memoratum id fuit in ipsis veteribus concessionibus; id ipsum repetitum in confirmatione a Guilelmo II. facta. Ibi enim declaratur, prædicta bona omnia fuisse *de demanio Lyciensi*, jus igitur patronatus a prædictis concessionibus profectum ipsi Principatui fuit acquisitum, iisque, qui jure Summi Imperii in Lyciensem Comitatum utebantur. Ea autem jura cum in Regem Neapolitanum migrarint cum reliquis Majestatis juribus, is etiam patronatus in Regem Neapolitanum transit. Inspecto autem jure publico, & non minus Regni; quam aliorum in Europa Principatuum decisionibus, jus Regiorum patronatuum præscribi non potest. Proinde Curiæ Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Regii Conf. D. Dominici Potenza, ordinarii Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Lyciensem Episcopalem Ecclesiam, tamquam a veteribus Principibus opulenter dotatam, fuisse, & esse Regii patronatus, ac proinde Regiam Coronam redintegrandam esse, ut præsenti sententia redintegratur in ejusdem Ecclesiæ patronatum, cum omnibus suis bonis, feudis, juribus, Ecclesiis, jurisdictionibus, privilegiis, & aliis pertinentiis suis, ac præsertim cum jure ad Principem, ejusque in Regno successores spectante nominandi, & eligendi Episcopos, quoties eam vacare contingerit, & reliquis juribus ad Patronum Principem pertinentibus. Ne vero jura Regia detrimentum capiant, Lyciensis Cathedralis Ecclesia describatur in libris Curiæ inter alias Cathedrales in quas jus patronatus ad Principem pertinet.*

In caufa in gradu appellationis propofitæ per Rev. Archipresbyterum, & Capitulum Collegiatæ Ecclefiæ S. Rochi Terræ Montorii cum Rev. Epifcopo Teramano. Die 8. Novembris 1786.

Confirmatur fententia diei 28. Aprilis 1783.

CUm Rev. Archipresbyter, & Capitulum Collegiatæ Ecclefiæ Terræ Montorii appellaffent a fententia, & decreto Rever. Curiæ Capellani Majoris fub die 28. Aprilis 1783. Regali Diplomate Dominus Miles U. J. D. D. Andreas Marchio Tontulus Regius Confiliarius in præfenti caufa Judex appellationis per S. M. fpecialiter fuit deputatus, per quem provifum & decretum eft : *bene fuiffe judicatum per dictam Rev. Curiam in citato decreto fol.* 287. , *& male appellatum per Rev. Archipresbyterum , Capitulumque Collegiatæ fub titulo S. Rochi Terræ Montorii Aprutinæ Diœcefis* . Peffimi enim exempli , ut hoc folum fcitiffime dictis in præfati decreti ratiocinatione adjiciam , eft , obedientiam, & reverentiam proprio Epifcopo , cujus in dignitate Div. Hieronymus , contra *Luciferian. cap.* 4. , nos docet, Ecclefiæ falutem effe pofitam, pertinaciter contendere; dedignatio quippe fubjectionis, prælationis reddet indignum. Nec juvat ad defenfionem afferre , fe ab Epifcopi jurifdictione Summum Pontificem exemiffe . Audiant quod Div. Bernardus, *de Confider. lib.* 3. *cap.* 4. , ad Pontificem Eugenium III. loquitur: *Tibi licitum cenfeas , fuis Ecclefiis mutilare membris, confundere ordinem , perturbare terminos, quos pofuerunt patres tui? Si juftitiæ eft jus cuique fervare fuum ; auferre cuiquam fua , jufto quo modo poterit convenire ? . . . Viderat hoc qui dicebat* ; Vidi Civitatem Sanctam Jerufalem , novam defcendentem de Cœlo a Deo paratam. *Ego enim propter fimilitudinem dictum reor , quod ficut illic Seraphim , & Cherubim , ac ceteri quique ufque ad Angelos , & Archangelos ordinantur fub uno capite Deo : ita hic quoque fub uno Summo Pontifice Primates, vel Patriarchæ , Archiepifcopi , Epifcopi , Presbyteri , vel Abbates, & reliqui in hunc modum. Non eft parvipendendum, quod & Deum habet auctorem , & de Cœlo ducit originem . Quod fi dicat Epifcopus , nolo effe fub Archiepifcopo , aut Abbas nolo obe-*

obedire Episcopo: Hoc de Cœlo non est. Nisi tu forte Angelorum quempiam dicentem audisti, nolo sub Archangelis esse: aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem subesse cuiquam, nisi Deo. Quid? inquis: prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem. Jure ergo si Archiepiscopus Parisiensis Petrus de Marca *Concord. lib.* 3. *cap.* 16. §. 7. post Gulielmum Durandum *de modo Concil. gener. celebrand. Rubr. de exempt.*, probare fategit, constitutum a Conciliis generalibus in Ecclesia Ordinem non posse a Pontificibus, his gratiosis exemptionibus pro libito everti. Deinde & si hoc a Papa fieri posset, non expediret statui universalis Ecclesiæ, nec Religioni, nec ipsius personis Ecclesiasticis; quod multis firmat argumentis, docens, Episcopatus vim in partes dividi, dignitatem violari, obsequium, reverentiamque Episcopis debitam aboleri, vitia subditorum impunita relinqui, & criminibus faciliorem viam aperiri. Quin & Ecclesiasticos, qui demissionem animi profitentur, his exemptionibus tumidos in superbiam adeo efferri, ut frequentes contendant Episcopis, Archiepiscopis, & aliis Prælatis se quodammodo fore æquales. Quare cum ex hac graduum confusione scandalum ab aliquot sæculis natum non dum sit deletum; & si non adeo ferveat ac tempore Divi Bernardi, atque eam ob causam exemptiones omnino tolli non debeant, attamen cum istæ Canonum, & disciplinæ sanioris remissiones publicam tranquillitatem lædant, non alienum esse a Regio munere, ut ex parte sua curet, his perturbationibus averruncandis manum Regiam admovere intelligit, quid diligenter expendet ea, quæ ipse Archiepiscopus particulari Diatriba ostendere promisit; non præstitit tamen; unde Carolus Fevretius *de abusu lib.* 3. *cap.* 1. copiose hoc perfecit. Quo peracto Renati Choppini vestigiis insistens, manifesto ostendit, exemptiones istas abusum præseferre. Quapropter, ut ipse testatur, sæpius in Gallia executione caruissent, præsertim si consensu non tantum proprii Episcopi, quam Regis carent; quorum concentum pri-

ma, & altera Marculfi formulæ manifeste requirunt, ut & Bignonius in eas adnotat; nam Regis est Episcoporum jura tutari.

Præterquamquod in Bulla Summi Pontificis Pauli IV. hæc non legitur concessa exemptio, quæ tamen declarari expresse oportebat; nam ipse Innocentius IV. *cap.* 1. *de privil. in 6.* privilegiorum limites in eos expressis verbis designatos excedere prohibet. Et Alexander III. *cap.* 3 *de priv.* id tantum observari voluit, quod deprehenditur in Privilegiis contineri; cum eorum metas transgredi omne fas abrumpet. His rationibus, quis non videt exequi deberi præfatum decretum Rever. Curiæ Capellani Majoris, consulta etiam instantia Domini Regalis Coronæ Patroni, cujus sententiæ e penitiori, solidiorique rei Ecclesiasticæ notitia sunt depromptæ?

In causa redintegrationis Regii patronatus in Capitulum, & Ecclesiam S. Mariæ Majoris Civitatis Baroli. Die 9. Decembris 1786.

Ecclesiæ dotatione jus patronatus acquiritur.

PRoposita causa in Curia Regii Capellani Majoris pro redintegratione Regii patronatus in Ecclesiam S. Mariæ Majoris Civitatis Baroli, ejusque Capitulum, primo citationes per edictum sunt expeditæ, ut judicio adessent omnes quorum interesse posset. Dein termino probationibus præstituto, in eo pro evincendo Regio patronatu insequentes adductæ sunt probationes.

Ostensum primo fuit, per Regem Guilielmum II. concessam fuisse Archipresbytero & Capitulo Barolitanæ Ecclesiæ quartam partem decimarum Bajulationis, Dohanæ, & aliorum jurium Regiæ Curiæ, necnon annuas libras sexaginta ceræ ex proventibus ejusdem Dohanæ pro cereo Paschali: dictamque donationem confirmatam fuisse per Imperatorem Henricum VI., ac denique Privilegia eorumdem Principum exhibita fuisse Imperatori Friderico II., qui eis recognitis, alio Privilegio suo mense Decembris anno 1234, noviter illa confirmavit his verbis: *Per præsens Privilegium con-*

concedimus, confirmamus, & donamus in perpetuum eidem Archipresbytero, & Capitulo Barolitanæ Ecclesiæ quartam partem decimarum Bajulationis, Dobanæ, & aliorum jurium Curiæ nostræ in Barolo, & fex . . . . ceræ ex proventibus ejusdem Dobanæ pro cereo Paschali per annum, quæ eidem Ecclesiæ per qu Regem Willelmum II. consobrinum nostrum, ac Summum Augustum Patrem nostrum Imperatorem Henricum recolendæ memoriæ per Privilegia eorumdem prædecessorum nostrorum per eosdem supplicantes nostræ Curiæ assignata, concessa fuisse, necnon & quæ Archipresbyterum & Capitulum dictæ Ecclesiæ Baroli, per inquisitionem de mandato nostri culminis inde factam, in nostra Curia præsentatam, & examinatam, consuevisse percipere & habere temporibus Dominorum ipsorum, usque ad tempus, quo Tranensis Ecclesia ea illicite occupavit, nostræ constat Majestati.

Productum est quoque Privilegium Regis Alphonsi I. de Aragonia, de die 10. Decembris ann. 1442., ex quo patet, insequentes Reges post Imperatorem Fridericum II., præsertim vero Regem Ladislaum, & Reginam Joannam II., novas indulsisse concessiones, & confirmationes eidem Ecclesiæ, ejusque Capitulo, dictumque Regem Alphonsum ad eorum requisitionem denuo illas confirmasse hujusmodi verbis: *Moti devotis supplicationibus supplicantium prædictorum, & considerantes quod dicta major Barolitana Ecclesia vocabulo gloriosæ semper Virginis Mariæ insignitur: considerantes quoque, quod decens est beneficia Principum esse mansura, volentes cum eadem majori Ecclesia agere gratiose, jam dictæ majori Ecclesiæ Barolitanæ, præfatisque Archipresbytero & Capitulo ejusdem Ecclesiæ, præfatam quartam partem decimæ dictorum fundici, & Dobanæ, & aliorum veterum jure Regiæ Curiæ eorumdem fundici, & Dobanæ, necnon & prædictos tarenos quindecim super dictis juribus veteris Bucceriæ dictæ Terræ, ac ceræ libras sexaginta pro cereo Paschali super juribus Dobanæ prædictæ, prout in præfatorum Privilegiorum & literarum Reginalium, & Regiorum, & signanter præfatorum Domini Regis Ladislai & Dominæ Reginæ Joannæ tenoribus continetur; ipsasque literas, & Privilegia, & singula contenta in eis, quarum*

rum & quorum tenorem haberi volumus in præsentibus pro sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, & particulariter annotatis, licet per se valida firmitate subsistant, ad majoris tamen cautelæ suffragium, eo modo, quo usi sunt, ac si, & prout in possessione seu quasi existunt, tenore præsentium de certa nostra scientia, cum dicti nostri Consilii matura deliberatione confirmamus, ratificamus, acceptamus, & approbamus, ac nostræ potestatis & auctoritatis præsidio communimus.

Denique exhibitum fuit insigne Privilegium Regis Ferdinandi I. de Aragonia, datum Baroli die 28. mensis Decembris anno 1470. Regni ejus anno XIII. Is memor, quod in dicta majori Ecclesia Barolitana coronatus fuisset in Regem hujus Regni, & Oleo Sacro perlinitus ab ipsa die 4. Februarii anno 1459., uberiores in eamdem majorem Ecclesiam contulit largitiones, easque diserte destinatas tam ad substinenda ejusdem Ecclesiæ onera, quam ad substentandos Clericos, aliosque Ministros eidem inservientes. En ejus verba: *Si debemus Dei intuitu omnibus Ecclesiis, in primis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, primariæ Terræ Baroli, Tranensis Diœcesis, plurimum debere profitemur, ob memoriam candidi illius diei, ut cetera ornamenta ipsius Venerabilis Ecclesiæ taceamus, quo in eo ipso Templo investituram hujus nostri Regni accepimus, uncti in Regem hujus Regni, atque coronati fuimus: qui quidem dies a nobis æterna memoria est maxime & venerandus, & observandus. Instituentes namque ipsam Ecclesiam Sanctæ Mariæ Baroli muneratione aliqua afficere, quo ipsa Ecclesia venerabilior, & ornatior ad Dei cultum reddatur: serie præsentium eidem Ecclesiæ primariæ Barolensi ab hodierna die in antea in perpetuum concedimus, donamus, & indulgemus ex certa scientia, liberalitate mera, & gratia speciali, consulto, & deliberate, quod nomine dictæ Ecclesiæ & ejus Capituli, possit per ejus Procuratores prope salinas nostræ Curiæ, in territorio dictæ Terræ Baroli existentes, in quocumque latere maluerint, fieri, & fieri facere centum currus salis quotannis, seu anno quolibet, ad mensuram grossam æstimandam, & mensurandam per mensuratores dictæ Curiæ sine aliqua contradictione per nos, sive*

five per Magistros salis nostræ Curiæ, aut nostro nomine, vel alieno nomine quocumque quovis modo facienda: non obstante communi æstimatione, quæ in massis salium dictæ Curiæ fieri solet: nihilominus semper sine detrimento ad mensuram grossam per nostros Officiales sit dictæ Ecclesiæ, seu Capitulo assignandum. Quodve nomine dictæ Ecclesiæ, sive ejus Capituli, dictum sal liberum, francum, & exemptum ab omni solutione facienda nostræ Curiæ, & alteri cuicumque, possit vendi extra hoc nostrum Regnum, cui melius, & utilius eisdem visum fuerit, & extrahi ex dicto Regno sine aliqua solutione juris exituræ, aut alterius cujuvis vectigalis: ea etiam conditione, quod si in uno anno quavis ex causa, quæ contingere posset, non fieret integra summa dicti salis, possint & valeant in sequentibus annis supplere, & tanto plus salis facere usque ad annuæ quantitatis supplementum &c.

Verum ut dicti salis pretium laudabiliter in utilitatem & honorem dictæ Ecclesiæ vertatur, ut nostræ mentis est, nec possit in alios usus converti: decernimus, & ordinamus, quod de pretio dicti salis fiant tres partes æquales, & quod una pars convertatur, & converti debeat in salariis, & mercede Magistrorum cantus, & musicæ organorum, ac Grammaticæ, & Theologiæ ad erudiendos Clericos & pueros dictæ Ecclesiæ juxta Canonicas sanctiones, quibus cavetur in Ecclesiis dictos Præceptores constituendos esse: ita tamen quod quoties dicta tertia pars non sufficeret, de reliquis duabus partibus detrahi possit, adeo quod hujusmodi institutionibus Clericorum & puerorum primo & ante omnia sit laudabiliter provisum, ut moribus & scientia præditi in Ecclesia Dei resplendeant, tamquam stellæ firmamenti in perpetuas æternitates. Altera vero pars dividatur pro distributionibus quotidianis Clericorum vacantium cultui Divino dictæ Ecclesiæ juxta ipsius consuetudinem, & usum. Reliqua vero tertia pars impendatur in rebus pertinentibus ad cultum, & ornamentum ipsius Ecclesiæ, ad memoriam Majestatis nostræ, & celebris diei dictæ nostræ incoronationis, unctionis, & investituræ, nostrorum Officialium, qui in Terra Baroli pro tempore aderunt, seu nostro interveniente assensu.

Quæ dicta sunt hactenus, satis superque Regium videntur

tur firmare patronatum. Nam præter antiquas largitiones Regis Guilelmi II. ab Henrico VI., Friderico II., & Alphonso I. confirmatas, quibus Ecclesiæ ejusque Capituli necessitatibus apprime fuit consultum; postrema Regis Ferdinandi I. opipara concessio, ad eum usum ab ipso Rege expressim destinata, ut substentarentur Clerici cultui Divino in ipsa Ecclesia vacantes, & ut provisum esset impensis pertinentibus ad ejusdem Ecclesiæ cultum & ornatum, dotem procul dubio uberrimam ipsi Ecclesiæ, ejusque Capitulo paravit. Scitum est autem ex Civilibus, & Canonicis sanctionibus, ob Ecclesiæ dotationem jus patronatus acquiri, præsertim cum ex propria substantia expensæ ad Ecclesiæ substentationem, & alimenta ejus Ministris præbeantur. Hujusmodi vero jus patronatus a decessoribus Regibus bonis ipsius Principatus acquisitum, nulli dubium est pertinere ad felicissimum Regem Ferdinandum, in quem cetera Regni jura migrarunt. Proinde Curia Ill. & Rev. Capellani Majoris, cum voto Domini Regii Consiliarii D. Dominici Potenza, ordinarii Consultoris ejusdem, ita definivit: *Ecclesiam S. Mariæ Majoris Civitatis Baroli, ejusque Capitulum, fuisse, & esse Regii patronatus, ac proinde Regalem Coronam redintegrandam esse, prout præsenti sententia redintegratur in patronatum prædictæ Ecclesiæ ejusque Capituli, cum omnibus eorum bonis, juribus, Privilegiis, & pertinentiis quibuscumque, cum jure ad faustissimum Regem Ferdinandum, ejusque in Regno successores pertinente, eligendi, & nominandi Archipresbyteros, ceterosque Capitulares ejusdem Ecclesiæ in singulis vacationum casibus, & cum ceteris juribus e patronatu pendentibus. Ne quando vero Regia jura detrimentum patiantur, referatur dicta Ecclesia in libris Curiæ inter ceteras Ecclesias Regis patronatus.*

In

In causa redintegrationis patronatus feudalis in Abbatiam S. Angeli de Raparìo. Die . . . Decembris 1786.

Bonis feudalibus Ecclesia dotata subjacet patronatui, qui mediate ad Principem, immediate ad feudi possessorem spectat.

ILlustris Princeps Marsici Novi Joannes Baptista Pignatelli supplici libello suo Regem adiit, exponens inter alia feuda se possidere Oppidum S. Chirici de Rapario in Anglonensi Diœcesi, acquisitum a majoribus suis *cum juribus patronatus Ecclesiarum & Abbatiarum*; in ejus vero territorio extare Abbatiam sub titulo S. Angeli de Rapario, a veteri S. Chirici Feudatario bonis ejusdem feudi dotatam; eum patronatum solitis artibus Romanam Curiam occupasse, & contempto patroni jure, Abbatibus Commendatariis ab ea destinatis eum cessisse. Proinde a Rege providentissimo petiit, ut Abbatia isthæc patronatus feudalis declararetur, ejusque juris exercitium sibi redintegraretur, quod & Fisco profuturum erat ob rerum humanarum orbem, & incertos devolutionis eventus. Supplex ejus libellus Regiis litteris anno 1779. 27. Novembris remissus fuit Curiæ Capellani Majoris, ut audito Regiæ Coronæ Advocato, & Partibus, sententiam de controversia rite diceret, & judicii exitum referret.

Ita prædictus Ill. Baro actionem de memorati patronatus redintegratione instituit: ejus vero libello Curiæ exhibito, ab ea cautum, ut lis denunciaretur omnibus, quorum interesse posset. De lite speciatim factus est certior Didacus Positanus Commendatarius in præsenti Abbas beneficio Romanæ Curiæ, & termino probationibus præstituto, ejus decreto se opposuit prædictus Abbas contrario libello suo. His ita transactis alio libello supplici Regem interpellavit Josephus Bentivenga Castri Saraceni Sacerdos, neque memorata actione per Marsici Principem ea de re instituta, exposuit, prædictam Abbatiam pendere e veteri S. Benedicti Monasterio: ei ad alendos Monachos fuisse donatum totum prædicti Castri Saraceni territorium, cum pistrinis, demanio, platea, portulania, & cæteris feudalibus juribus; Monasterio dissoluto ejus reditus cessisse Abbatibus a Romana

Curia renunciatis cum Fisci injuria, ad quem pertinebat feudum Castri Saraceni. Hinc petiit libello, ut Curiæ in mandatis daretur, ut ad redintegrationem procederet, & sibi delationis præmium decerneretur. Ea quoque nunciatio Curiæ remissa fuit anno 1780. 21. Octobris, eique mandatum, ut audito Advocato Coronæ, aliisque quos audiendos censeret, de justitia provideret, relato Principi fato controversiæ.

In literarum Divalium consequentiam edictales citationes sunt expeditæ, ut litis certiores fierent generatim omnes, quorum interesse posset. Termino probationibus præstituto, in ejus spatio judicio adfuit Abbas Didacus Positanus declarans se non adversari petitioni prædicti Sacerdotis Bentivenga, sed tantum petitioni Principis Marsici. Cum vero absonum videretur, ut de controversa Abbatia actiones diversis judiciis definirentur: Curia censuit, ut idem terminus probatorius præstitutus intelligeretur, tam super deductis a Principe Marsici, quam a Sacerdote Bentivenga. Compilatus terminus rite fuit per probationes testium, & scripturarum productarum a Marsici Principe, per scripturas etiam exhibitas a Bentivenga. Iis inspectis Regiæ Coronæ Advocatus petiit libello suo, ut Abbatia Regii patronatus immediati declararetur, atque in ejus possessionem redintegraretur Regia Corona. Proinde Curia procedit ad dicendam de re controversa sententiam.

Primo igitur fuit exhibitum vetus documentum donationis a Mango, seu Manghisio factæ *in tempore dominii sui S. Clerici* anno ab Orbe condito 6594., hoc est a Nativitate Christi 1086., in favorem Ecclesiæ S. Archangeli de Rapario, ubi legitur: *Manifeste, & publice obtulimus S. Ecclesiæ S. Archangeli de Rapario, & tibi Ven. Abbati Nimpho, & omnibus qui ibidem, & tecum sunt, & erunt Monachi supradictæ Ecclesiæ S. Archangeli, collapsum Castellum nominatum Saracenum, cum omnibus tenimentis suis, scilicet terris, vineis, montibus, forestis, & cursibus aquarum, cum introitibus, & exitibus suis. Quod ædificium donamus Templo S. Archangeli ad victum vestrum, & Fratrum vestrorum sistentium in dicta Ecclesiæ*

clesia S. Archangeli, & qui futuri sunt Monachi in dicta Ecclesia . . . Hoc obtulimus pro liberatione, & remissione peccatorum nostrorum, & parentum nostrorum &c.

Contendit Marsici Princeps ad memoratum Manghisium, qui per id tempus S. Chirico imperitabat, nullatenus jus Summi Imperii pertinuisse, eumdem nudum fuisse Feudatarium Rogerii Ducis cognomento Bursæ, Ducis Roberti filii, qui per ea tempora in Neapolitanas Provincias jure Summi Imperii utebatur. Id autem demonstravit ipsis donationis verbis, quibus donator Manghisius sanctionem pœnalem comminatus est adversus eos, qui donationem suam rescindere aggrederentur. Sic enim is sancit: *Nemo autem præsumat irritare nostram donationem Ecclesiæ S. Archangeli de Rapario, nec controvenire . . . . . & pro his nostris donationibus non solum pœnam quam expressimus hæreditabit, sed confirmamus, quod si quis in eam inciderit, nostro Magno Duci libras centum auri componat, & cum toto hoc firmam, ratam, & incommutabilem donationem volumus permanere.*

Idem Ill. Princeps intendit, per ea tempora Baronibus licuisse proprii feudi bona per donationes delibare, & decerpere; nam prohibitionem alienationis bonorum feudalium in nostris Provinciis ex posteriore Constitutione Rogerii enatam esse. Ostendit etiam anno 1147., exorta controversia de dictorum bonorum possessione, a Rege Rogerio Justitiariis suis in mandatis datum, ut inquirent, quo tandem modo Ecclesia S. Angeli de Rapario dominio haberet in virum Castri Saraceni; eosdem Justitiarios Curiam in S. Chirico habuisse, & auditis Abbate, finitimis Baronibus, quibusdam Episcopis Militibus, & Sansone Manghisii filio, & attente discussa charta donationis per Abbatem exhibita, definivisse quod Clemens Abbas, qui per id temporis regebat Ecclesiam, & Monasterium, *juste dominabatur in prædicto Casali:* Ea vero sententia a Rogerio confirmata fuit.

Adprobavit insuper Marsici Princeps per testes decem ad articulum nonum interrogatos, S. Archangeli de Rapario Abbatialem Ecclesiam constructam esse in ejusdem feudi

 S. Chi-

S. Chirici de Rapario finibus, & idem Castrum Saracenum prædictæ Ecclesiæ a Manghisio donatum, fuisse, & esse ejusdem Baroniæ S. Chirici Vicum, & in ejus territorio positum. Eam ob rem exhibuit documentum ann. 1442., unde liquet, S. Chirico sub Hugonis Sanseverini utili dominio constituto, unum Bajulatum complexum esse tam S. Chirici, quam Castri Saraceni Bajulationem, hujus autem Bajulatum veluti membrum fuisse habitum Bajulationis S. Chirici veluti feudi Majoris. Præterea produxit documentum articulorum, & probationum anno 1530. factarum per Hostiliani Principem per id temporis feudi S. Chirici possessorem, in controversia inter eum, & Abbatem S. Angeli de Rapario, & Universitatem Castri Saraceni. In eo enim judicio fuit ostensum, Baroniam S. Chirici habuisse, & habere in territorio suo Vicos complures, & præsertim Castrum Saracenum, & in toto prædictorum Vicorum territorio veteres possessores Baroniæ S. Chirici fidasse animalia pabulorum causa, & a non fidatis diffidam exegisse, nusquam adversantibus prædicto Abbate, & hominibus Castri Saraceni. Ostendit etiam, ann. 1757. ob ea documenta per Reg. Cameram Abbatem S. Angeli de Rapario coactum fuisse fungi, & publica onera conferre Universitati S. Chirici, ob bona ab eo possessa tam in S. Chirici, quam in Castri Saraceni territorio.

Prædictis autem documentis innixus Marsici Princeps contendit, patronatum Baroni Manghisio quæsitum in Abbatiam S. Angeli de Rapario in feudo S. Chirici positam, ipsi S. Chirici feudo quæsitum esse, & in feudum successoribus. Ea enim acquisitio promanavit ex donatione Vici Castri Saraceni, & bonorum omnium eidem Castro hærentium: quæ quidem omnia pars erant Baroniæ S. Chirici; id enim Oppidum caput Baroniæ erat.

Quod vero præsentis controversiæ maximum est præjudicium, adprobavit etiam Marsici Princeps, Barones S. Chirici vetustissimos in controversam Abbatiam jus patronatus exercuisse. Cum enim Baroniam S. Chirici Sanseverinensis nominis utiles Domini pluribus retro sæculis possedissent, hodie

die etiam in plerisque ejus Ecclesiæ Abbatialis locis cernere est arma, & stemmata ejus domus gentilia, & insequentem titulum: HUGO TERTIUS DE SANCTO SEVERINO COMES SAPONARIÆ. LUCIUS SANSEVERINUS SENIOR. Ea autem arma, & tituli variis Ecclesiæ partibus inscripta patronatus certissima æstimantur argumenta.

Eodem pertinere contendit, quod in insequntis alienationibus S. Chirici, speciatim fuerint expressa jura patronatus, quæ penes venditores erant. Ostensum est quoque, ejusdem Baroniæ possessione delata ad Joannem Dentice, ab eodem instrumento ea de re inito die 11. Novembris ann. 1464. rursus venditam fuisse Beatrici Zurlæ uxori alterius Sanseverinensis Hugonis *cum juribus patronatuum Ecclesiarum:* ac alio etiam instrumento die 23. Januarii ann. 1469. eundem Hugonem, & Beatricem memoratam Baroniam rursus vendidisse Lucæ Sanseverino Bisiniani Principi *cum juribus patronatus Ecclesiarum*.

Præterea ostendit, a Rege Ferdinando II. successorem Alphonsum Sanseverinum S.Chirici Baronia privatum, & aliis suis feudis perduellione sua; & eumdem deinde in S. Chirici, & aliorum feudorum possessionem redintegratum *prout per prius ante rebellionem suam possidebat*, adeoque S. Chiricum ei restitutum cum patronatibus ante perduellionem a se possessis: eandem vero gratiam ei confirmatam clementia Federici Aragonensis Diplomate die 30. Octobris ann. 1496. Tandem ad examen Curiæ revocavit, ann. 1525., ab eodem Alphonso Sanseverino S.Chirici Baronia vendita Hostiliani Principi Caraphæ, ab ejus successoribus eamdem Baroniam ann. 1682. fuisse venditam Joanni Baptistæ Spinelli Caivani Duci, venditionem vero fuisse initam: *cum juribus patronatus Ecclesiarum, & Abbatiarum, & cum jure redintegrandi*: ab eodem etiam Caivani Duce eamdem Baroniam transiisse in decessores Principis Marsici, quo jure, quaque conditione erat; contractibus assenso Regio rite roboratis.

Ob prædicta documenta Curiæ visum, dubitari non oportere, Manghisium veterem S. Chirici Baronem ob dona-

nationem Ecclesiæ S. Archangeli de Rapario, ejusque Abbati factam de Castro Saraceno cum prædiis eis hærentibus, ea lege donationi adjecta *ad victum vestrum, & Fratrum vestrorum sistentium in dicta Ecclesia S. Arcbangeli, & qui futuri sunt Monachi in dicta Ecclesia*, in eam Ecclesiam patronatum acquisivisse. Neque enim occurrit in jure potior ratio acquirendi patronatus, quam substantiæ suæ largitione prospicere Ministrorum Ecclesiæ substentationi, ut diserte cavet Imperator in *Novell.* 57. *cap. ult.* Sic enim ibi: *Si quis ædificans Ecclesiam, aut aliter in ea ministrantibus alimenta expendens &c.*

Curiæ quoque visum, cum idem Manghisius jure Majestatis careret; Ecclesia ab eo dotata bonis e feudo S. Chirici delibatis, ex dotatione ab ipso Rege Rogerio mox confirmata jus patronatus ipsi feudo quæsitum fuisse, unde decerpta dos fuit, idemque in feudi possessores pro tempore transivisse. Eo pertinet juris Pontificii sanctio in *cap.* 13. *de jure patron.* Eodem pertinent ejusdem juris Pontificii loci, in quibus cavetur de patronatibus feudis aut villis hærentibus, præsertim *cap.* 7. *eod. tit.* Sed id argumentum late exequitur Carolus Molinæus, Galliæ ille Papinianus, ad *Consuet. Parisiens. tit.* 1. *de feud.* §. 55. *glo/s.* 10. *n.* 6 *ad* 11., & Franciscus de Roye *de jure patron. in prolegom. cap* 18. 19., aliique complures. Ea autem in re maximi momenti Curiæ visum, successores Feudatarios, ac præsertim Hugonem Sanseverinum, Lucium Sanseverinum, aliosque ejusdem familiæ Barones, possessores feudi S. Chirici de Rapario, in controversam Ecclesiam jus patronatus exercuisse appositis armis gentis suæ in parietibus interioribus, & exterioribus ejusdem Ecclesiæ. Nam Doctores omnes producti ab eodem Francisco de Roye in tractatu *de juribus honorif. lib.* 2. *cap* 3. tamquam certissimam probationem patronatus constituerunt in armorum gentilium insignibus, seu listris in variis partibus Ecclesiarum appositis. Hinc vir ille doctissimus ita concludit. *Ex quibus omnibus patet fundatorem intra, & extra suam Ecclesiam, listras, quæ loco sunt titulorum, imaginum, & inscri-*

scriptionum, habere posse, quod est veluti symbolum, & memoria præteriti dominii. Et hinc listra per totam Ecclesiam depicta certissime indicat, quis sit ejus fundator, quippe quæ ei soli competat intra, & extra Ecclesiam.

Sed & Curiæ visum, patronatus ab Hugone, Lucio, aliisque Sanseverinensibus possessos, amissos non fuisse, neque rediisse ad Fiscum, ob perduellionem Alphonsi eorum successoris, inspecta plenaria restitutione ei facta a Ferdinando II., & ab ejus patruo Friderico. Ei enim Baronia S. Chirici restituta fuit cum aliis feudis, *prout per prius ante suam rebellionem possidebat*. Ita Baronia ei redintegrata, jura patronatus etiam ei redintegrata fuerunt. Inde factum, ut in alienationibus porro factis prædictæ Baroniæ S. Chirici, & in ea quoque, qua eadem Baronia ad Auctores hodierni Principis Marsicensis pervenit, in tabulis venditionis constanter fuerit apposita clausula, scilicet vendi feuda *cum juribus patronatus Ecclesiarum*. Quæ quidem omnia firmissimum titulum prædicto Marsicensi Principi præstant ad pertinentiam controversi patronatus sibi tuendam.

Quapropter Curia censuit controversum patronatum ad Regem pertinere, ac Regium esse, ob directum dominium, quod in feudo, & jura omnia feudalia Regi competit. Cum tamen prædicta S. Chirici Baronia jure feudi sit penes Marsici Principem, eidem Curiæ visum, eumdem patronatum mediate Regium esse. Intermedia est enim persona prædicti Principis Marsicensis, isque, quamdiu ipsius linea superſit; uti debet patronatus juribus, donec ea cum feudo ad Fiscum redeant. Quamdiu id non contingerit, Curia censuit, jus redintegrandi ad prædictum Principem pertinere ratione feudi ab eo possessi.

Quod autem ad nunciationem Sacerdotis Josephi Bentivenga Fisco factam, in controversia scilicet veteris Monasterii pridem aboliti, ejus bona ex tenore novissimorum Regalium ordinum ad Regiam Coronam devoluta intelligi, contendit Marsici Princeps, id in præsenti controversia locum habere non posse. Nam Regales ordines Monasteria ve-

vetera refpiciunt, de quorum fundatore non liquet, & a qua manu dotem acceperint, & qui dotantium fint fucceffores. De iis quidem Monafteriis recte placuit, jura veteris patronatus ad Principem rediiffe, ejus poteftate fuccedente, ubi fundatorum non exiftentium deeft arbitrium, quod & de bonis vacantibus leges cavent, quæ ad Fifcum deferri jubentur. Si quæ igitur vetera Monafteria deftituta Monachis deprehendantur, recte Divalibus literis declaratum, bonis ad Principem devolutis, ad eum jure Majeftatis pertinere, & novam formam Monafteriis dare, & bona feu Abbatibus Commendatariis deftinare, feu in alios ufus ea convertere. Enim vero cum de veteri Monafterio agatur, de cujus dotatione liquido conftat, facta a Barone fuiffe bonis ad feudum S. Chirici pertinentibus, qua ipfi feudo quæfitus patronatus fuit, & in feudum fucceffuris; cum conftet etiam, feudi fucceffores patronatum exercuiffe; cum ejus pertinentia veluti per manus tranfierit ad omnes feudi fucceffores, feu hereditario nomine, feu fingularis emptionis titulo ei fuccefferint, ad hodiernum Baronem ufque; recte contendere videtur Marfici Princeps, non obftante Monafterii fuppreffione, perftare adhuc jura patronatus fui propter proprii feudi bona, quibus Monafterio conftituta dos fuit, patronatus enim veteris utilis dominii confequentia eft; Baronis vero exiftente linea, neque patronatum, neque prædicta bona ad Fifcum redire poffe, fi feudales de utili dominio leges fervari velint. Atque hæc argumenta per Marficenfem Principem allegata, & in fuis allegationibus latiùs deducta Curiæ fuaferunt, ejus caufam juftam effe. Rerum igitur momentis accurate perpenfis, controverfiam in infequentem modum definiendam cenfuit, cum voto ordinarii Confultoris ejufdem Regii Confiliarii D. Dominici Potenza: *Abbatiam S. Archangeli de Rapario fitam in territorio S. Chirici patronatus feudalis effe, hærentis ipfi feudo S. Chirici; prædictum autem patronatum mediate ad Coronam Regiam pertinere durante conceffione feudi, & exiftente Barone, ejufque linea; immediate vero pertinere ad Ill. Principem Marfici Novi, tamquam*

quam utilem dominum S. Chirici, & ad ipsius successores in feudo, ejus linea permanente; proinde prædictum Illust. Principem redintegrandum, ut præsenti sententia redintegratur in jus patronatus prædictæ Abbatiæ cum ejusdem bonis, juribus, prærogativis, & pertinentiis quibuslibet, & cum jure ad prædictum Ill. Principem pertinente eligendi Abbatis in singulis vacationibus, & cum reliquis juribus e patronatu pendentibus. Quapropter Abbatia prædicta referatur in libris Curiæ inter alias Abbatias juris feudalis, in quas patronatus mediatus ad Principem, immediatus pertinet ad Barones.

In causa redintegrationis juris patronatus feudalis in Ecclesiam, seu Capellam sub titulo S. Mariæ Caritatis, seu della Carda, positæ in Comitatu Montis Odorisii. Die . . . Decembris 1786.

MArchio Piscariæ & Vasti Thomas Avalos de Aquino Aragonius a Rege libello supplici petiit, ut redintegraretur in patronatum feudalem Ecclesiæ seu Capellæ sub titulo S. Mariæ della Carda, seu Caritatis, in Comitatu Montis Odorisii positæ, a Curia Romana propter vices temporum usurpatum. Ea de re Princeps interpellatus jussit, Curiam Capellani Majoris sententiam dicere, prout æquius melius videretur, audito non tantum Regiæ Coronæ Advocato, sed Sacerdote etiam Michaele Angelo Tambelli. Is enim in R. C. S. Claræ detulerat, prædictum patronatum esse Regium, utpote Fisco devolutum. Regiis etiam codicillis cautum, ut ea de re acta R. C. S. Claræ ad Curiam Capel. Majoris mitterentur.

Immemorabilis possessio juris patronatus facit, qui pro possessore pronunciandum sit, licet insequutis temporibus Curia Romana, vel Diœcesis collationem usurpaverit.

His ita transactis, memoratus Marchio ostensurus prædictæ Ecclesiæ patronatum feudalem esse, documentum exhibuit extractum a libro Curiæ, in quo digesta reperiuntur beneficia cum Regia, tum feudalia. Inde enim constat, sub rubrica beneficiorum feudalium extare & prædictam Ecclesiam, hunc in modum relatam: *Theatina = S. Maria della Carda, alias della Carità. Theaten.*

Præterea exhibuit documentum exscriptum ab inventario, seu redintegratione bonorum ac jurium feudalium Comitatus Montis Odorisii, exequutioni mandata anno 1548.

præcedente Diplomate Caroli V. per Commissarium Organtinum Scarolam ad petitionem Francisci de Avalos de Aquino. Ibi vero inter alia bona & jura feudalia legitur: *Item tenet & possidet jus eligendi & præsentandi in omnibus & singulis Beneficiis & Ecclesiis, tam Curatis, quam Ruralibus, in dicta Terra Montis Odorisii, & toto Comitatu.*

Quod autem palmarium videri possit, exhibuit documenta antiquarum præsentationum factarum a decessoribus suis serie non interrupta, executioni mandatarum ab ipsis Pontificibus, & cum a Delegatis Romanæ Curiæ, tum ab Ordinariis loci. Ab ipsis autem liquet, mense Decembri an.1523. per Clementem VII. Pontificem Bullam editam, qua collata fuit Antonio de Petra *Rectoria Ecclesiæ S. Mariæ de Caritate, quæ de jure patronatus laicorum nobilium, videlicet Comitis Montis Odorisii pro tempore existentis, fore dignoscitur.* Addidit etiam Pontifex memoratam collationem Antonio de Petra a se fuisse factam, *cum ad hoc dilecti filii nobilis viri Alphonsi de Avalos de Aquino March. del Vasto Aimmone, moderni Comitis Montis Odorisii ipsius Rectoriæ patroni, expressus accedat consensus, prout per ejus patentes literas nobis extitit legitime facta fides.*

Liquet etiam die 3. Decemb. ann 1549. eamdem Ecclesiam Abbatiæ titulo a Cardinale Sabinensi Theates Archiepiscopo, ejusque Curia, fuisse collatam Dominico de Constantio, & in Bulla additum, prædictam collationem ei fuisse factam, *quia Ill. Dom. Maria de Aragonia, Marchionissa Vasti, Principissa Montis Erculi, etiam Mater, Balia, Tutrix, & Administratrix usufructuaria filiorum, & generalis Procuratrix Ill. Ferdinandi Francisci de Avalos de Aquino, Marchionis Piscariæ filii primogeniti, se jus præsentandi in dicta Abbatia, & Ecclesia, quoties vacare contigerit, habere asseruit, & se infra legitima tempora præsentasse in Abbatia prædicta.*

Constat insuper, die 6. Martii insequentis anni 1550. vacante rursus prædicta Ecclesia ob liberam renunciationem prædicti Dominici de Constantio, a Cardinale Maffejo Theates Archiepiscopo fuisse collatam Joanni Baptistæ Picciolo in insequentem modum: *Ecclesiam prædictam S. Mariæ de Caritate, quæ de jure patronatus Ill. Marchionissæ del Vasto existere*

ſtere aſſeritur, de ipſius Marchioniſſæ conſenſu, ſeu ad ejus præſentationem, ſicut præmittitur, aut alio quovis modo vacantem, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, tibi noſtra auctoritate . . . conferimus, & de illa etiam providemus.

Liquet denique, anno 1578. loco ejuſdem Eccleſiæ ſucceſſioni facto, propter obitum prædicti Piccioli, per Piſcariæ tunc temporis Marchioniſſam præſentatum Pontifici fuiſſe Innicum Hernandez Clericum Neapolitanum: Bulla vero Pontificis Cardinali Caraſæ Archiepiſcopo Neapolis fuiſſe mandatum, ut ſervatis ſervandis procederet ad collationem prædictæ Eccleſiæ in favorem nominati Clerici. In ejus Bullæ executionem Archiepiſcopus Delegatus mandatum dedit Præpoſito Gipſi. In eo præſatus, *cum licet liqueat de poſſeſſione, in qua exiſtit dicta Ill. Domina juris patronatus, & præſentandi in dicta Eccleſia, tamen volentes cautius agere, & informationem habere de jure patronatus, & poſſeſſione dicti juris præſentandi a tempore immemorabili*, ei præſcripſit, ut ea de re rite audiret ſeniores teſtes, & de compertis eum certiorem faceret. In mandati autem conſequentiam, de articulis Innici Hernandez interrogati fuerunt ſeniores loci teſtes, & totius viciniæ, qui nemine diſcrepante teſtati ſunt de antiquiſſima, & hominum memoriam excedente poſſeſſione, in qua fuerunt utiles Domini Montis Odoriſii & patronatus & juris præſentandi in prædicta Eccleſia. Quamobrem a Cardinali Carafa fuit edita Bulla hujuſmodi verbis: *Quia nobis per publicas, & authenticas ſcripturas, & informationes in ſcriptis habitas, ſervata forma præinſertarum literarum Apoſtolicarum, legitime conſtitit, & conſtat jus patronatus prædictæ Eccleſiæ, ſeu Abbatiæ S. Mariæ de Cardine ſpectaviſſe, & ſpectare ad præfatam Ill. Dom. Marchioniſſam Piſcariæ utilem Dom. Montis Odoriſii, & per diligentes examinationes de mandato noſtro factas reperimus, præfatum D. Innicum fuiſſe & eſſe habilem, & ſufficientem ad prædictam Eccleſiam, ſeu Abbatiam obtinendam; propterea præfatam Eccleſiam S. Mariæ de Cardine, ut ſupra vacantem, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, præfato D. Innico, cum conſenſu prædictæ Ill. Dominæ Marchioniſſæ Piſcariæ Patronæ, cujuſque ad hoc expreſſus interve-*

nit assensus, Apostolica auctoritate, & omni alio meliori modo, via, & causa nobis a jure permissis, contulimus, & assignavimus, ac conferimus, & assignamus.

Prædictis igitur documentis satis liquet, Ecclesiam controversam pertinere ad Montis Odorisii Comites inspecta immemorabili possessione juris patronatus, & juris præsentandi, in qua fuerunt ab ineunte sæculo XVI. Proinde si insequutis temporibus, aut Romana Curia, aut Diœcesani Episcopi pro diversitate mensium ejus liberam collationem usurparunt, id attentarunt cum patronorum injuria. Quapropter Curiæ visum, ut nulla ratione habita, aut lapsus temporis, aut præscriptionis, quæ in patronatibus id genus vim nullam in Regno obtinet, Comitatus Montis Odorisii, ejusque intuitu possessores prædicti feudi in controversum patronatum redintegrentur. Eo accedit, quod Regiæ Coronæ Patronus prædictis documentis inspectis, libello suo non impedivit favore Possessoris feudi petitam redintegrationem. Et Michael Angelus Tambelli delator a sua nunciatione recedens, se remisit sententiæ Curiæ, quæ cum voto Dom. Reg. Conf. D. Dominici Potenza ordinarii Consultoris ejusdem, ita pronunciavit: *Ecclesiam S. Mariæ de Carda, seu Cardinis, aut Caritatis, in Theatina Diœcesi, fuisse, & esse patronatus feudalis hærentis Comitatui Montis Odorisii, ac eum patronatum pertinere ad Marchionem Piscariæ & Vasti de Avalos, de Aquino, de Aragonia, utilem prædicti Comitatus Dominum, ac proinde Marchionem, ejus feudi ratione, redintegrari oportere, ut præsenti sententia redintegratur in jus patronatus prædictæ Ecclesiæ cum suis bonis, juribus, pertinentiis, ac præsertim cum jure ad eum, ejusque in feudo successores spectante, eligendi, & nominandi Rectoris, seu Capellani prædictæ Ecclesiæ, & cum reliquis juribus e patronatu pendentibus: salvis juribus Regii Fisci, si feudum devolvi contigerit: salvis etiam in alio judicio juribus Regio Fisco forte competentibus quod ad res petitas in libello, fol. 94. a t. Denique prædicta Ecclesia, attenta præsenti redintegratione, denuo describatur in libris Curiæ inter Ecclesias patronatus feudalis.*

F I N I S.

INDEX ARGUMENTORUM.

Do-

JURISDICTIO.

JUS PATRONATUS.

F I N I S.

234.
8.
24.

